EPHEMERIDES

ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA, Prior Cartusiæ.
In solemn. Immaculatæ Concept. B. V. M., M. DCCC. XC.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH., Episc. Atrebat.,
Atrebat., 25 Decembris M. DCCC. XC.

EPHEMERIDES
ORDINIS CARTUSIENSIS

AUCTORE

D. LEONE LE VASSEUR

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITÆ

VOLUMEN SECUNDUM



MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC XC

EPHEMERIDES

ORDINIS CARTUSIENSIS

MENSIS MAIUS

(PROSEQUITUR)

IX DIE MAII

HERMANNUS

MONACHUS BELLILARICI

Floruit circa annum 1230, decessitque die 9 Maii, cujus Vita extat in antiquo Chronico ms. Bellarici cujus verba hic apponimus.

Fuit in diebus Stephani, Leobaudi, Guerini, Girandi, Priorum Bellilarici, homo quidam nomine Hermannus, singularis scilicet et incomparabilis abstinentiæ, coram Domino magnus. Hic cum in primævo suæ juventutis flore, vestimentorum ac calceamentorum lasciviis indutus, secundum præsentis sæculi fastum floruisset, quadam die cum esset Parisiis, uno de Doctoribus verbum Dei sermocinante, ita repente in virum alterum mutatus est, ut ex ipso die, mirantibus sociis ex mutatione dexteræ Excelsi, non fuerint sicut prius vultus ejus in diversa mutati ; et mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, suscepta primitus ad erudiendum Dei populum sacerdotali dignitate, domum sibi solitariam seorsum inter parentes elegit sibi; namque tanta severitate carnem suam vigiliis, jejuniis, orationibus et asperitate vestium domare studuit, ut etiam subtus ad carnem loricam indueret, quæ profecto ex assiduitate vestiendi super humeros putrefacta aperto jam foramine interru-

pta apparebat. Per quod videlicet foramen, cutis cum carne superducta et circumquaque desuper extensa excreverat. Quod cernens vir mirificus vocavit patrem suum secreto et ait illi : « Pater, carnem istam succide, ne amplius crescat, ut et ipsa, quam cernis, lorica facilius valeat amoveri. » Ex qua igitur incisione super humerum ejus quamdiu vixit cicatrix apparuit, quam et ego propriis oculis ipse vidi.

Postea vero parentes illius ac propinqui ad eum accedentes, rogaverunt ut ad Fratres sacri Cisterciensis Ordinis in monasterio Longipontis se transferret humiliter, ubi et ipse devotus cum devotis Fratribus summo Regi Christo Domino deserviret. In quo siquidem monasterio quadam nocte,in illo scilicet intervallo, ut ipse mihi retulit, quod fit inter Matutinas et Laudes, in extasi facto ostensus est ei a Domino totus vitæ suæ status. Itaque videbatur ei quod esset in quodam loco amœnissimo inter Variacum et Charitatem constituto. In eo profecto contemplationis aspectu jucundissime lætabatur, excepto quod ibidem duos Fratres sibi adversantes invenit, qui usque ad vitæ præsentis terminum ei molestiam frequentius inferebant. Quos nimirum plane profiteor me vidisse, quorum quidem unus quamvis prudens esset et providus, ea tamen die qua vir beatus obiit et sepulturæ traditus est, magna pœnitudine atque lacrymarum effusione, ea quæ contra virum Dei se commisisse meminerat profiteri, et coram me clara voce verebatur minime. Hinc est ergo memoriter tenendum quod dicitur : « Electi ab electis provida Dei dispensatione a quibusdam suis excessibus expiantur. »

Verum præterea cum vir sanctus hoc in præfato monasterio moraretur, videns multitudinem monachorum et frequentiam ad se venientium proximorum, recordans etiam suavitates orationum impinguantes quondam in oleo caput suum, quas quidem ob tumultuantem Fratrum turbam se amisisse dolebat, tunc demum devotus non potuit amplius sustinere; unde continuo propriis receptis vestibus recedere quantocyus festinabat. Cum autem monitis et precibus sanctorum Fratrum ejusdem monasterii nollet acquiescere, miserunt ad eum causa adhortationis virum valde spiritualem, virum nobilissimum, Domnum scilicet Joannem Montis Mirabilis, qui terrenæ dignitatis gloriam despiciens, ut bonus miles et emeritus, cœlesti Regi in vestitu Regulari devotissime militabat. Qui et dixit: « Ubi vultis abire? hoc pro certo teneatis, charissime, quod in quamcumque partem et in quemcumque locum pergere volueritis, absque delectatione sive spirituali sive corporali, nequaquam poteritis perdurare. » Vir tamen Domini fervore Spiritus suggerente, viri sancti sententiam non indignans, iter arripuit et ad sanctum quemdam Eremitam properans, invenit eum extra

cellam ad solem ovinis pellibus coopertum, pilis scilicet exterius conversis, ut non homo sed bestia crederetur. Qui post multa vitæ spiritalis colloquia, hoc ab eo consilium humiliter accepit : « Ne, si videlicet sub austeritate et attritione Cartusiensis Ordinis se se vellet committere, (præsertim cum et ipsi inhabitantes in eo in cellulis inclusi et incarcerati jugiter permaneant), instantiam et improbitatem parentum oporteret ullatenus formidare. »

Quo nimirum servi Dei oraculo certior et alacrior factus, cœpit tanquam ad supernæ vocationis bravium concito gradu percurrere, adeo ut quadam die advesperascente, ex itinere nimium fatigatus, apud quamdam viduam hospitatus est. In illo sane hospitio, ipso dispensante qui palmites suos purgat ut plus afferant fructum, tanto ægritudinis pondere pressus est ut mortuus putaretur. Nam hospita sua certæque vicinæ mulieres jam aquam, qua corpus illius deberetur ablui, super ignem posuerant, cum ecce subito ejus misericordia qui percutit et medetur, cœpit æger respirare, oculos aperire et loqui. Accurrentes ergo stupefactæ mulieres, ad eum venerunt dicentes ac sæpius cum gaudio reclamantes : « Certe, o Domine, tu mortuus extitisti. » Cum autem aliquantulum esuriret, festinavit pia mulier, sicut ipse mihi multoties enarravit, coxit malardum suum cum lacte et obtulit ad edendum... Die tertia, ut mihi visum est, baculo se sustentans, et præ nimia corporis debilitate huc illucque vacillans et titubans, viam suæ peregrinationis aggressus est. Porro non refrigescente desiderio quod ex Domino est, sed potius crescente quotidie, Domum nostram de Bellaris persona ejus venerabili voluit Altissimus honorare.

Adveniens ergo ad destinatum sibi a Domino locum, pauper et modicus, cappa vestitus rotunda, rudi profecto penitus et grossa, pulsabat et non erat qui aperiret. Sed erat revera qui potius irrideret, et pro stulto et idiota sapientissimum Dei hominem facillime reputaret. Unde cum viderent illius vilitatem et sui ipsius abjectionem, vespere jam facto miserunt eum superius in grangiam, ut ibidem jaceret et pernoctaret. Ipse vero gaudens et hilaris, super gerbas ascendens, parum, ut suspicor, obdormivit. Sed mane facto, sicut mihi ipse retulit, ex ipsa sui lectuli duritia latus et membra graviter doluit. Cum vidissent Prior et Procurator illius instantiam et perseverantiam, interrogaverunt eum, si quis in hac patria esset qui nosset eum. Respondit se habere quemdam avunculum monachum de Charitate. Cui et dixerunt : « Nos libenter propter Dominum vos recipiemus ad illius testimonium, sed novit Dominus, vestimenta, quibus indui debeatis, sufficienter non habemus. Profectus itaque apud Charitatem cum quodam puero qui et ei interroganti de consuetudinibus Ordinis

illudebat, dicens quod cum singulis mensibus libram unam sibi minuere oporteret. Ubi sane cum pervenisset, quosdam invenit venerabiles Clericos ex eadem villa progenitos, qui eum quondam apud Parisios in scholis viderant conversari; cui nimirum tanto spirituali exultationis tripudio applaudebant, quanto et eum olim sibi socium fuisse amabilem sentiebant, et eo etiam amplius et specialius, quo admirabilem ejus conversationis constantiam ex ipsa sui habitus vilitate et gestu apertius cognoscebant. Currentes illico unanimiter ad dominum Antissiodorensem episcopum felicis memoriæ Guillelmum, qui tunc forte advenerat, exposuerunt ei viri sancti propositum et desiderium, supplicantes eidem, quatenus ipsum Fratribus Bellilaricis commendans, cum vestibus sibi necessariis remitteret, ut et eum benigne et misericorditer recipere dignarentur.

Igitur divina procurante Providentia assumpsit novus miles novum sibi Ordinis habitum, exuens veterem hominem, et illum novum, qui secundum Deum creatus est, induens, contra multiformia bella viriliter pugnaturus. Primo namque, cœpit incredibili fervore vitia carnis et concupiscentias ejus crebris abstinentiis edomare, ac duris et asperis ac frequentibus disciplinis mirabiliter cruciare; ad hoc enim opus exercendum ipse sibi flagellum fecerat, quod et ego vidi et tenui, grossissimis corrigiis baculo colligatis. Secundo quidem, mundum et ea quæ in mundo sunt vana et transitoria toto mentis despectu studuit contemnere, et tanquam putrida stercora reputare. Nusquam enim, ut arbitror, hominem vidisse me recolo, ita mortuum, ita crucifixum mundo et mundum sibi, quemadmodum et istum, sicut per conversationis illius initium didici et exemplum. Nolebat quempiam despicere, quinimo omnem prorsus sui ipsius vilitatem et abjectionem humiliter appetebat, et, quod majoris virtutis est et rarioris, semetipsum despici despiciebat.

Tertio autem, contra antiqui hostis insidias innocentia et puritate cordis armatus fortiter pugnabat, sciens se non solum adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates tenebrarum harum certamen forte, ut vinceret, habiturum. Qui nimirum diabolus tanta contra eum exarsit ira, ut non solummodo per nocturnas illusiones, verum etiam quasi visibiliter deterreret. Unde quadam nocte contigit, in illo scilicet spatio, quod ex more inter Matutinas et Laudes facimus, statim ut de ecclesia exiit terribiliter exclamavit. Quod tamen non omnes audierunt. Ego vero in crastinum quæsivi ab eo quid hoc esset : « Cum exissem, inquit, de ecclesia, malignum sensi adesse spiritum, qui elevatis manibus contra me illudebat mihi, et ob hoc exterritus exclamavi ; sed profecto, Fratres charissimi, tanquam bellator fortis munimine regio septus, nullatenus potui ab

adversario superari. » Ideoque super his tribus vitiis ab eo, juvante Domino, superatis, ad laudem ipsius mentionem faciens scripsi quæ mundus, caro, dæmonia diversa movent prælia. Quapropter vir venerabilis Archembaldus quondam Bituricensis Decanus tale epitaphium de eo scribens nobis transmisit :

Hic jacet Hermannus vir justus, vir [venerandus],
Per quem sunt victi mundus, caro, prædo [nefandus].

Porro si quis de victu illius quæsierit pariter et vestitu, ego plane pronuntio, salva tamen illius gloria et honore, veluti sui ipsius interfectorem fuisse; et cum dicatur : *Nemo unquam carnem suam odio habuit,* iste procul dubio suam omnino carnem odio usque ad mortem habuit et despectui. Ita ut supra cursum usumque naturæ a cibis corporalibus abstineret, et cum posset licite et deberet debilitato et exeso corpori aliquoties indulgere, ipse tamen nec diebus festis nec ferialibus, nisi forte in refectorio, parum aut nihil lautioris cibi accipiebat, sed pauperi si occurreret hilariter erogabat, vel alicui monacho quem maxime cerneret indigere serena et ridente facie ipsemet deferebat. Si autem occasione aliqua ab amicis nostris aliquid pitantiæ mitteretur, cum utique Vicarius esset et Sacrista, absente scilicet Priore, videres eum festinare et currere quousque dicta pitantia ab eo largiter apponeretur Fratribus. Recumbentibus itaque monachis, et pro posse suo splendide refectis, ipse ad cellulam suam jejunus ministrator accedens, pane tantummodo et aqua plerumque contentus, nescientibus sociis, abstinentiam faciebat. Ipse vero postmodum tanquam a nuptiis revertens, data Fratribus recreatione, cunctis hilarior atque jucundior apparebat.

Cellula quoque sua ecclesiæ quæ tunc erat lignea inhærebat, quæ profecto ita brevissima erat et angusta, quæ vix lectulum et scriptoriam contineret; in quo videlicet scriptoriæ loco, cum aliquantulum corpus reficere appeteret, sedebat, habens super genua asserem latum et rotundum sine mappula super quem et panem frangebat, aquæ etiam juxta se parvum vas terreum sine scypho positum, de quo nimirum, sicut ipse propriis perspexi oculis, potum secundum suum modulum hauriebat. Miror perinde quamplurimum unde tanta phlegmatis abundantia ex ejus ore afflueret, cum, sicut existimo, quantitas salivæ mensuram potus excederet, adeo siquidem ut quadam vice in loco in quo spuebat pedem meum profunde dilapsum quasi de luto extraherem maculosum.

Et quid de sancti viri istius vestitu postea referam? Plane quidquid omnino ad lectum vestitumve pertinet, cujus grossitudinis colorisve fuerit non curabat. Cum enim ad omnes monachos pannis grossissimis et rusticis uti

pertineat, multum amplius omnem humilitatem, attritionem, vilitatem, paupertatem et abjectionem pannorum mollium sibi congruere judicabat; habebat namque valde grossioris telæ panniculum quemdam, quem et ego vidi, ita brevissimum ut nequaquam illius auriculare valeret plene contegere, cum et ipsum cervicale non de pluma avium varia, sed palea segetum minutissima, ut æstimo, plenum erat.

Habebat etiam unam pelliciam vetustissimam ex grossissimis ovium pellibus confectam, qua profecto tam longo tempore vestitus fuerat, ut intuentium oculis nigra et rigida appareret. Quam utique veterem ac viliorem tanto charius custodiebat, quanto et aliam novam et meliorem pro ea ullatenus recipere non volebat, propter quod nonnulli de monachis indignantes dicebant sordes et vilitates istiusmodi pelliciæ in Conventu nullomodo ulterius deportari. Ipse vero, tanquam surdus non audiens, transiens dissimulabat, et per medium illorum ipsa indutus pellicia ibat. Hanc ergo pelliciam quam Dominam Herxandis jocose vel derisorie vocabant, cum quadam die pelliparius reficere conaretur, me præsente dicebat quod illam nisi cum magna digitorum violentia acu et filo poterat penetrare. His igitur vilibus et abjectis vestibus propterea utebatur, maxime quia noverat quod *qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt,* et audierat divitem purpura et bysso indutum apud inferos cruciari, et Joannem Baptistam a Domino de asperitate vestium commendari.

Hoc igitur sancti Dei viri exemplo videant et intelligant et sibi caveant tam prælatus quam subditus qui sibi pulchras pelles et delicatas appetunt pellicias, maxime cum et ipse Prior, prout in Consuetudinibus nostris habetur, nulla vestium dignitate vel pretiositate differt a cæteris, nec quidquam gestat, unde quod sit Prior, appareat; quia profecto Ninivitarum populus pœnitens, saccis indutus asperrimis, indulgentiam peccatorum a Domino præcipue meruit; et Herodem sedentem pro tribunali vestitum regia veste Angelus Domini mortaliter percussit.

Nunc sane de istius sancti virtutibus et donis gratuitis, pro modulo meæ parvitatis et insipientiæ, aliquid inspirante Domino breviter est dicendum. Igitur secundum quod per multum temporis quo conversatus sum cum eo percipere potui, non dubito quin Deus virtutum largitor et amator, licet non ex toto forsitan, sed ex parte, quam scilicet ipse voluit qui ad mensuram dat Spiritum, septiformi Sancti Spiritus gratia suum militem illustraverit. Verum qui super florem egredientem de virga radicis Jesse, id est super Christum hominem Spiritum Domini Propheta requieturum prædixit, a digniori dono scilicet Spiritu sapientiæ incœpit, descendendo usque ad virtutem timoris qui est principium sapientiæ et custos omnium bonorum. Nos vero qui puri homines sumus, ac

per hoc peccatores, opus est ex converso a timore Domini incipere, videlicet de virtute in virtutem ascendendo, donec perveniamus ad Spiritum sapientiæ qui utique est finis et consummatio omnis perfectionis.

Quia igitur a Spiritu timoris inchoavit, probat sicut superius expressum est, tam severa, tam ardua consuetudo pœnitentiæ ab ipso suæ conversionis exordio præ timore Domini mirabiliter inchoata. De quo Spiritu timoris primo videamus; licet autem perfecta charitas omnem timorem, id est timoris pœnam et anxietatem, a servo Dei foras mitteret, ipse tamen ex amoris plenitudine adeo timoratus erat tantamque cautelam in omnibus non solum operibus sed verbis et cogitationibus adhibebat, quod nulla vel modica negligebat. Frequenter enim attendebat quid scriptum est: *Qui modica negligit paulatim decidet.* Verebatur enim omnia opera sua providendo Dominum in conspectu suo semper, et in omnibus viis suis cogitans illum, ne forte in aliquo displiceret. Sciebat enim quod licet quis vitet grandia, potest tamen obrui arena; multitudine enim capillorum suspensus Absalon interiit; et multitudo venialium ex contemptu, dum placent vel negliguntur, ad æternum perducit interitum. Erat ei igitur timor castus in corde, tanquam fascia pectoralis quæ cogitationes constringeret; in ore, tanquam frenum quod linguam reprimeret; in operibus stimulus, ne pigritia torperet; in omnibus regula, ne modum excederet. Timor iste tanquam scopa purgabat cor a duplicitate, os a falsitate, opera vero ab omni vanitate.

Non solum per Spiritum timoris ab omni specie mala sibi cavebat, sed Spiritu pietatis ad omne opus bonum primus erat. Exercitationem enim corporis pro modico habebat respectu pietatis quæ secundum Apostolum ad omnia valet, habens promissionem vitæ quæ nunc est et futuræ. In lampade enim cordis sui charitatis oleum et misericordiæ continuæ accendebat, ne forte cum fatuis virginibus, absque oleo repertus, a nuptiis æternæ jucunditatis repulsam pateretur. Satagebat igitur pro posse suo omnia misericordiæ opera ex abundanti cordis pietate exterius adimplere; unde, ei quando licebat, omnia pauperibus erogabat.

Quoniam in fugiendo mala per Spiritum timoris et faciendo bona per Spiritum pietatis necessaria est cautela et circumspectio discretionis, Pater luminum cujus unctio docet nos de omnibus, Spiritu scientiæ dilectum suum illuminavit, ut sciret quid, quemadmodum agendum esset vel vitandum, et omne sacrificium suum sale condiret; mala enim sunt vicina bonis, et plerumque dum vitamus unum vitium, labimur in contrarium, ut cum quis fugit superfluitatem, plerumque decidit in avaritiam, vel quando vitat indumenti sæcularis ornatum, gloriatur in sordibus vestium. Vitia enim quando-

que speciem virtutum præferunt; unde perniciosius sectatores suos decipiunt, quæ sub velamine virtutis tegunt.

Unde et iste Dei famulus quodam tempore adeo sub specie boni tentatus et improvisus extitit, ut etiam omnino disponeret ad Ordinem Prædicatorum pro lucrandis animabus se transferre. Sed a Domino qui non permittit hominem tentari supra id quod potest, per Spiritum scientiæ illuminatus, consolante etiam illum bonæ memoriæ Gualtero Senonensi archiepiscopo, se excæcatum fuisse humiliter recognovit. Ex tunc namque Spiritu scientiæ ita solidus extitit, ut neque a dextris neque a sinistris declinans, mediam et beatam viam miro moderamine pergeret. Nam idcirco quod suum erat reddebat, et proximorum pacem quantum in se erat conservabat, non solum cum pacificis, sed cum iis qui oderant pacem, pacificus erat. Prudenter inter homines conversando, omnibus omnia factus, ut omnes Domino lucrifaceret. Unde duos Fratres sibi adversantes mira mansuetudine et lenitate, sicut supra dixi, per Spiritum scientiæ tolerabat, et discordantes piis admonitionibus sapienter concordabat.

Et quia parum prodest per Spiritum timoris mala vitare, per Spiritum pietatis bona agere, per Spiritum scientiæ distinctionem habere, nisi per fortitudinem malis imminentibus resistamus, bona nostra per patientiam conservemus, per constantiam usque in finem perseveremus, per longanimitatem vitæ æternæ præmium expectemus, Rex cœlestis apertis thesauris suis quarto lapide pretioso, scilicet Spiritu fortitudinis filium suum exornavit, et contra omnia adversa præmunivit, ut non adversitatis impulsu frangeretur nec prosperitatis blandimento elevaretur; ut contumelias cum tranquillitate sustineret, ut nulli malum pro malo redderet, sed benedictionem maledictioni, benignitatem iniquitati opponeret. Bonum pro malo reddebat, calumniantibus non respondebat, orabat pro persequentibus.

Per constantiam mentis in proposito perseverans, per firmitatem animi æquanimiter omnia portans, per magnanimitatem difficilia sponte aggrediens, per securitatem imminentes incommoditates non formidans, per fiduciam certam spem habens bonum propositum ad finem bonum perducendi, per magnificentiam sancti et præclari propositi dans consummationem; non solum autem in persecutionibus patientiam habebat, sed in tribulationibus gaudebat. Disciplinam Domini cum magno desiderio apprehendebat, unde cum in ultima ejus infirmitate jam anhelitu pectus urgente, cum et ipse duos annos et amplius disciplinam Domini fortiter sustinuisset, tamen in fine fortius Patrem sustinuit juste filium flagellantem.

Per Spiritum consilii nihil præcipitanter, nihil inordinate agens, omnia diligenter, provide et cum deliberatione

faciens, in omnibus agendis vel omittendis expectabat eum qui salvam faceret animam ejus a pusillanimitate spiritus et tempestate, nihil per pusillanimitatem omittens, nihil tamen tempestuose, nihil inconsiderata vel impetuosa mente peragens. In omnibus viis suis palpebræ præcedebant gressus suos, omnia cum consilio faciens, ne post factum vel in modico pœniteret. Quid enim sine gravitate, sine consilii maturitate facere posset, cujus animum inhabitabat qui ait de semetipso : *Ego Sapientia in consiliis habito, et eruditis intersum cogitationibus?*

His igitur Spiritus Sancti donis Regis filius adornatus, tanquam luminaribus illustratus, corde purificato per Spiritum intellectus in cœlestibus conversabatur; adeo enim suspendium elegerat anima ejus, quod per aliquantum temporis cognosceret per Spiritum intellectus sacramentum et mysterium individuæ Trinitatis, quomodo scilicet Pater consistit in Filio et Filius in Patre, qualiter in Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater; et quemadmodum Spiritus Sanctus ab utroque procedit, et tamen non tres Dii, sed unus est Deus, et tamen eisdem tribus una divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. In Vita sanctæ virginis Aupes de Cudoth, sicut iste vir sanctus retulit mihi, legitur quod ipsa vidit ante se tres soles incomparabili lumine radiantes, quorum nullus vel minor aut clarior altero, sed omnes erant unius quantitatis, unius qualitatis, et æqualiter fulgebant in unius æqualitate trinitatis; et illi tres soles in conspectu suo convenerunt in unum et facti sunt unus sol, in unius lumine claritatis ; non erat major vel minor, nec plus minusve lucebat ille sol ex tribus factus unus, quam illi tres, cum tres essent, sed in unius orbis lumine nec dissimili nec dispari fulgebat claritate.

Ut autem opus suum prudens Artifex, templum suum Sacerdos magnus, filium suum Rex excelsus ad perfectionis cumulum perduceret, septimo septiformis Spiritus Sancti dono quasi ad condimentum aliorum eum honeste decoravit et excellenter ornavit : scilicet Spiritu sapientiæ, quod primum est dignitate, ultimum vero consummatione. Hujus sapientiæ sapore gustavit et vidit quam suavis est Dominus, cum sicut adipe et pinguedine repleretur anima ejus, cum ad mensam Domini cum Joseph inebriaretur in meridie delitiis affluens, et in horto voluptatis manna absconditum manducaret. Hujus mellifluo sapientiæ dono cor ejus medullitus afficiebatur, verba dulcorabantur omnia, ejus opera suavitate unctionis spiritualis impinguabantur.

Cum autem præ desiderio æternæ vitæ fruitionis, præ amore divinæ visionis, præ dilatione optatæ beatitudinis in hoc exilio langueret, unicum tamen et summum erat remedium ei et singulare solatium manna Panis cœlestis, donec pervenisset ad terram promissionis. In

hoc cordis ejus anxietas temperabatur; in hoc omnes ejus dolores mulcebantur, spiritus ejus roborabatur; in hoc summo et præcellenti Sacramento omnes hujus peregrinationis ærumnas patienter sustinebat, omnes hujus deserti labores superabat, omnes hujus miseriæ defectus hoc cibo vegetatus parvipendebat. Panis sanctus cor illius confirmabat, Vinum sanctum mentem ejus lætificans inebriabat; Caro sancta saginabat, Sanguis vivificans abluendo purificabat. Hoc solo solatio carere diu non poterat; idem erat ei vivere et Christi Corpus sumere; hoc erat ei mori, ab hoc Sacramento diutius abstinendo separari; unde cum occasione quorumdam verborum ab hoc Sacramento duobus aut tribus diebus abstinuisset, vehementer plangens, cum egrederemur a Vesperis, mihi soli locutus est, ita dicens : « O Deus æterne ! ego totus deficio. » Didicerat enim per certam scientiam vir sanctus se efficacius spirituali cibo refici quam corporali; quia *non in solo pane vivit homo, sed et justus ex fide vivit*.

In illa autem infirmitate, qua per spatium duorum annorum et amplius, ut æstimo, ante mortem suam laboravit, non credo vel unum transiisse diem, præter tres dies istos prædictos, quin post Matutinas Missam quotidie celebraret. Et hoc mirabile dictu, sicut dicemus in subditis, quomodo tam debili corpusculo, utpote modico pane avenaceo et aqua frigida sustentato, tanta virtus, et tamdiu standi ad Sacrificium Missæ inesse poterat, nisi quod Deus suorum prærogativam donorum potenter contulerit; propter quod et ipse, qui ei quotidie in hoc officio assistebam serviens et plurimum admirans, quadam vice vultum ejus pallidum contemplatus sum. Et ecce apparuit, ut mihi videbatur, in illa hora clarus, nitidus et rubicundus. Nec mirum, quod illum coram se in altari cernebat, cujus facies sicut sol in monte resplenduit, et qui illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem. Jam enim in hoc sæculo expertus fuerat quod ait Dominus in Evangelio : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem habet vitam æternam*. Non erat ei durus hic sermo sicut Judæis, sed suavis, quippe qui omnem delectationem et omnem saporis suavitatem in ejus perceptione non solum istius in animo sed etiam in ore ejus mellifluo sentiebat.

Habebat hic beatus vir in consuetudine, ut cum ad perceptionem Sacri ac vivifici Corporis Domini nostri Jesu Christi veniret, statim profunde ruens et inclinans super genua, digitis manus dextræ super oculos appositis, illic tamdiu staret donec Dominicum sentiret adventum; sed nimirum, austro flante præ nimietate devotionis et fonte lacrymarum inundante, subito surgens, ad manutergium fluminis impetum, qui

animam suam lætificaverat, deprimebat. Dixit enim mihi aliquando, quod cum quadam die sensisset sibi gratiam non adesse, et præ tædio mentis hebetatum fuisse, non audebat ad Sacramentum accedere ; unde tantos cogitationum tumultus in corde tolerabat, quia quid de duobus faceret, nesciebat, cessare videlicet a tam salubri Sacrificio, an non cessare. Tandem vero divinæ benignitatis misericordiæ tanquam æger medico se committens, facta oratione gradum altaris cum timore ascendit, Sacrificium obtulit ; sed cum ad perceptionem pervenit et orationem suo more solito fudit ad Dominum, tantam consolationis gratiam ac lacrymarum copiam a Deo ibidem percipere meruit, quod post factum, sic se fecisse minime pœnituit, imo postmodum diu reliquiæ consolationis diem festum in animo agerent, et memoriam abundantiæ suavitatis illius dulciter eructarent.

Hujus itaque sancti viri saluberrimo exemplo, Fratres charissimi, sufficienter instructi, si similis tentationis articulus nobis ingruerit, ad summum præsidium et singulare solatium, videlicet ad sacri Altaris speciale Sacrificium recurramus, vel purificato per confessionem prius cordis thalamo, nostræ mentis tenebras dulcis et pius Dominus abjiciens per adventus sui præsentiam illustret.

His igitur pretiosis charismatum donis decoratus noster Hermannus, cœpit multis et divinis revelationibus illustrari, necnon crebris consolationibus a Domino dulciter visitari. Quas nimirum revelationes et consolationes non cunctas, sed paucas, ipso narrante cognovi. Quas etiam ne forte per spiritum elationis super se inaniter raperetur, per affectum devotæ humilitatis, semper se sub se solide subsistere appetens, sagaciter occultabat. Cum ergo quadam die nos duo soli, ut æstimo, ad invicem familiariter loqueremur, accidit, sicut credo, permittente Domino, hoc quod dicturus sum, quasi improvise de ore suo elapsum fuisse; quod utique post multum tempus cum id ab eo quærerem qualiter hujusmodi mentis excessus sibi evenisset, cum magna obstupefactione respondit : « Quis vobis hoc prodidit ? » Coactus tamen, mihi vehementius instanti rei veritatem demum aperuit dicens : « Accidit quod veraciter dicam : cum vellem hujus ostii transire limen, sicuti me modo videtis stare, et unus pes jam ex una parte staret, et alter ex altera parte remaneret, stando quoque ac vigilando, cum ecce in ictu oculi, utrum in corpore sive extra corpus id viderim, et quomodo vel qualiter corpus et anima mea, nescio, Deus scit, qui omnia solus novit..... »

Aspiciebat tamen corpus suum, et in ejus contemplatione plurimum gaudebat et delectabatur, quod valde pulchrum erat ei visu aspectuque delectabile, et illud attrectabat, atque manibus suis blandiens, affectuque mirabili amplexans brachiis, diligebat. Quemad-

modum vero iterum in corpus suum redierit, penitus ignoro; illud siquidem prædictum ostium, illud erat, quo videlicet pergitur ab ecclesia in Vestiarium, et a Vestiario in ecclesiam, ut vere sciatis quod hæc quoque visio non nisi in sacro loco, maxime cum et ipsemet tunc Sacrista esset, tanto viro debuit contigisse. Cæterum ne cui forsitan incredibile videatur quod dixi, ecce ad testimonium in Vita virginis Aupes de Cudoth simile miraculum invenitur.

Cum igitur vir beatus his floreret virtutibus, voluit pius Judex et justus Artifex amplius suum purificare famulum, ut fructum plus afferat, et ut quanto plus seminaverit in lacrymis, tanto amplius ad horreum æternæ tranquillitatis cum lætitia et exultatione suos portans manipulos purior et uberior transferatur. Ante duos quippe annos et dimidium, ut opinor, quam obiret, tantam incidit in ægritudinem, et incurrit stomachi indigestionem, qua vix duos morsellos sedens juxta me in refectorio abominante stomacho posset recipere, quin tertium sub mensa ab ore suo rejicere cogeretur. Nihil lautioris aut validioris cibi sicut pisces, panem album, aut vinum et hujusmodi poterat transglutire; cum ergo vidisset Dei famulus se in irrecuperabilem corporis infirmitatem præ nimia ac violenta alimentorum abstinentia corruisse, cœpit ex diversis cibariis tentare, quo potissimum posset edulio vegetari.

Tandem vero sensit per quotidianum experimentum panem avenaceum sibi melius proficere, quam ullum aliud cibi condimentum. Qualis, quæso, panis iste singularis, cujusve coloris erat? Revera niger et exustus, asper et hispidus, deforis pallidus, rimis creberrimis sulcatus, pro imperfecta coctione ponderosus, deintus autem palearum aculeis capillosus, non solum tactu, sed etiam intuitu horridus et exosus; ita ut per capillos paleares portari, sicut vulgariter dicitur, potuisset. Hoc siquidem pane in quodam vasculo minutatim fracto, adjuncto etiam lacte seracio post Vesperas in æstate semel, in hyeme vero post Completorium pulsatum, cum aqua frigida similiter vescebatur. O quoties nobis egredientibus de Vesperis mihi quasi dolendo et pene lacrymando dicebat: « Deus! Deus! ad tormentum invitus vado, » hoc ipsum verbum pluries repetendo! Cum ergo comedere inchoasset, et prima jam panis buccella os illius tetigisset, statim mirum in modum abominante stomacho rejiciebat, et ex abundanti rheumate ita incessabiliter et sine numero excreabat, ac si intestina evomere propemodum putaretur. Hoc in statu, imo et in hujusmodi tormento, quandiu vixit, quotidie perduravit. Ego quoque juxta eum in cella altera manducans et bibens hoc audiebam, me ipsum considerans gaudentem esse in delitiis, et illum dolentem persistere in miseriis; heu miser, voluntarius currebam ad corporis fomentum delectabile, ille vero

coactus pigritanter pergebat ad tormentum oris intolerabile!

Erat autem huic sancto viro in hac infirmitate posito humilis et devota consuetudo, ut in præcipuis et in solemnibus festis legeret in refectorio ita placide, ita dulciter, ita gratiose quod nunquam, ut æstimo, viderem posse sui similem inveniri. Deinde ad cellam rediens jejunus lector, more suo solito ibidem cœnabat, temporis scilicet post modicum pro pane avenaceo Pane vivo ad Cœnam Agni providi cœnaturus. Quis unquam crederet tam elegantis staturæ hominem, tam formosum præ multis filiis hominum, tamque venustum aspectu, quasi si imago decenter depicta rubicunda facie appareret, ad tantam venisse deformitatem, nisi is, qui primum in tempore Novitiatus sui, sicut et ego vidi, vidisset ? Sed et quid postea ? Vidisses utique illum longe dissimiliter, quasi in alterum virum fuisse permutatum, oculos videlicet in imo defixos, vultum pallidum, labia attenuata, ossa faciei cute demissa desuper per grossitudinem apparentia, genas squalentes et furfureas ac per hoc pilis a barba cadentibus, posses de eo non immerito dicere : fauces ejus squalidæ, et ipse oppressus amaritudine.

Et hæc omnia sibi per violentiam nimiam et immoderatam alimentorum abstinentiam evenerunt. Unde Beatus Augustinus : « Ille de rapina sacrificium offert, qui aut nimia ciborum egestate aut somni penuria corpus immoderate affligit. » Quapropter et ipse nos quoque admonebat dicens : « Charissimi, cum possem fragili naturæ sufficienter succurrere, nolui ; nunc autem sicut cernitis, volo et desidero, sed profecto perficere invitus nequeo ; ecce occidi jumentum Domini, peccavi, quid faciam vobis ? posui me contrarium mihi, et factus sum mihimet ipsi gravis ! Videte ergo quomodo caute ambuletis, neque a dextris, neque a sinistris, sed per medium, scilicet securam et regiam discretionis viam humiliter incedentes ; et hoc ipsum precor vos, dilectissimi, instanter quotidie a Domino postuletis. Exemplum enim per infirmitatem et insipientiam meam dedi vobis ; sed nolo, imo quantumcumque possum prohibeo, ut et vos ita faciatis. »

His itaque prælibatis, ad tempus resolutionis suæ calamum applicemus. Sane die Dominica antequam obiret, post Matutinas venit ad ecclesiam baculo se sustentans et plangens. Ibi me plurimum admirante, prout solebat, diutissime stando, Missam ultimam celebravit, et sequenti 4 feria obiit, septimo videlicet Idus Maii in ipsa autem die jam pene oriente sole. Dum forte abscesseram, sicut qui præsentes aderant testati sunt, jacens in lectulo ter manum ex adverso levavit. Primo videlicet paululum, secundo altius, tertio virtute qua poterat, multo sublimius quam ante fecerat, dexteram erigens signum salutiferæ Crucis..... depinxit, per quod nimirum intelligimus sanctum

Dei mox moriturum, malignum ei assistentem spiritum corporeis etiam oculis aspexisse, sicut de beato Martino legitur veraciter accidisse. Ego vero de eo sollicitus, cum modestia et mœrore ad eum rediens inveni dominum Britium Antissiodorensem Decanum, qui ei cum cæteris assistebat. Adhuc igitur illo loquente nobiscum, præparatoque a Fratribus pulvinari et desuper inclinato capite, domino Britio dixit : « Ite et paululum requiescite, et ego similiter requiescam, » et obdormivit in Domino, cui honor et gloria, potestas et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Sepulto itaque, ipsa die, Sancto Dei a viro venerabili Gatio Abbate S. Laurentii de Abbatia, a quo etiam pridie quam moreretur Extremæ Unctionis Sacramenta acceperat ; sedentibus in claustro et colloquium de vita mirabili istius Hermanni et abstinentia incomparabili habentibus, protulit in medium Dominus Abbas dicens : « Ego hodie post Matutinas in lectulo jacens quiescebam, nec plene vigilans, nec plurimum dormiens, et ipse, ut mihi videbatur, stetit coram me, et totius corporis motu profundissime supplicavit ; deinde conversus per murum exiens inviolabiliter penetravit. Ego vero evigilans cœpi mecum tractare et cogitare qualis esset ista visio, phantastica an vera ; cum ecce nunciatum est mihi istum Dei famulum viam universæ carnis ingressum fuisse, et ob hoc ad sepeliendum illum juxta mandatum vestrum festinantius properare. Jam enim sol oriens in nostra camera radiabat. » Quod audientes veraciter percepimus ipsam fuisse horam qua vir Domini inter manus nostras spiritum exhalavit.

Petrus presbyter de Bulniaco, qui ad istum Dei servum causa sua confitendi peccata singulis annis venire consueverat, retulit nobis quod cum ipse audiisset confessorem suum ex hoc sæculo emigrasse, dixit Clerico suo ut campanas pro sancto viro Dei pulsaret ; cui respondit : « Et quis mihi mercedem retribuet ? » Erant autem ibi cum dicto presbytero nobiles fœminæ colloquentes. Quæ cum vidissent præfatum Clericum mandato Domini sui nolle acquiescere, dixerunt : « Nos te procul dubio, amore sancti viri copiose remunerabimus. » Quo audito currit alacriter et diu pulsavit. Cum enim adhuc pulsaret, subito columba a summo usque deorsum evolans ante pedes pulsantis stetit immobilis ; qua visa statim a pulsatione cessans arripuit eam, et foras cum risu et gaudio ostendit columbam mulieribus et dixit : « Vos certe nunquam pro isto labore mihi quantamlibet mercedem dabitis, quia ab homine isto sancto Dei hoc speciale munus firmiter jam credo et plane confiteor accepisse. » Per omnia benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

NICOLAUS ALBERGATI

EPISC. BONONIENSIS CARDINALIS S. CRUCIS

CAPITULUM I.

ORTUS, EDUCATIO ET STUDIA NICOLAI.

Patrem habuit Petrum Nicolaum, quem præter nobilitatem familiæ et ductam ex litteris gloriam commendabat Tribunitia potestas, Bononiæ tunc authoritatis publicæ arbitra. Is partes secutus, quas *Maltroversa* vocitabant, frangendis Guelforum et Gibellinorum factionibus objectas, probitatis, (ut solet in convulso statu rerum publicarum) fidei et innocentiæ præmium, septenne exilium tulit. Mater Philippa Chioppetia, unica Bartholomæi proles, quem Bononiæ publicum professorem Universitas suspexit. Horum cura parentum nobilis surculus dedit suæ radicis documenta, statimque illo timore imbutus, qui vere sapientes initiat, puer adhuc, puerilia mollia exosus, jam virum senemque sapuit. Cunis et infantia evolutum excepit schola. Parens ipse ingenium filii disciplinis humanioribus formare voluit, quibus ad annum ætatis undecimum instructus, novem consequentes Jurisprudentiæ impendit. Post, ab legibus humanis, æterno afflatus Spiritu, in longe aliam transcriptus scholam, totum ad divinas animum contulit.

CAPITULUM II.

INGRESSUS IN RELIGIOSUM ORDINEM OBITAQUE IN EO OFFICIA.

Fuit hæc Cartusianorum familia, cujus desiderio ardens Nicolaus, jam exul in patria esse, jam solitudinem absens pro patria spirare et quærere; cujus voti compos, in eum qui sequitur modum effectus est, Deo casum vulgarem in sua consilia vertente. Forte an prudens aliquando Nicolaus ex venatione diverterat ad Cartusiam Bononiensem, sed Deo fortuita in nostræ salutis et suæ gloriæ decretorios exitus dispensante, moram traxit ibidem longiorem, repentina pluvia interceptus, quæ illi ubertas divini affluxus et remissionis sanctæ argumentum fuit; pernoctare illic compulsus est, ægre tamen utpote assuetus pedem ignaris parentibus nunquam domo efferre, sed eam molestiam secuta illico lætitia diluit.

Nox erat media cum ad sacros cantus statarum precum noto signo monachi vocantur. Currere Nicolai comites ad rem novam, hærere suspensis in chorum oculis et impatienti curiositate signum æris sacri alterum expectare, cum ad primum nemo tum compareret : verum ad hoc cum præter Laicos adjutores, in templo viderent neminem, recursare ad Nicolaum præcipites, incursare famam, quæ de monachorum vita aspera jactabatur : lectum iis pro choro esse, campanam pro suscitabulo

ad mutandum pigre in strato latus, non ad Deo canendum : nempe sua vulgus prodit malignitas ad hæc de religiosissimis quoque hominibus ferenda judicia, utique suspecta, cum nisi ab temere suspiciosis non edantur.

Auditur interea signum quod monachi de more ultimum opperiebantur; ad hoc se, haud dubie movente Providentia majore, movet etiam Nicolaus sentitque adstrepere propius mature festinantes, cernit notatque singulos, incessus gravitate collectique oris modestia, veteres illos Thebaidis incolas ad vivum referre : odæum ingressos sequitur Nicolaus, in iis stellas septem animo repetit in quibus olim S. Hugo procidentem sibi cum sociis Brunonem per somnum viderat, in vestis candore non jam explorator, sed aperte spectator candorem legit animorum, in cantu querulo vocem turturis agnoscit Sponso gratissimam, mentes affixas cœlestibus in defixis humi oculis contemplatur; fuit hoc denique idem Nicolao quod olim Jacobo spectaculum, nisi quod Jacobus ferri vidit etiam Angelos deorsum, Nicolaus omnes charitate subvectos ad superiora anhelare.

Qui tum fuerit huic sensus, quam dulces lacrymæ, quæ teneritas cogitationum, facile quivis perconjiciet; evasitque huc tandem ejus habitus et vitæ amor, ut postridie mane infimis precibus a Priore ardenter petierit eidem Instituto adjungi. His etsi ultro acquiescebat Prior, nihil tamen censuit properandum, non quod illi monstrandas et præcipiendas animo putaret difficultates suscipiendi negotii, quas ab eo haud mente segnius quam verbis calcari fortiter introspiciebat, sed ne ipsi turbas ac monasterio cieret, si absque parentum venia transactum, Nicolai parentis movisset indignationem, Bononiæ tunc potentissimi.

Redit juvenis domum, hærente intra Cartusiam animo, spe accepta potiundæ brevi, sed in perpetuum, adamatæ habitationis. Redux, patri consilium aperit, eaque mox illi sentit offendicula opponi, quæ in similibus solent teneritates patrum objicere. At cessit denique post menses aliquot filii voto pater, atque optimam sui partem Authori sacrificans, vocanti Deo filium permisit.

Revertentem Prior illico excipit suprema scilicet piorum parentum munitum adprecatione, quam siccis oculis supplex ab collacrymantibus tulerat, ratis æternum vale se filio dicere. Post, religiosa veste induitur, anno ætatis vigesimo, sæculi vero decimi tertii quinto et nonagesimo, atque hinc ille jam alte imbutus, mutatione morum non vestium, stare religiosæ vitæ summam, gradum cœpit ad omnem virtutem incitare. Itaque sepulto penitus voluntatis privatæ arbitrio, totum se ad majorum placita fingere, nihil aut velle aut nolle, quod non iidem censuissent, cæca prudentia ductum illorum sequi; Patrum veterum imitatione,

negare proprios oculos, credere alienis et cæcitate hac voluntaria gaudere.

Jam integritas mentis, nondum sæcularibus obducta fumis, in gradum evasit Angelis affinem; paupertatem habuit pro matre, pro nutrice inediam, contemplationem divinorum pro suavissimo nectare, et hanc fabricæ tantæ molem humilitatis solidæ sapiens ædificator imposuit, purgandus simul et jam Deo junctus, emeritus et adhuc Novitius, artifice gratia eodem in homine metam et stadium, rudem veteranumque copulante. Experimentum virtutis egregiæ, maxime vero prudentiæ singularis, quinquenne præbuerat, cum Præsidibus visum est, productum e cellula gubernationi admovere : multis ergo locis subinde præfuit, Florentiæ, Bononiæ, Romæ etiam, ubi egit item Procuratorem sui Ordinis generalem, et ardens ubique studium pietatis cum dexteritate agendi eximia probavit.

Contigit vero annis novem post millesimum quadringentesimum ut Joannes Franciscus Gonzaga Marchio, Cartusianis cœnobium Mantuæ destinaret, pioque Principis illius studio ab iis in Conventum generalem annuum coactis cum gratiarum actione collaudato, illuc mitteretur præfuturus operi Nicolaus, annum agens religioso in habitu quartum et decimum, ætatis trigesimum quartum : jecit fundamenta ædificii utriusque, tum materiati ad fabricam, tum religiosissimi exempli ad sanctimoniam, semper sibi similis, aut se ipso major; traductoque in iis septennio Bononiam revertitur, ubi Prioratum eadem qua olim integritatis laude repetiit.

Spargebatur itaque in dies latius virtutum ejus fragrantia, eratque in omnium ore; sed fama res ipsas non æquabat; quamvis enim posset pro ratione officii sæcularium consuetudine interdum uti, eam tamen quoad poterat declinavit. Quæ latendi cura auxit apud illos magnopere venerationem, solitis fere hominibus religiosos viros publicum vitantes ambitu majore expetere, contra vero ab iis multum abhorrere a quibus se vident importunius ambiri : hos enim jure contemptu suo dignos putant, quos animadvertunt implicare se denuo relictis fluxorum ambagibus, et odisse quodammodo lucem illam, in quam ex sæculo fuerant cooptati. Quare Nicolao, ex quo se primum Deo consecravit, latebris suis nihil fuit antiquius; velut in sede nativæ quietis ita secum solus habitabat, cum hominibus nisi ægre et vim patiens quamdam subsistebat. Vocatus, ut plurimum, solerti excusatione congressum evadebat, vel etiam comiter abnuebat, neque propterea ubi charitas exegisset, parciorem sui præbebat copiam, sed paucis cumulate et opem poscentes et consulentes dimittebat.

Adibant illum Bononienses varie jactati, et suis in rebus rogabant sententiam observabantque velut a prudentiæ oraculo profectam; suum autem solenne

perpetuo tenuit, ut terrena tractans collinearet in aliquid pium, et ex civilibus miro candore ac solertia sermonem flecteret in divina. Verum solitariæ vitæ liquidissimas voluptates, increati Spiritus intimos congressus et afflatus cum anima beati secessus angustias amante, solitudinis frequentiam veris ejus notam cultoribus, cœlo quam parum distaret cella, nullum finem fecit prædicandi ; quibus victi complures abstrahebantur amica vi ab rebus caducis, et religiosis Ordinibus nomen dabant. Denique omnibus et venerabilis et adjumento ac solatio fuit ; nec erat qui sibi vel unicum ejus colloquium non gratularetur vehementer, censeretque se illius tanquam Angeli corporati congressione fortunatum.

CAPITULUM III.

ELECTIO AD EPISCOPATUM.

Atque eo quidem tempore ob insignem famam integritatis atque sapientiæ celebratus, Bononiensis quoque Ecclesiæ Episcopus magna populi consensione delectus est. Cui Deus hanc occasionem aperuit. Anno Domini 1415, Comitiis Pontificiis diu haud sine ingenti populorum admurmuratione in Concilio Constantiensi protractis, cum post septem menses Pontifex adhuc in Ecclesia nullus esset, Canetuli ac Bentivoli, familiæ duæ illa tempestate opibus ac clientelis Bononiæ præpollentes, tempus oblatum esse veteris libertatis recuperandæ duxerunt ; ac consiliis inter se occulte compositis, sequenti anno pridie Nonas Januarias, cum armatis factionibus in palatium irruperunt, ac Legato quem Joannes XXIII Pontifex abdicatus imposuerat exturbato, Rempublicam popularem, quem statum libertatis vocaverant, reduxerunt.

Mox quoniam sexcentorum Consilium commode ad subitas convocari consultationes non poterat, sexdecim viros constituerunt, qui Consilii authoritate ornati omnibus rebus prospicerent, quæ celerem Concilii explicationem desiderarent. Ita proximo anno, Joanne Episcopo 4 Nonas Januarii mortuo, Magistratus penes quos ipsa fuerat Respublica collocata, jus eligendi Episcopi ad se recidisse interpretantes, sexaginta viris, quorum injussu nihil constitui poterat, advocatis, plures eximiæ doctrinæ probitatisque viros nominarunt ; qui singulis diligenti atque accurata ratione perpensis, unum Nicolaum Albergatum Priorem Cartusiæ prætulere. Eorum vero judicium Antiani ac reliqui Magistratus, ac demum universum sexcentorum Consilium ita probavit, ut nemo plane de illius dignitate meritisque dissenserit. Itaque Consilio tertia noctis hora dimisso, multi, patefacta urbis porta, magna properatione, ut tanti nuncii fructum præriperent, Cartusiam adierunt, ac Nicolao judicium ac decretum civitatis aperuerunt, eique honorem et privatim et publice gratulati, ut postridie in urbem ad dignitatem

accipiendam et gratias Consilio ipsi agendas accederet, invitarunt.

Ictus inopinato nuncio Nicolaus voce et motu diu caruit, solo silentio respuens quod ingerebatur; nam solitario aptari infulas, perinde ut alas testudini censebat (ita enim de se sentiunt Dei servi, quamvis alioqui flaccidis et marcentibus coronis sed æternis donandi); ubi vero se paulum collegit, in altum mœrorem converso metu, ægre fletus amaros et querelas pressit, iis se conditionibus adactum videns quæ monasterii, cellulæ, solitudinis jacturam, hoc est patriæ et chari niduli ac sponsæ secum ferrent. Sed jam crescentibus multitudinis importunæ faustis acclamationibus, animo in cœlum, vultu in populum intentus : « Nihil hac vestra fuit, o cives mei, testificatione nova opus veteris erga me benevolentiæ, nec me propterea teneri arbitror nomine gratiarum, nisi, ut ingenue loquar, ejus vobis gratias egero, quo mihi chara pax et tranquillitas mentis eripitur : et habeo quidem benevolentiæ gratias, sed habiturus haud paulo majores, si hæc mihi hoc boni optasset, cui me pridem authoraverat Deus, ut nimirum exul in terris degerem, nedum hospes atque peregrinus. Nolite omni spiritui credere, quid si a maligno spiritu fuerit, quod putatis ab divino ortum ; nescitis artes fraudulenti hostis nulla unquam specie plausibiliori quam probitatis et religionis fucari solitas.

« Scitote, filii, voces populi omnes, non continuo esse voces Dei. Ne vobis, obsecro, ne mihi pergite fraudi esse : nam quid hoc monstri est ? Jam inde ab annis viginti duobus sepultum cadaver ad vestri gubernationem effodere ? Nolite pacem mortui turbare : erit vobis sepultus quam inter vivos utilior, vobisque timorem Dei sanctum, in quo vera est vita, impetrabit. Latet forte vos quid sit mori viventem et esse Christo consepultum ; error est tamen monachum postulare, neque hunc urbanum, sed ab sæculo profugum et solitudini mancipatum : talemne deceat Bononiæ præfici, a Majoribus vestris exquirite.

« Viderunt illi S. Petronium haud certe ex eremo, sed ex aulæ Imperatoriæ clara luce, ad vestri regimen evocatum ; non sum usque adeo mei amans, ut me quoque patriæ filium, patriæ debitorem, et affectu ingenito addictum non sentiam ; sed sunt certi fines quos mihi transgredi nefas est : novit enim is cui tenebræ lucent, his tot vexata navi periculis, an Jonæ somnum incurius dormiam, vel cum Apostolis exclamem : *Domine, salva nos, perimus.* Ite per Deum, cum Deo, charissimi, et idoneum vobis Pastorem quærite. Cartusianum rudem inter professa silentia quietum omittite, certi hoc Deo gratissimum fore. »

Hæc eo ardentius quo simplicius ab eo dicta, præter spem vero a populo patientius audita, id unum egerunt quod agunt allisi ad scopulum fluctus : Nicolaum renisus digniorem infulis ex-

hibebat, et delectus repulsa, magnis velut authoritatibus delectum confirmabat; reclamanti acclamabatur fortius et desideriis populi; Nicolai dissensus, faces et pabula suggerebat; deposcebatur contentis vocibus in Pastorem, in Patrem, in Episcopum Nicolaus, quivis alius arcebatur. Neque diffiteor profanas manus a populo in sanctuarium immissas et in jura non sua involatum; in ejus tamen peccati exitum collineabat is oculus qui tam falli non potest quam non esse. Peccabant cives legendo Episcopo, sed hunc designaverat Deus Episcopum, ad hoc hominum culpas haud raro patiens, ut grande aliquod ex iis bonum excludat tanquam *mel de petra oleumque de saxo durissimo*.

Inter cœpta urgentes, Nicolaus, naviculæ instar ventis reflantibus obluctantis, aptam sibi visus est remoram invenisse; negavit, ut vellet maxime, licere sibi, nisi et consulto et annuente Reverendissimo sui Ordinis Generali, aures eorum postulatis præbere. Degit is in Cartusia Majore, in horrido asperrimorum in Gallia montium, Gratianopoli haud multum dissita; hinc ergo apud se Nicolaus: vel Bononienses destinaturos certum hominem, qui Generali totum ipsorum negotium probaret, (quam viam ob longinquitatem vix inituri videbantur): vel eodem per literas sua vota missuros, et hic sibi quoque per literas excusationis et defensionis tempus fore; sic ipse philosophabatur, suorum et spretor et inscius meritorum, ob quæ potiunda vel tota Bononia (nedum ejus Legati) supplicatum in Galliam lubens transvolasset. Nicolai mentem cum ad Magistratum populus retulisset, Gratianopolim Antonius Albergatus mox publice mittitur, et legum peritissimus et Nicolao sanguine proximus, ut Generalis assensum populi votis adjungeret Nicolaum Episcopum flagitantis, hanc Bononienses in summis gratiam habituros.

Ex alia parte Nicolaus per fidum alium antevertit Generalis animum occupare, rogans, per quidquid est, teneris et ardentibus literis, ne vellet postulationi suorum populorum assentiri, vereri enim se graviter ne tanti muneris ponderi vasto impar, sub onere caderet. Secutus haud diu post Januario mense Antonius, magnis itineribus ad Cartusiam pervenit, eamdem a primo jam illius aspectu exempli vim sentiens, quam erat diu Bononiæ ad S. Hieronymi Cartusiam expertus: exquisita nimirum asceticæ illius ratio Institutique substantia, ubique eadem, nihil usquam vel demi patitur vel addi, nec ulli Cartusiæ quicquam deest monasticæ absolutionis. Majoris Cartusiæ (in qua est sedes Generalis Nostri) cognomentum venerationem auget, ob asperitatem vitæ incolarum hujus eremi: Generalis vero immunitate scilicet illa gaudet, ut ea careat exili etiam recreatione quæ Spatiamenti nomine cæteris indulgetur; ejus deliciæ, vita rupibus

asperis conclusa, et æternis nivibus damnata; prærogativa, vitæ asperitas et diligentior quam privati cujusvis exercitatio.

Huic Antonius quæ in mandatis habuerat exponit, electionis ordinem et eventum in unum incubuisse Nicolaum; suspensam ex Pastore boni publici expectationem; alium perturbatissima tempora non ferre; hunc ipsum poscere; acclamatum illi populi totius incredibili gratulatione; verum illum omnibus reniti; extortum denique ab eo, ut de se nihil vellet fieri, nisi quod statuisset Generalis. Obibat id temporis tantum munus Guillelmus de Mota; hunc rogat Antonius, quando tota in ejus arbitrio res esset, tam justis accederet votis : et hoc professis pridem Bononiensium in Cartusiam studiis, hoc meritissimæ civitati; sibi hoc demisse supplicanti daret; sed necessitati præcipue animarum temporum vitio misere in præceps ruentium, quas posset unius Nicolai opera ab exitio revocare.

Audivit perhumaniter orantem Generalis, cum jam ab Nicolao etiam literas perlegisset; unde contrariis utrinque precibus arctatus, rem quæri a Deo respondit oportere, quod significasset id se pro rato habiturum. Adhibita igitur sub noctem oratione ad Deum vehementi, ab eo petiit, si gratum haberet dari Nicolaum Bononiæ Præsulem, Conventus universi communi assensu id approbare dignaretur, si cordi non foret aliquorum dissensu improbare. Mirum dictu planeque insolens! postridie mane, post celebratum de Spiritu Sancto ritu solemni Sacrum, rogatasque in legitimo Conventu suorum sententias super Nicolai Episcopatu, fuit omnium una vox nemine discrepante : « Oblatum munus audenter admitteret, et rem Deo placere. » Quibus auditis, Generalis : « Idem quoque, ait, omnino sentio; hanc enim supplex a Deo petieram tam consentientem omnium vestrum approbationem pro argumento divinæ voluntatis; » idemque præsenti Antonio et Nicolao absenti respondit, hortatus magnopere ne subducere se oneri pergeret cœlitus injecto.

Lætus hunc suæ legationis fructum Antonius, mense Maio, Bononiam optatissimus retulit. Vocatur itaque publicis iterum nunciis ad suscipiendam Ecclesiam Nicolaus : et venit quidem, ne inurbanius denique ab eo se sperni vocantes crederent; verum ad integratas eorum preces et studia excusare se denuo indignum, inhabilem, immerentem; quæ ubi minime audiuntur, iis tandem hac lege se se permittere, si populi postulationem Cleri suffragia confirmarent, cujus esset sacros delectus habere.

Colliguntur Canonici ad ejus electionem de more peragendam, quem ante judiciis et animo legerant; conveniunt ultro et absque vi, nullo resistente, quippe omnium admiratione ac desideriis Dei servus in Episcopum poscebatur. Lecto ab iis Nicolao jamque

effugia desperanti succurrit de Metropolita archiepiscopus Ravennæ Thomas Perondolo Ferrariensis : vacante sede confectum jure nihil fore nisi prius author is fieret. Incredibile est tot diverticula minime cives fatigasse ; leгantur Ferrariam, eodem Maio, Petrus Ramponus et Antonius Brunus Canonici, remque (adeo per se justa erat) impetratam reportant.

Exarmatus undique Nicolaus, hic vero in genua procidere, certare precibus, in lamenta solvi et querimonias haud secus ut si abs se capitis deprecaretur judicium. Incendebant hæ preces affectus civium, crescebant voces Nicolaum Albergatum sonantes præter hunc quemlibet excludentes ; moris deinceps omnibus sublatis, rogatur Archiepiscopus, ut quem suo ornasset suffragio inaugurarel potestate. Bononiam venit, Nicolaum in Palatium accersit, suadet, erigit, consolatur, sed surdum, refugum, obnitentem suæque solitudini affixum ; quare sancto ardore inflammatus monet etiam atque etiam, videret ne in duritiem et pertinaciam ejus constantia verteretur, ac ne infularum, quo tenebatur, horror, hominis esset seipsum potius nimium amantis quam lucem illarum fugitantis ; ad eas nunc ab eodem vocari a quo esset in cellæ arcano per duos et viginti annos ad illas instructus; recusandi locum exin præterea non esse, nec Dei mandata deberi ex interpretibus Angelis expectari, sed ex hominibus accipi, per quos suam Ecclesiam regeret ; « nam esto, aiebat, prudentiæ fuerit populo obstitisse, Clero modestiæ, Metropolitæ... (possem in alio rem suo nomine notare, in te vetat probitas tua ne faciam), hoc solum quod possum ac debeo, testor improbum hunc solitudinis amorem, cum dies suprema illuxerit, non fore usque adeo ut credis probabilem ; et faxit Deus, Nicolae, ne multarum reus animarum sistaris, ex te sane ovium perditarum requiretur sanguis quibus te Deus pascendis nunc præficit ; mitte, quæso, hunc jam præposterum solitudinis ardorem, et vocanti Deo placide manum præbe. »

Hoc velut afflatu lenissimo tempestas posuit quæ diu Nicolaum agitarat, hausit Præsulis voces tanquam cœlo missas, et oblato honori acquievit, sed interposita contestatione : primum nullos se penitus facturum sumptus in diploma quod esset a Summo Pontifice obtinendum, nec sibi monacho pauperi et egeno unde fierent suppetere ; ab agnatis vero, quibus erat jamdudum mortuus et quos vice versa pro mortuis ducebat, minime quæsiturum ; deinde castella duo repetere Centum et Plebem Episcopatui detracta. Quæ cum Magistratus libenter admitterent, nihil jam supererat quo sacra illius inauguratio differretur.

CAPITULUM IV.

CONSECRATIO ET VITÆ RATIO IN EPISCOPATU.

Post tot igitur pugnas et declinationum ambages, flexus demum Archiepi-

scopi monitis Nicolaus, imo aperta Dei voluntate, die Julii 4, ævi decimi quarti decimo septimo, ætatis quadragesimo secundo, solitudinis vigesimo altero, inter festos confertissimi populi applausus et Nobilitatis ad Petrum Nicolaum ejus patrem gratulationes, summa bonorum lætitia, improborum timore, sed tamen benevolo, ad S. Hieronymi Cartusianorum rite est consecratus. Inde amplexibus salutationum in Fratres et charissimos filios divisis, Bononiam versus novus Sponsus ad Sponsam iter comitatu nobili relegit.

Fervebant stipatæ novo semper concursu viæ, obstititque non semel incedenti procidentium ad pedes tenera pietas, parente ac Pastore plena tanto ambitu expedito, et redivivum in eo S. Petronium venerata in mediis tot civium millibus. Ut portas attigit, paulisper substitit; post ab Clero et Magistratibus sub umbella eques ad S. Stephani deductus, pedes inde ac nudis pedibus ad S. Petri Basilicam perrexit, ubi inter effusas intergestientium acclamationes flens ipse ubertim, possessionem ministerii sui Episcopus iniit. Sed ejus mensuram cujusnam ad archetypi amussim implere statuerit, melius cogitationi legentium quam stylo impari committam.

Patet illum sibi præcessores suos animo objecisse, qui singulari virtutum splendore Christianitati illuxerant, fixumque apud se destinasse in sede Præsulis retinere Cartusianum, in turbis mediis eremitam, et Deo bene propitio utramque personam, et cellam palatio amico nexu, salvo utrobique jure, conjungere; quod ubi statuerat, ita confestim in opus contulit; adeo nihil est volenti arduum, et difficultatem non res ipsa virtuti sed nostra ignavia affingit.

Cartusiani habitum integrum, nedum colorem perpetuo gestavit, nocturnas cœnobii vigilias constanter tenuit; in sacco vestitus qui erat ei pro lectulo somnum cepit, ne vel hoc paululum quietis labore pœnitentiæ careret. Victus porro tenuitas eadem, cilicii, jejuniorum, precationum idem ordo; castigatus verecundia oculus interior ex sui despicientia, ne cogitatu quidem mitræ apicem respectans; magnis quin potius accessionibus in Episcopatu partas olim virtutes cumulavit, gnarus majora a Prælato quam a gregario monacho exigi, seque jam candelabro impositum ad lucem fundendam latius obstringi. In assueto tantum silentio et si aliquid mutavit, sed nihil violavit, nusquam eo, nisi ad Dei gloriam utilitatemque hominum, soluto.

Fuit illi Ecclesiæ census patrimonium pauperum, in quibus se ipsum annumerans, inde sibi, inde familiæ (quam et parvam semper et probam voluit) necessaria arrogabat; nec erat timendum filiis, ne ipsorum panis canibus daretur, neque pauperibus dolendum, quod plenis equorum stabulis ipsi atrio pellerentur. Equo uno contentus, sibi

parcissimus, familiæ providus, egenis liberalissimus quos sibi pro fratribus et Christi filiis habebat charissimos; sed ei nihil prius cordi fuit quam ut Dei verbo populum pasceret, in quo palam fecit bene dicendi artem nullo præstantius quam magistro silentio parari.

Vigilem curam adhibuit puellis elocandis, quarum pudor et salus periclitaretur, plurimasque nullis parcens impensis dotavit, ut qui probe nosset, rem pauperum Præsulum bonis contineri. Ad hæc Nobiles sed fortunis lapsos dici non potest quantopere misereretur, erigeret, juvaret, quod eos reverentia sui ortus minime sineret victum quibuslibet artibus quærere; suum itaque illum tutelarem Nicolaum Myrensem imitatus, clam iis triticum et pecunias submittebat. Inter hæc tamen virtutum decora, mirifice nituit doctorum hominum, quam gessit, sollicita tutela; fuit ævi sui illorum Mæcenas, eosque ad præfecturas Ecclesiæ promovit successu tam prospero, ut ex ejus manu ac domo Pontifices duo, Nicolaus V et Pius II, prodierint, quorum utrumque ab secretis habuerat. Franciscum Philelphum græce ac latine eruditissimum, nativo e pulvere sublatum commodis et honoribus auxit.

In his tot tam præclare gestis, serenitas quædam agendique ratio placida et mitis eum cunctis præbebat amabilem, demirantibus ubique constantem diversissimis in argumentis animum, in congressu affabilem, in audiendo assiduum, in negotiis liberum, et eorum ac sui dominum, ubique patrem, benignum, commodum, nusquam disciplinæ, severitatis, æquitatis, decoris, gravitatis immemorem: sensu in propinquos afficiebatur sic ab humanis perpurgato, nihil ut unquam dederit non egenti, certus Christi sanguine intinctas Episcoporum facultates nihil ad sæculum attinere, et esse duntaxat earum dispensatorem Episcopum.

Quare secum domi agnatorum habuit neminem, dictitans solere ab agnatis domos Præsulum interturbari; nec ob id tamen fratrum filios neglexit, sed educavit sollicite, sub manu præstantissimorum doctrina et moribus magistrorum, in quibus fuisse legitur cujus paulo ante meminimus Thomas Serzanensis, post in throno Ecclesiæ Nicolaus V. His ergo tam splendidis lætisque principiis sat pronum fuit haud absimiles progressus ducere, de quibus proxime distinctius sequitur.

CAPITULUM V.

DE FLAGRANTI STUDIO REFORMANDÆ BONONIENSIS ECCLESIÆ.

Inter cæteras Italiæ urbes, Bononia, Præsulibus diu subjecta sanctissimis, fuerat peculiari quadam laude spectabilis; at ex illa in Romanam Sedem rebellione tam diuturna, certique Capitis ignoratione multum squaloris contraxerat, quem licet fere alibi communem

haudquaquam purgabat multitudo, utpote ex S. Hieronymo pessima peccantium patrona.

Observare igitur Dei servus plebis suæ morbos et maculas, meditari remedia, parare medicinam. Quo parturiente tam sancta consilia, vulgatur fama longe omnium exoptatissima : defectionis videlicet per Constantiensem Synodum rescissa capita ; Christianitatem unitati catholicæ redditam post trienne Pontificatus interregnum ; decretam quadragesima sessione, peractam quadragesima prima, post horam de meridie primam, more majorum, electionem Romani Pontificis : Cardinales octo et viginti in suffragium ivisse, interfuisse religiosos viros numero triginta, ut constituerat proxima sessio, omnes initiatos sacris, sed partim Præsules, partim Ordinum variorum, pro Italia senos, pro aliarum singulis, Gallia, Germania, Hispania, Anglia totidem ; Novembris undecimo, communibus Cardinalium et Prælatorum suffragiis Othonem Columnam, Agapiti filium nobilitatis splendore notissimum, in Petri Sede collocatum, Martinum dici voluisse (quod festo ejus Sancti die confecta res esset) et quintum eo nomine vocatum ; tertius revero dicendus, quod vulgi hallucinatio pro Marinis duobus Martinos duos interposuerit.

His plenus lætitiis Nicolaus expleri agendis Deo gratiis nequibat, cum Christi navem certo dudum Navarcho destitutam, nunc ejus videret in caput manumque traditam, quo nec poterat sperari dignior, nec sapientior ; totisque jam velis in portum ferri, quam diu implicitam syrtibus et periculis duxerat. Accessit communibus propria item spes Bononiensis Ecclesiæ ad conceptam animo designationem facilius refingendæ ; qua in re nihil prius movendum credidit, quam solenni adoratione sanctum Summo Pastori profiteretur obsequium.

Ad hæc suo e Clero lectissimo Constantiam legat, qui dato pedibus humili osculo, confirmationem electi Præsulis nullo negotio impetrarunt, multiplicibus testimoniis de præstanti Nicolai virtute et sanctimonia obliterantibus e Pontificis animo Bononiensium præteritos motus. Hac erectus approbatione, et ab Sede Apostolica spiritus hauriens majores, admovet gregi restituendo manum, et in Maii diem vigesimum, anni decimi octavi supra millesimum quadringentesimum, Synodum indicit. In hac probe doctus multitudo legum servandis legibus quantum obsit, et novas, dum sufficiunt antiquæ, nihil præter ferentis memoriam habere, sed inanem et sensu parendi vacuam, condendis novis prorsus abstinuit ; latas a Bernardo præcessore suo sapientissimo, sed labe temporum prope sepultas excitavit.

Quibus instauratis, omnibus edixit, observatio illarum diligentissima sibi quantopere cordi esset, atque ad eam boni ducis officio functus, suo ubique

cœpit exemplo præire; unde ut propiores Deo mentes sua in subjectas lumina tribuunt, ita pios instinctus Canonicorum collegio sic influxit, ut repente mutatum nævos omnes primæ laxitatis absterserit. Complectendis Nicolai decretis visi sunt omnes in partem venisse illius animi quo fervebat ad illa observanda.

Illo itaque Conventu nullum erat spectaculum pulchrius : frequentes in choro, in cantu pii ac modesti, plurimum denique de magistro Cartusiano Præsule referentes. Et jam sacrum unguentum Aaronis e capite in oram defluxerat vestimenti, nec modo Canonici, sed parochi etiam, cæteri sacerdotes, Clerusque universus, doctore ac duce Episcopo munus suum perfectissime obibant; quibus ne dissimiles olim succederent, seminarium eorum instituit, eaque industria, sollicitudine, teneritate excoluit, ut pupillam oculi vocitaret. Dedit insuper egregiam operam, ut, quo par est studio, in suas ecclesias afficerentur Curiones, iisque ad hoc reipsa præluxit : nam episcopalis cathedræ multis locis informe templum restituit, multis ornavit donariis, auxit duplici mansione, in quas tamen patrocinii jus penes suos manere noluit.

Campanariam extruxit turrim e lignea saxeam, eamque plumbo texit; annuum oleum ad fovendam coram augustissimo Sacramento lucernam perpetuam assignavit; laxavit Episcopium aula una et multis conclavibus, haud quidem commoditatis suæ causa, ut cui nihil foret commodius quam incommodi aliquid pro Christo perpeti, sed Episcoporum Bononiensium, quibus sibi, quid potissimum deceret videndum in futurum putabat; fundavit et bibliothecam de cujus magnificentia potest de nonnullis ejus reliquis utcumque conjici.

Quibus tam variis et efficacibus documentis erudiri Clericos voluit, non esse proventus altaris nisi usibus ecclesiasticis occupandos; et processit hac cura ulterius extra septa ecclesiæ propriæ in monasteria, quibus fuit semper insignis Bononia. Nam ævi illius infelicitate nonnulla perierant, et Canonicorum duo collegia bellorum injuria jacebant pene vacua Regularibus : eorum alterum S. Gregorii extra portam S. Vitalis, ad Priorem unum unumque Canonicum redactum, a primis S. Augustini, ad novos S. Georgii in Alga Canonicos volente Pontifice transtulit; alterum B. Mariæ ad Rhenum S. Salvatoris intra urbem cœnobio junxit; jungi quoque B. Joannis in Monte cum S. Victoris monasterium probavit.

At his prudenter et sancte gerendis præmisit opus summæ pietatis, addicto nothis abjectisque infantibus xenodochio infirmorum et iter agentium, quod S. Mariæ a Charitate dicebatur. Quam mutationem nemo non eximie piam et necessariam laudavit : atque ut ex animi sententia cederet, huic parum ab redditibus instructo alia quatuor

auctiora conferre aliquid de suo jussit nosocomia, scilicet S. Petri, S. Proculi, S. Boni, ac Pontis Rheni, et cum his pariter monasterium a Montevigili.

Cleri tandem purgatus in hunc modum candor, ad laicos etiam se fudit; aggressus inveteratam licentiam beatus Præsul sacris concionibus stringere, primos e Nobilitate primaria paternis monitis obsequentes vidit, crebro iis intonans nobilitatem sanguinis aliam non esse nisi quam animaret sanctus Dei timor. Exemplo Nobilium, ut fere proclivis est, plebs quoque resipuit : certatim ad templa cursare, frequentes in officiis pietatis, in Sacramentorum usu esse, Pastoris imitatione suam cum egenis buccellam partiri, matronæ in luxu vestium morem etiam invectum spernere, hortanteque acriter Nicolao mundum muliebrem, tametsi charissimum, magna ex parte abjicere.

De Religiosis sub regula positis, tum viris tum monialibus, nihil dico quantis in virtute profectibus, Cartusiano Præsule viam per se monstrante, promoverint. Verum, ut ad singularia veniamus, urbs illa quondam assueta morum integritate delectari, ludendi libidine jam furens, nec patrimonia, nec leges divinas, nec offensiones ad populum quotidianas attendebat ; imperato lusoribus tributo rem improbissimam purgari quodammodo persuasit. Execratus est deformem ac detestabilem usum Nicolaus, nec ante destitit turpitudinem illius cladesque inculcare quam cerneret proculcatum, quin et formidabili edicto tributum pariter et conventicula damnarit. Meretricibus vero ad frugem retrahendis quid curæ ac laboris vir sanctissimus non impendit? lugebat diu noctuque tot strages animarum, ac demum pereundi ansæ ne passim occurreret, unum urbis in vicum trudi omnes jussit.

Inoleverat inter cæteros abusus, qui Christi famulo visus est intolerabilis : usurpabant effreni audacia Judæi promiscuam cum Christianis consuetudinem, et servitutem obliti suam, ac perperam Ecclesiæ usi lenitate, affectabant insolentem quamdam et offensionis plenam libertatem, et velut nexu omni soluti nullique jam notæ obnoxii, nullo conditionis discrimine agebant inter Christianos. Hanc Episcopus non ferens maculam Christianæ adspergi disciplinæ cum religionis probitatisque detrimento, ab Innocentio III editam in Lateranensi Concilio sanctionem gravi censura instauravit, qua compellebantur croceo circa galerum signo profiteri quod erant; ad hæc eorum impudentiam coercuit suas festis diebus pandendi tabernas et per majora jejunia macellum carnium, quos non pudebat Dei et Præsulis dedecus iis mancipiis infamibus favere.

Sed hæc optime constituta calcarunt projectius scelerati, eo invaluerat audax perfidia, quorumdam fulta subsidio; multorum enim semper ulcus fuit hoc, ut suam potentiam nihili æstiment,

nisi eam in viris summe venerandis contra fas et verum impugnandis scilicet ostentarent. Hic noster Episcopus, doctus virga Pastoris tam lupos avertere quam oves cogere, sub hæc primordia illam strinxit, et obstinantes absque discrimine Judæos misceri Christianis, sacroque ipso Paschæ die aperta propola, ipsis jejuniis in Ecclesiæ contemptum carnes in publico venales habere, reperit, quo illos ad vivum tangeret; cumque sua in recula et lucris toti sint, eorum usuras resecuit, sanxitque asses tantummodo in libram quatuor fœnus solvi, pro senis quos eatenus corrodebant, et profuit congruum insanis remedium.

Denique ut verbo concludam, nullus ordo fuit qui disciplinæ morem non gereret, ipsisque adeo ab Judæis a quibus nisi extorta obedientia non fuit expectanda, cæterorum nemo eam recusavit. Clerici, laici, cives ac Nobiles illam complexi sunt ut pacis disciplinam, et paucis mensibus Bononia jam non illa, diœcesis jam altera, succisis morum corruptelis, comparuit. Hinc Nicolao apud homines ingens fama, hinc veneratio, quin et officia tunc licet desueta, et aliorum transeuntis ad pedes dejectio, aliorum nudipedalia inter publicas Supplicationes, quod in iis semper pedibus nudis procederet : tanti est prælucens exemplo Præsul, tanti optimum caput ad vitæ bonitatem membris cæteris dividendam.

CAPITULUM VI.

NICOLAI APUD MARTINUM V PONTIFICEM EXISTIMATIO.

Qua erat apud omnes qui eum noverant opinione prudentiæ, sanctitatis atque constantiæ, eadem viguit apud Martinum V, multis apud illum deprædicantibus Nicolaum, et fama ubique in ejus præconium mille ora pandente ; nec est angusta laus illi se Pontifici probasse, quem clare probarat Synodus : privatis affectibus adeo nihil dare, ut nusquam unas potius in partes visus sit quam in alias inflecti, æqui amantem, promptum ingenio, perspicacitate singulari, et quod hinc sequi necesse est, laudum rumoribus minime credulum, nisi ex certo sibi constitissent. Quo æstimatore tam justo et tanto potest liquidius Nicolao pretium statui.

Hujus de illo judicii præclari et integri argumentum est imprimis, quod liberali magnoque animo ejus in Antistitem delectum confirmavit, non sede tantum vacante habitum, sed et diro schismate vexata, cum fieret propemodum nihil de quo non statim quærendum incideret an jure factum videretur ; deinde quod labori parcens quoad jurandam Pontifici fidem adhuc in Germania posito, (erat iter longissimum sumptuosumque defuncturus), suas in excipiendo illo vices Mutinensi et Imolano Episcopis tribuit, deditque ad eos diploma quod a Sigonio refertur :

« Cum Nos nuper electionem de per-

sona Fratris nostri Nicolai episcopi Bononiensis, per dilectos filios Capituli Ecclesiæ Bononiensis ad eamdem Ecclesiam, tunc Pastoris solatio destitutam, necnon ejusmodi electionis confirmationem, et consecrationis impensionem, eidem Nicolao Episcopo per venerabilem Fratrem nostrum Thomam archiepiscopum Ravennatem, auctoritate ordinaria, Sede Apostolica vacante, factas, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica duxerimus ratificandas ac etiam approbandas : Nos volentes ejusdem Episcopi in illis partibus commorantis parcere laboribus ac expensis, ne per hoc cogatur veniendo ad Romanam Curiam personaliter laborare, Fraternitati vestræ, auctoritate præsentium, committimus ac mandamus, quatenus ab eodem Episcopo nostro et Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ recipiatis, seu alter vestrum recipiat juramentum juxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus interclusam. »

Hoc autem jusjurandum Martinus eo studiosius requisivit, quod Bononiam ab Ecclesiæ authoritate remotam acerbissime ferens, quantum ad eam recuperandam spectata Nicolai Episcopi authoritas habitura ponderis esset, non ignoraret.

Itaque cum paulo post Constantia Mantuam concessisset, ac dies noctesque de Bononia recipienda Martinus cogitaret, ipsum statim ad se venire præcepit, atque humaniter imprimis acceptum, per multas dies secum in eisdem ædibus habuit ; atque omnia, quæ ille postulavit, mira liberalitate indulsit. At eum quanti Pontifex faceret, ejus prudentiæ et sanctimoniæ quantum confideret, ex eo maxime patuit, quod illi voluit commendatum, ut Bononienses in antiqua Sedis Apostolicæ reverentia contineret, sperare se, illo pro pastorali officio adnitente, nativam pietatem Bononiensium edituram fructus haudquaquam degeneres ; id si aliquandiu non fecissent, annorum malignitati adscribendum : trahit enim vel bonos malignitas temporum, spirant interdum anni quiddam maleficum, quod cœlestis beneficio luminis discuti vix possit. Injunxit præterea, ut ab se sinceram illi civitati benevolentiam sponderet, opperiri dum reciperent se se, atque ipse oblitus quidquid præterisset, illos omni beneficentiæ genere ornaret; quin etiam velle donec Roma turbari desineret apud eos Bononiæ morari.

His honestatus mandatis Nicolaus et testimoniis eximiæ de se opinionis apud Papam, Bononiam regreditur et mentem Pontificis ac propensum in cives animum coram edisserit, sed frustra : adeo tum alia omnia, tum vero ingenitam Bononiensibus pietatem diabolicum schisma fœdaverat, cujus etsi lecto Pontifice coierant vulnera, sed nondum evanuerant cicatrices. Mandata Pontificis aure valde aversa excepit populus; depascebatur eorum intima ignis libertatis semel in iis furiose accensus : oderant morte pejus clientelaris

juris umbram omnem, quolibet titulo pingeretur.

Leniit tamen illorum animos bonus Pastor, cui nihil erat pace jucundius; ipsique per se se Pontificis potentia territi, quamvis inter se extrema omnia locuti, molli tamen responso retinere benevolum maluerunt quam contumaci ad bellum movere. Quare proximo abhinc anno legatos ad eum cum Episcopo duos mittunt, promittunt annua in tributum aureorum septem millia, equites ad bellum (sed intra semestre) quot pro suo arbitrio censeret, orant boni consulat deinceps reipublicæ formam a Bononiensibus teneri, eosque sua gaudere libertate; breviter, extra jus christianæ obedientiæ, aliud nullum ex ipsis requireret. Hæc ab Nicolao legationis præside narrata, prudentiæ exquisitissimæ Pontifex tunc quidem placide admisit, nec vim tempori afferre, sed potius tantisper cedere dum opportunius aliquid adveheret dies, et præstare ut partem civitatis eamque meliorem amicam retineret et tributariam, esto parcius subjectam, quam totam perderet.

Ita sapiens Pontifex insitos ardentis animi ac nobiles spiritus temperavit, pro solenni habens hominum cogitationes opere ipso prævertere, et se occasionum necessitati quandoque commodare, ut eas in posterum haberet obsequentes: digna Pontifice cautio. A quo reversus Bononiam Nicolaus ad Maii vigesimum octavum, anni a millesimo quadringentesimi decimi octavi, patrem invenit graviter decumbentem, eique grassante in exitium morbo, jacenti atque morienti sedulitate omni opeque præsto fuit; efflavit in ejus amplexu animam bonus senex, anno ætatis octogesimo secundo, et in Cartusia sepultus, anteactæ vitæ præclaram memoriam, mortis consimilis desiderium superstitibus reliquit.

CAPITULUM VII.

LEGATIO AD SUMMUM PONTIFICEM BONONIENSIUM NOMINE; BONONIAM REDITUS CUM PONTIFICIA INTERDICTIONE, ET CONSECUTÆ EX EA TURBÆ.

Interea Martinus Ravenna Florentiam adveniens, ibi per annum amplius mansit; ac liberaliter habitus eam gratiam retulit, quod Ecclesiam provexerit ad Archiepiscopale fastigium. Igitur Florentiæ dum hæret, perferuntur novi Bononia tumultus. Antonius Bentivolus, Joannis (qui prioribus annis dominatum urbis per aliquot menses administraverat) filius, patriam recuperare sua authoritate desiderans, 7 Calend. Februarias, propria adjuvante factione, palatium interrupit, ac potestatem nactus, Canetulos se se cœptis ejus objicientes, primum foro, deinde decreto Consilii urbe ejecit. Qui Florentiam ad Martinum profecti, Antonium tanquam Pontificiæ urbis imperium sibi temere vindicantem accusaverunt, atque ipsi se ad eam recipiendam præsto futuros esse polliciti sunt.

Quibus rebus Martinus in spem haud levem recuperandæ urbis adductus, pridie Cal. Martii oratores Bononiam misit, qui verbis suis denunciarent: nisi urbem sibi ultro darent, se quacumque vi subacturum. Quibus Consilium respondit, populum Bononiensem eo animo esse, ut antiqua urbis sua possessione et civitatis libertate decedere nolit, proque ea fortunas omnes atque ipsum adeo sanguinem profusurus sit; Pontificem autem submisse orare, ut conditionibus stare secum Mantuæ pactis velit, in quibus diserte ipse, se certo tributo et sacro civitatis obsequio contentum fore, promisit.

Deinde profectis illis, pridie Nonas Martii, iterum Nicolaum episcopum cum duobus aliis ablegavit, ac coram eadem referre Pontifici jussit. Quibus cum mandata exposuissent, sic Martinus respondit : « Ite ac populo vestro renunciate, nisi urbem usque ad diem tertium Paschæ in meam potestatem tradiderit, me illi sacra Officia interdicturum, execrationesque quam atrocissimas possit Ecclesia inflicturum, ac firmissimum exercitum ad vastandum agrum atque oppugnandam urbem missurum. » Ita rem narrat Sigonius. Contra, Zenus ait Pontificem Legatis nihil satis liquidum respondisse, sed quod erat facturus animo pressisse, erectam illi adventu Nicolai spem revocandæ Bononiæ, mandasse diploma Interdictionis clam cunctis parari; Episcopum gravi seorsum præcepto obstrinxisse ad celeritatem discessus atque itineris tantam, ut quamlibet ei negaverit moram; vetuisse præterea diplomatis Literas prius aperiri quam Bononiam attigisset, ubi eas esset populo redditurus; intentasse alias demum pœnas, si jussis non obtemperasset. Hæc Zenus, haud satis vero similia.

Tam justa enim moderatione pietatem erga patriam jurata Pontifici fidelitate attemperaverat Nicolaus, ut huic illa nequaquam officeret; et erat Pontifici notior quam ut esset suspicionibus tanti secreti religione occurrendum, quæ mutatum Pontificis animum in tam excellentis ministri æstimatione nimis profecto declarassent : rigor est supervacaneus minis rem agere, ubi nutus plus satis hanc peragunt. Martini constantiam et probata Nicolai merita is vigor non sapit, nec minæ tam truces facilitatem qua Deus mirabili Pontificem tantum imbuerat.

Haud tamen cuiquam dubium est cum mandatis Interdicti remissum, ad cujus promulgationem in magnas fuisset animi angustias conjectus, nisi singularis qua pollebat obedientia hominem sustentasset; hoc enim facto, rudi saltem popello, traducebatur patriæ inimicus quam habebat seipso chariorem, et ardentissimis illius desideriis ingratus, quibus tantopere in Episcopum fuerat expetitus. Nihil quidem omisit ad leniendum Pontificis animum, vel differendam Interdicti promulgationem. Sed ubi tunc preces ni-

hil obtinent, ad æternas se vertit quas alte imbiberat rationes; repetiit animo plura deberi veritati, plura Deo ejusque in terris Vicario, quam sanguini, patriæ, aut rei cuilibet perituræ : authoritati Ecclesiæ humana omnia postponi oportere : qui se Episcopum optassent, optasse pariter et Papæ obsequentem : sacramenti quod illi dixisset fore vel morte proposita tenacem : jubere Pontificem, et hoc uno abunde sibi esse.

Tribus ergo diebus ab suo in patriam regressu, qui ad Martii sextum et vigesimum inciderat, dum ad S. Petri sacra Officia celebrantur, eo se contulit, factoque manu silentio, in frequentissima populi concione, ex ara principe, admirandæ vir obedientiæ, apertas Interdicti Pontificis Literas promulgavit, affixurus deinde ad portas S. Petronii et Episcopii. Quæ subsecuta sint, et quam sæva in illum civitatis mutatio, non ambiget qui populum novit validis præsertim turbinibus agitatum : ut mentem sic linguas mutavit. Luctuosa res, et digna Jeremiæ lacrymis! veteris illius Bononiensium pietatis aurum, invidia dæmonis tam fœde obscuratum.

Jam antiquæ illæ applaudentium gratulationes in furorem ac rabiem verterant, jam Nicolaus nec pater nec pastor patriæ, sed pernicies, exturbator, eversor: adeo certum est non pluris nos esse quam simus apud Deum, nam apud homines nihil constans præter volubilitatem sensuum atque voluntatum. Neque intra verba se continuit hic tumor; erupit in ipsas res, conjuratur in vitam optimi Præsulis, pergunt ex Primariis multi cum valida carnificum et lictorum manu in ædes Episcopi, cuivis semper patentes, irruunt certo consilio illius interficiendi, præludunt convitiis et omni verborum indignitate; dum interim cum Job ad multitudinem nimiam non expavesceret, nec despectione propinquorum terreretur, est revulsum quidem ex ejus manibus diploma Interdicti; at sceleratorum carnificum qui ad hoc venerant ausus est nemo vel eum tangere; curæ juris æquitas Deo est, nec est quicquam inter hostes quoque innocentia tutius nec iisdem formidabilius.

Receptæ sunt postea per Nicolai famulos Pontificiæ Literæ; totaque illa latronum turba, Deo per agnum leonum ferociam exterrente, intactum reliquit. Verum beatus Episcopus, qui ad Christi exemplum se fingebat, ex eo didicerat ut heroum robur, sic prudentem fugam, dum furit populus; quare documento constantiæ jam dato plane eximiæ planeque pastoralis, ad ejus præstantiam vim rectæ prudentiæ adjunxit. Summo diluculo clam cunctis, dissimulato habitu, Florentiam versus iter arripuit, et de itinere charam Cartusiam revisit, ut dies aliquot jucundi horroris tranquilla regustaret; haud puto ad colligendum solitudine animum, solus semper in turba versari solitus (quod virtutis est ad fastigium perductæ), sed ut Fratrum aspectu et

colloquio mentem reficeret, et premeret osculis sanctos parietes, quos illi Deus pro arce tutissima a periculis sæculi olim præbuerat.

Dabatur interim Bononiensibus pœnitendi tempus, ut cum iis quæ taceri nequibant, ea etiam qualiscumque pœnitentiæ illorum significatio Pontifici referretur. Ac mansere ii quidem in religiosa Interdicti ab Sacris observatione solidos sex menses, parati proprio sanguine, si licuisset, illud expiare; libertatis ne pilo quidem, obstinatis in hanc pertinaciam animis. Restare quid poterat, nisi ut Pontifex et esse se patrem sed et principem sciens, aggrederetur Bononiam armis repetere, quam reluctantibus inferis, neque multa vi rationum, nec benevolentiæ et amoris, revocare ad se potuisset ?

Erat de hoc bello apud Pontificem constitutum, et Nicolaus Florentiæ agens nullum non lapidem frustra movit quo illum ab eo consilio deductum placaret. Conscribit exercitum Pontifex, legato Gabriele, tituli S. Clementis Cardinali, patria Veneto. Martinus igitur missis Bononiam oratoribus aperte bellum (nisi dicto sibi audientes essent) indixit. Ac mox ubi monita minasque despici suas vidit, Braccium Perusinum ducem suum cum exercitu validissimo immisit. Quo facto Braccius castella ferme omnia duorum mensium spatio in potestatem aut vi aut pactione redegit, ac captivos multos abduxit, et aquam Rheni in urbem influentem alio derivavit, ac demum agro toto late vastato, maximis civitatem spoliavit opportunitatibus.

Cum autem propediem castra se urbi quoque admoturum ostenderet, Antonius Bentivolus, qui Principem agebat apud Bononienses, ne civitatem in majus discrimen adduceret veritus, cepit urbis dedendæ consilium, ac pridie Idus Julii in castra (in quibus erat Cardinalis Pontificis Legatus) processit, ac pactis conditionibus, regressus in urbem, relatione de bello finiendo facta, ex Consilii authoritate, deditionem constituit. Ita 12 Cal. Aug. Cardinalis Legatus, magna equitatus parte Braccio comitante, civitatem ingressus, possessionem illius pro Pontifice recepit; post, ad septimum Augusti ab oratoribus Florentiam a Consilio destinatis, Pontifici civitas æquis conditionibus publice tradita est, et Alfonsi Diaconi S. Eustachii Cardinalis Legati gubernationi concredita.

Unum supererat, ut recuperata Bononia suum recuperaret Episcopum. Rediit ille hoc ipso tempore, et se Sponsæ charissimæ dilectisque in Christo pignoribus reddidit, sed totus alius ab eo qui fuerat execrationi ; jam Pater, jam Pastor, jam omnium amor et veneratio gratulantium et prædicantium antiqua illius præconia; jam demum Nicolaus reversus nihil prius habuit, quam ut illata sarciret Ecclesiæ damna, et Magistratibus vocatis significaret edictum Pontificis de pagis Cento et Plebe

reddendis, qui ab annis quinque et triginta fuerant Episcopo ablati, quousque tunc nemine in oppositum nitente, possessione per Imolanum Episcopum juridice inita, sibi asseruit.

Verum multo acrius institit tranquillitati civium, adjutore Deo, constabilienda, ac dum tempus favebat, pascendis uberius et proventu majore commissis ovibus ; erant hæc ejus animi laxamenta, hæc rusticatio : sudans perpetuo in salute animarum labor, noctes pervigiles, dies occupatissimi, infatigabilis opera, constantes curæ et alacres ; sic ardet amoris illa flamma, quam in visceribus Præsulum divina Bonitas accendit, sic pastoralis pondus officii urget premitque audientes de manu pastoris requirendum. Incidit Nicolai Bononiam reditus in ætatis annum sextum et quadragesimum, currentis tunc sæculi vigesimum primum.

CAPITULUM VIII.

NUNCIUS PRO PACE INTER GALLIAM ET ANGLIAM MITTITUR.

Itaque biennio post, cum res incidisset, quæ præstantis et singularis viri operam et authoritatem apud Galliæ Principes armis inter se sævientes requireret, Martinus ad eam pro dignitate Ecclesiæ transigendam ipsum ex omnibus aptissimum judicavit. Res autem erat hujusmodi : Vetus inter Joannem Burgundiæ ducem et Carolum VI regem Franciæ bellum gerebatur, quod accensis utrimque mutuis offensionibus eousque processerat, ut Joannes, Lutetia regni Gallici sede occupata, Carolum regem ac Reginam et Catharinam filiam in potestatem adduceret. Quo facinore perpetrato, accessit quod cum Joannes dux ac Carolus Delphinus, ipsius Caroli regis filius, in oppido de Montereau de communi pace acturi convenissent, Joannes a Delphini comitibus fuit occisus.

Qua re audita, Philippus Joannis filius, qui Lutetiæ Parisiorum erat, exacerbatus, Carolum regem cum Regina et filia Henrico Angliæ regi (veteri ipsius Caroli hosti atque armatum exercitum tum habenti in Gallia) tradidit. Ex quo bellum atrocius quam ante recruduit, Burgundo et Anglo adversus unum Delphinum communi armorum fœdere sociatis. Quod quieti et commodo Christianorum vehementer obesse sentiens Pontifex, Nuncium sibi mittendum ad ejusmodi sedandas discordias, et conciliandos, si posset, animos arbitratus, neminem ipso Nicolao potiorem existimavit, in quo non solum summa solertia sed singularis etiam splendesceret innocentia, quas putavit plurimum illi authoritatis et fidei conciliaturas esse apud Principes toto cœlo discordes.

Quare Brevi diplomate ad hoc Nicolaum hortatus est his verbis : « Cum dudum gravi et atroci dissensione Principum Gallorum, pestiferum bellum suscitatum in regno Franciæ et vicinis

partibus viguerit et vigeat de præsenti, cum exterminio illarum gentium et jactura gravissima totius Reipublicæ Christianæ, Nos cupientes tantis malis finem imponere et indurata Principum corda placare, et ob hanc piam causam tam necessariæ et sanctæ pacis ad partes illas Nuncium Apostolicum destinare, qui in conspectu Principum et populorum justus et idoneus prædicator et suasor pacis et charitatis existat : te ad hoc sanctum opus ex omnibus Prælatis eligimus dignissimum Nuncium tantæ pacis, profecturum ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum regem Angliæ illustrem, et dilectos filios Nobiles viros, Delphinum etc., et Ducem Burgundiæ, et inter ipsos pacem ac concordiam tractaturum.

« Nam post omnipotentis Dei misericordiam plurimum in tanto negotio de tua sapientia et singulari virtute confidimus et speramus, quod ultra profundos sensus tui naturalis ingenii subministrabit Spiritus Sanctus devotioni et humanitati tuæ gratiam, ut verba nostra ex ore tuo cum fructu exaudiantur. Quare Fraternitatem tuam in Domino hortamur et affectuose rogamus, ut in tanti et tam communis boni procuratione Nos adjuves, et pium hunc laborem non refugias, sed pro tot populorum quiete et salute Fidelium prompta et læta mente suscipias. Cæterum hac de causa te ad Nos venire noluimus et laborem itineris duplicare; sed pro informatione tua inclusas præsentibus agendorum instructiones mittimus et Literas nostras cum copiis ipsarum Literarum quas Principibus ipsis scribimus super ista materia.... » Præscriptis vero quæ ad rem factura videbantur, subdit : « Volentes quod instructionibus supradictis dicendo et agendo et negotium hoc tractando addas et minuas, secundum quod circumspectioni et prudentiæ tuæ videbitur expedire. Datum Romæ apud S. Petrum, 4 Idus Februarii, Pontificatus nostri anno quinto. »

Venit hæc deliberatio purpuratorum Patrum collegio longe gratissima totique Christianitati, quam late Nicolai fama sanctimoniæ odore solertiæque afflaverat : ipse unus sui nimium ignarus, improbare, defugere labores itinerum quæ prope immensa, morborum quibus erat obnoxius, sibi ineluctabiles dicere, suique iniquus æstimator negare se tanto oneri vel idoneum vel parem. Quæ cum excusaret apud Pontificem, fusius rescripsit Pontifex : Videret etiam atque etiam ne, Summi Pontificis et Cardinalium communi privatum judicium anteponens, erraret graviter; credi ejus electionem cœlitus inspiratam, omenque inde non leve accipi rei secundis eventibus peragendæ; proinde nec valetudinem, nec imbecillem animum excusaret : hæc omnia jam mente præcepta et diligentius perpensa, rerumque pondere cum ipsius tenuitate comparato, statutum nihilo frigidius uti Nuncius mitteretur; venisse multorum in aulam literas, quibus ferebatur

grande illud pacis negotium confectum iri ab eo prospere, gavisos ejus electione universos, omnes spebus plenos ingentibus cupide eum exspectare ; ac inter alia debere illum non mediocriter ad hoc afficere, quod alioqui spes hominum pacem ardenter petentium visus foret Pontifex Maximus inani lætitia ludere; adfuturum ejus infirmitati Deum; iret, nec quicquam præterea excusaret.

In eamdem quoque sententiam opinionis de Nicolao magnæ scripsit Pontifex ad Regem Galliæ, destinatum ab se Bononiensem Episcopum ad pacis negotia, quæ vitæ illius sanctimonia, prudentia et integritate sperabat magnopere promovenda. Delphino similiter significavit per Litteras, ad illum et Ducem Burgundiæ se virum mittere sapientia insignem, probitate singularem, operique tam sancto et pio idoneum et parem Nicolaum ; Deoque plurimum confidere omnis boni consilii authori fore, ut ex ore hominis tam pii et modesti Spiritum suum in ejus tum mentem infunderet, tum in eos quorum assensus desideraretur pacis desiderium et amorem.... Nec diversæ ab his fuere Litteræ ad Regem Angliæ et Ducem Burgundiæ, imo et Pontificium ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos Breve, quo significabat mitti ab se Nicolaum virum raris gratiæ dotibus divinitus præditum.

Quavis ergo undique amputata supremi mandati declinatione, rebus tandem Ecclesiæ suæ ministrorum curæ serio commendatis, traductoque ad Fratrum complexum in sua Cartusia triduo, Galliam versus iter arripuit, comite (ut semper alias) e Cartusianis monacho, nobilium Bononiensium stipatus frequentia, et communi omnium exspectatione oneratus, futurum omnino, ut per eum conficeret Deus quod jam humanitus non posse confici videbatur. Quacumque iter illi erat, ingens sui relinquebat tum desiderium, tum vestigia impressa præclarissimæ virtutis ; exempla illius probitatis et comitum mores nihil olebant a Cartusia alienum, hoc est, ab schola sanctitatis ; pietas ab ejus comitatu et familia abscessit nunquam : nempe ab initio initi honoris, non hospitium modo apud illum nacta, sed thronum.

Attigerat Galliam cum velut ab Urbe Apostolus, e cœlo Angelus, ad levamen regni laborantis excipitur. Concurritur passim ad eum spectandum, nec semel vidisse satis est, juvat diu ac sæpius videre, et in oris aspectu præstantis animæ speciem venerari ; spe omnes proxima eriguntur emersura quam primum lilia et longo detersa sanguine auri sui splendorem Gallis reddditura ; antevertunt rebus universorum vota, et in ratos eventus volucri exspectatione desideria rapiuntur. Crescit interim (contra quam usus est) mora ipsa Nicolai existimatio in aula Galliæ, augeturque præsentia famæ ipsius decus; negat Rex se hominem vidisse magis ambitu

procul et cupiditate, magisque ad veræ virtutis effigiem omnesque sanctitatis numeros conformatum; quod idem Rex Angliæ postea fassus est.

Accedit ad celebritatem hujusce nominis, magnæ opinionis existimatio quam apud Pontificem sustinebat, variis occasionibus se prodens, ut in dando Tolosanæ Ecclesiæ Pastore, quem litteris etiam regiis commendatus non obtinuit prius quam de illo ad Papam Nicolaus retulisset; atque hæc famæ celebritas tam honorifice pervagata, pronos illi ad tractandam pacem aditus paravit. Tractabat de illa cum hominibus interdiu, noctu vero cum Deo; erant verba loquentis ignea, et lingua ex eis una quas olim Cœlum in Apostolos divisit. Et huic eidem negotio legavit quidem a latere Pontifex Cardinalem Portuensem, genere, doctrina, probitate conspicuum: sed tamen Brevi Pontificio duplici potestatem Nicolao dedit ad cœptum negotium aut per se aut cum Cardinali peragendum: inde affulget impressa Pontifici Nicolai existimatio.

Quin et Amedeum Sabaudiæ Ducem, quum per idem tempus optasset intervenire negotio, spes suas potissimum in Nicolaum recumbere haud obscure ostendit, cum ad res, licet in Italia atque adeo Bononiæ turbatas, necessariam illius operam, nisi certa hac lege, non accivit, si nempe regnorum illorum pacisque rationes id sinerent. Quare ad sustinendas illic moras submisit auxiliariam pecuniam, cujus erat tanto egenior, quanto in egentes profusior; quamobrem est a S. Antonino, quam inusitato tam glorioso encomio, pauperum Pater nominatus. Pecuniæ quoque solatium addidit longe acceptius, Urbanum Florentinum excellenti virtute Cartusianum, proinde in paucis Nicolao charum, quem interea negotia pacis habebant occupatissimum ardentique in miseros populos charitate urgebant.

Erant vero illius in suadendo rationes non humanis tantum, sed et æternis præsertim haustæ principiis. Has ultro citroque suggerebat, perorabat, tonabat Nicolaus, quæ morum exemplis illustribus animatæ videbantur obtrituræ duritiem, quantalibet obstinatione pertinacem; nam ore illius Spiritus Sanctus loquebatur.

Ipse interim Deo se pacis victimam vigiliis, inedia, lacrymis, omnique afflictionis genere mactabat; jamque voti ac precum præter opiniones mortalium compos factus, adduxerat animos in procinctum pacis componendæ, cum ductis eo in munere octodecim mensibus, laboriose sementis messe matura fraudatus est. Eodem ferme tempore ambo Reges, o Providentiam humanis adorandam non pervestigandam judiciis! duo, inquam, pene simul extincti Reges. Pax luci proxima abortum fecit.

CAPITULUM IX.

REDITUS IN ITALIAM, IN BONONIENSES PESTE CONTACTOS CHARITAS.

Rebus Galliæ desperatis, sui se saltem Nicolai exspectatione utcumque Italia solabatur; isque reditum maturabat suavissimam Sponsam Ecclesiam revisurus, a qua jam biennium aberat. Gestorum ergo ratione ad Pontificem perscripta, redituque ab eo impetrato, post pedum oscula, distinctius iterum muneris totius ordinem gestaque illi enarravit, et falsos denique mortibus improvisis illius eventus, cum essent propediem in quietem regnorum felicissimam exituri; Deo videlicet occultis consiliis incertam hominum providentiam eludente. Insigni eum benevolentia excepit et prosecutus est Pontifex, testatus sanctis ipsius laboribus quantum Romana Ecclesia deberet, quibus jam integre perfunctum perhumaniter dimisit.

Inde optimus Præsul, Augusti octavo, anno ejus sæculi vigesimo tertio, Bononiam optatissimus appulit, omniumque gratulatione et mixtis gaudio lacrymis velut omnium pater exceptus est, mendicorum præsertim et egentium, qui nota sibi subsidia gaudebant restitui. Nec distulit Pastor vigilantissimus vultum pecoris sui retractare, et introspicere singula, ne quis forte ovem præferret lupus, aut ovium aliqua pessime affecta luem pestiferam reliquis affricaret; num recens aliqui abusus irrepsissent, vel possent industria aliqua fibræ veterum extirpari.

Qua in re, ac ludo potissimum revellendo, cujus, absente Episcopo, proculcata olim germina surgebant, adjutorem habuit strenuum Bernardinum Senensem. Bononiam hic sub idem temporis venerat, et Italiæ laboranti a Deo in apostolum tunc datus, qua victus et habitus asperitate omni, qua lucrandarum zelo animarum morumque sanctitate seraphicum Patrem ad vivum referebat : lætus ejus adventus Nicolaus fraternum illi amorem exhibuit.

Icta per id temporis pestilenti lue Bononia, tunc prorsus charitas quam tota sit ignea et quam sua non quærat, ambo palam illustres hi Dei famuli magnifice fecerunt, omni ope contactis ferenda, et vitæ prodigi (qua nihil magis proprie nostrum est), ut vitam iis et salutem servarent ; diceres beatos Brunonem et Franciscum e solitariis latebris ad solatium populi densim morientis, in orbem excitatos. Cujus excelsæ charitatis Bernardinus etsi tyrocinium posuisset in limodochio Senensium, essetque in juvandis laborantium animis jam rude donatus, haud tamen re ulla huic cedebat Nicolaus; neuter has inter miserias quid somnus aut quid esset quies nisi obiter scivit ; utriusque esse potuit illa vox magni Apostoli : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?*

Cæterum privatis subsidiis publicas preces addidit Nicolaus, obivitque illas

frequentissimus populus B. Præsulis imitatione ad pietatem inflammatus, cum eum videret totum in lacrymas dissolvi : sed ductum ex humeris sanguinem videre non poterat, quem duro verbere per noctem ad placandum Numen exprimebat. Vicit tandem Deum iratum tam sancta precatio; et pestis, sic Deo placitum, brevi exaruit. Sed duos Christi servos supra omnem modum deprædicabat fama; per ora omnium Nicolaus et Bernardinus volitabant.

Traxit illorum nomen sanctitatis e Longobardia Bononiam mulieres ducentas pœnitentium cultu in veste candida, sed atro stolatas et panniculis in frontem cadentibus velatas, unde fletus latentes manifesti prodebant singultus; omnes quanto ab oculis omnium secretæ, tanto expressius veræ formam pœnitentiæ reddebant : per majora veris jejunia nullus abiit dies quin binæ ad ecclesiam majorem audiendo concionatori procederent, suaque et ipsæ tum rari exempli tum modestiæ muta concione multos ad frugem converterunt. Quibus mire lætus Pastor sanctissimus immensas divinæ Misericordiæ horum fonti bonorum gratias agebat.

CAPITULUM X.

CARDINALIS CREATUR A ROMANO PONTIFICE.

Fluebat B. Præsuli primus et quinquagesimus vitæ annus, in administratione muneris qualem exposuimus nonus, eadem semper in adversis constantia, moderatione in secundis, ubique vigilantia et amore : cum, ævi tum currentis anno vigesimo sexto, illam ejus ad summum provectam cum excellenti virtute prudentiam statuit Martinus Pontifex sacra purpura ornare, cui ejus menti æquissimæ incredibili assensu totus purpuratorum Patrum consessus adplausit ; ac licet aliis etiam acclamatum creatione hac altera promotis, haud quotidianæ scilicet virtutis ac meritorum viris, at peculiari quodam instinctu ac modo dictum est pro Nicolao : Bonum factum, ut qui esset ex reliquorum omnium dotibus absolutus ; et ex ejus delectu omen faustissimum accepit Roma, orbisque christianus spes hausit maximas præsidii, quo adhuc plurimo indigebat.

Et re quidem vera ad hoc decus Romam evocari dissimulaverat Pontifex alia specie, sed in itinere positum fecit de tota re Cardinalem certiorem. Quo sane nuncio quid secum apud se senserit, dixerit, quæstus sit, doluerit Nicolaus, dubium esse non arbitror; nam æque ut apices honorum nihil horrebat, seque infra omnes et locabat ipse, et judex sui vilissimus locari ab aliis gestiebat. At enim quo vultu delatam viderit purpuram, quos ore colores dederit, non satis Historici explanant. Aiunt Bostius et Dorlandus universim ab se se honorem repulisse, ut mitram Episcopi vidimus ab se se fuisse deprecatum. De purpura scribit Sigonius omni ambitu egisse ut eam defugeret,

seque illa tamdiu abdicando ad pedes Pontificis perstitisse, donec ad eam admittendam censuræ præcepto cogeretur; sed narrat in ejus funere Poggius perinde de pileo audisse, ut frigidior marmore nec minimum quidem aut vultu aut lingua moti animi signum præ se ferret : evidenti profecto indicio ista quæ homines tanti putant, quam nihili faceret : excepisse tamen quod deferebatur, ne Pontificis erga se animum spernere videretur.

Utrobique laude dignissimus, seu demissione sui modestior, seu in parendo obsequentior esse maluerit; certe omnibus ubique virtutis partibus defunctus. Illud vero pro certo traditur : in tanto licet fastigio sublimem, de severioris vitæ consuetudine sic nihil remisisse, ut ne habitum quidem Cartusianum immutarit; idem secum et intra se qui prius, nec sui unquam dissimilis; exterius dumtaxat paucula in usu quorumdam parcissimo quæ habet reverentia purpuræ necessaria adjuncta. Integritas eadem, continentia, benignitas, pietas iisdem in Officiis impigra, suimet despicientia, etiam in alto abjectior, fastu nullo, quod ait Poggius, vel pompa vel sensu illibatæ vitæ candorem interpungentibus, Cardinalibus idea, teste Antonino, quam exprimerent, factus.

Addunt Bostius et Dorlandus pascendis qua verbo populis, qua instituendis formandisque per eruditas epistolas bene multis incubuisse ardentius; fuisseque illius sapientiam Primoribus, Principibus, Regibus venerandam, vitam pro sanctimoniæ exemplo, pro Ecclesiarum institutis ac legibus mores, pro miraculo doctrinam et eloquentiam. Reddebat ex se intuentibus ubique, velut e tersissima crystallo, vivam effigiem virtutis, Antistitum decus, parentem pauperum, asilum miserorum, Principum pacificatorem, profligatorem errorum et schismatis; rei denique christianæ firmamentum, et quidquid ageret ac mente versaret ad Patrem luminum omnia referebat. Laudum vero fumos vitabat tamquam auram pestilentem, licet eæ honoribus cinctæ fugienti perpetuo instarent. Atque his diserte encomiis Nicolaum Dorlandus noster prosequitur, et hac luce fulgentem dum exhibet, ex illustrissimi exempli argumento monstrat datos cœlitus Cardinales, ut Seraphinorum vices in Dei Ecclesia impleant.

Mœstum tamen et ex impositæ onere dignitatis affectum gravius consolatus est purpuræ quam acceperat titulus a S. Cruce in Hierusalem ductus, quo titulo crucem tenere amanti nihil potuit venire jucundius; gentilitio exinde scuto Albergatorum familiæ rejecto, crucem in posterum habere voluit pro insignibus, quæ una hodieque Bononiæ multis locis in Episcopio spectatur. Hoc æmulatum postea legimus Thomam Serzanensem, qui et ipse in tesserarii laterculi area præter pontificias claves duas nihil pingi voluit. Ædes vero ad

habitandum legit Nicolaus apud S. Pudentianæ mediocres et ab frequentia semotas, ut esset, dum Romæ ageret, ab Aulæ tumultu collectior.

CAPITULUM XI.

LEGATIO PRO PACE ITALIÆ.

Neque vero Martinus hoc illum Cardinalitiæ dignitatis ornamento cohonestasse satis habuit, quin etiam insigne ac magnificum imprimis adjunxit munus Legationis; cujus decernendæ hæc materia data: Philippus Mediolani dux, jam pridem animo ad Italiæ dominationem aspirans, bellum Florentinis internecinum intulerat, et cum Martino ipsa hujus belli consilia sociarat. Quare compulsi Florentini se se Venetis suspectas jam pridem Ducis ipsius opes habentibus junxerant, ac maximo exercitu congregato, Philippi ditionem adorti, Bergamum ei ac Brixiam magna cum castrorum Cremonensium parte ademerant. Itaque Martinus Philippo socio in maximas rerum suarum difficultates adducto consulere, atque imminentia Italiæ mala propulsare desiderans, pacem inter eos conciliare constituit; ac propterea ad eam tractandam ac transigendam Nicolaum Cardinalem, spectatæ multis in rebus authoritatis ac sapientiæ virum, decrevit.

Dat se in viam Cardinalis, et Septembris 17 Bononiam suam in itinere positam revisit: quanto civium applausu et alacritate, quantis et prodeuntis obviam Magistratus et urbis extra muros effusæ lætitiis, difficile dictu est; Pastor sane ac Pater, Cardinalis et Legatus non potuit ab iis honorificentius excipi. Mox Oratoribus eorum, ad quos bellum pertinebat, cum mandatis convenire Ferrariam jussis, ipse eoque adivit, ubi summam Nicolai Marchionis erga se humanitatem atque hospitalitatem expertus, utriusque partis procuratoribus evocatis, ei cognitioni operam dare singulari animi æquitate instituit.

Causa vero utriusque magno animorum ardore ac partium contentione tractata, et variis injectis postulatis querelisque distracta, cum pax ad optatum perduci exitum haud posset, nisi ipse cum Principibus in colloquium congressumque veniret, primo Venetias deinde Mediolanum accessit. Venetias autem profectus ac summis honoribus a Senatu illo ornatus, sic cum Francisco Foscaro duce egit causam, ut Senatus, retentis urbibus atque oppidis bello partis, se pacem compositurum esse promiserit.

Pridie inde Cal. Octobris (literis ab eo de tuto per Lombardiam itinere sumptis) Mediolanum ad Philippum decessit, atque hominem allocutus (licet gravissime de Venetorum avaritia et Florentinorum superbia conquerentem) ad Bergamum et Brixiam dimittendam adduxit. Quare sequenti anno Bergamo profectus, ad Venetos in possessione cæterorum locorum constituendos procedens, Brixiam adiit. Eam vero urbem

ramum olivæ præferens iniit, ab Episcopo, Clero et Magistratibus universis exceptus, qui usque ad rivum Mellam cum crucibus et vexillis, gratias Deo solennibus hymnis concinendis agentes, obviam prodierunt.

Cum autem inde agrum Brixianum exisset, ut castra ipsa urbi apposita, quæ a Philippi custodibus tenebantur, Venetis Magistratibus præsentibus ex pacto tradi juberet, omnes præclusis portis invenit, asserentes se neque Venetos neque eorum amicos intra oppida recepturos. Quod ex tacito Philippi mandato factum, occulta aliqua bene gerendæ rei spe oblata erecti, putatum est. Quod ut Nicolaus vidit vehementer permotus, reverti ad Philippum voluit; sed Venetorum Præfecti prohibuerunt, qui rem non verbis, sed armis dixerunt esse decernendam ; atque ad singula, quæ resistebant oppida, deinceps Senatus authoritate adduxerunt exercitum.

Ita Nicolaus re irrita 6 Idus Februarii rediit Bononiam. Inde 8 Cal. Martias Romam ad reddendam impeditæ Legationis rationem progressus, ibi quatuor menses peregit; per quos Veneti omnia Brixiana castra Philippo frustra resistenti eripuerunt. Quod ut ipse audivit, 18 Cal. Septembris, eo consilio se contulit Bononiam, ut verba iterum de pace inferret ac Cremonensia oppida ad Ollium spectantia, quæ a Venetis postulata controversiam adhuc faciebant, restituenda curaret. Itaque post triduum Mediolanum ad Philippum revertitur, dum iterum Ferrariæ consedit ad partes audiendas, remque majori ex parte cognitam sequenti anno 15 Cal. Maii constituit, ac mox pridie Nonarum pacem factam maxima cum populorum lætitia publicavit.

Inde Idibus se se retulit Bononiam, atque in loco extra urbem semoto, ad Sanctam Mariam Vallis viridis sedit, ut commodius posset componere controversiæ reliquum. Ita 15 Cal. Junii exercitibus utrinque dimissis, miseræ civitates aliquando tandem a diuturnis belli calamitatibus respirarunt.

Quam multa vero in itineribus passus sit Dei servus, quot incommoda toleravit, res foret narratu prolixior ; sæpe ipsi locorum difficultas rusticanum quo tegeretur mapale residuum vix fecit ; ipse cibus, etsi parabilis et vilis, non semel defuit, vicina circum regione qua pertinacia bellorum, qua militum rapinis misere desolata.

His et aliis difficultatibus exsorbendis suscepti negotii successum premere haud prius abstitit quam certo et stabili exitu clauderetur, pacis nimirum antea constitutæ integra executione; quæ tanto lætior quanto pridem optatior ad Pontificem perlata eum incredibili gaudio perfudit. Multas Brevi diplomate duplici Cardinali beato gratias retulit, collaudata solliciti semper atque industrii accuratissima diligentia, cui præcipue post Deum acceptam ferebat peracti negotii faustitatem.

CAPITULUM XII.

NOVÆ APUD BONONIENSES TURBÆ AC NOVA PERICULA.

Etsi diuturnos perpessus labores B. Cardinalis merito potuit de reficienda valetudine cogitare, hac tamen postposita cura, una se piorum operum continuanda serie refecit; nam Mediolano Bononiam redux, operam dedit ut nosocomium S. Mariæ a Morte amplificaretur, et collata in eam rem bona sumptuum parte; Congregationem S. Hieronymi viginti quatuor piis juvenibus constantem probavit; vectigali quadam contributione inopes absolvit, quæ in S. Petronii fabricam fuerat imperata.

Quibus ita compositis ad S. Mariæ in Vallem viridem secessit, haud multum Bononia distantem, illic fessum animum levaturus; non solutiores delicias, non aliquam saltem adhibuit exhausto corpori peculiarem curam, ubique sibiipsi a solatiolis metuens etiam evidenter necessariis, statoque insistens proposito severitatis assuetæ : sed mutuo solitariæ quietis opportuni secessus dulcisque silentii concentu fruebatur, sacris Domini sui affixus pedibus, inde haustus vitales sanctæ dulcedinis cum Magdalena ducens, diurnarum brevitatem horarum nocturnis pensabat; miscebat interdum cum potu lacrymas, pane fere ad cibum contentus, satiabatur jejuna fame; et his voluptatibus peregrinis Episcopus idemque Cardinalis exantlatos labores solabatur. In secreto illo diversantem convenit a Venetis legatio perhonorifica immensas agentibus gratias per Santium Venierium nobilem S. Marci Procuratorem, navatæ beneficio communi laboriosissimæ operæ, ac de quodam interrogantibus quod inter statutæ concordiæ capita obscurius intelligebatur.

Verum his pie studiis otiantem solumque solo cum Deo degere et tractare gaudentem novæ excient turbæ, et in procellas veteres revolvunt. Audit secreto bellorum civilium antiqua semina, sopita magis quam extincta, novos Bononiæ tumultus excludere; urbem armorum plenam, sollicitata studia, animos proritatos ; exinde nec solitudinis captandæ nec differendi tempus esse, sed in lupos eundi haud jam tacito furore in gregem suum ruituros.

Igitur Cal. Augusti, albescente vix cœlo, Bononiam intrat, Sacrisque operatus, et sui ipsius victima Deo cum adorabili Hostia pro salute ovium affectu intimo oblata, multis manum divinam lacrymis, multa crebris abrupta suspiriis precatione, in præsens discrimen implorat ; nam per se aliquid movere, quid foret aliud quam vulnus tractare vel solo attactu asperandum? uni restabant gemitus et ad Deum preces. Diem illum totum quasi parturiens civitas mœsto silentio se domi tenuit, ad alteram vero noctis horam informe monstrum ex condicto in lucem daturam, visa ex imo subrui ; mille inconditis pulsari vocibus perduellem unam sonantibus : Vivat populus et libertas !

modisque omnibus excusso Pontificii jugo imperii, libertatem et rempublicam spirare.

Factionis hujus capita Bentivolorum hostes Canetulenses, quæ uti privata commoda semel ad Pontificis pedes abjecerant, sic eadem facile retraxere, ubi se læsos ab eo finxerunt. Movit eorum invidiam ad ciendas iterum tempestates habitus Antonio Bentivolo honos, quem post reconciliatam gratiam Martinus Pontifex Comitis titulo decorarat, et Latio regendo præfecerat. Canetulenses igitur armati forum suis cum sequacibus invadunt; ad terrorem adversariorum tabernis aliquot ligneis faces subjiciunt; adoriuntur palatium, illud cum Pontificis Legato Condolmerio in suam potestatem redacturi. Quæ rumore vix primo ad Bentivolos perlata, aeris pulsu classicum insonant, et se ad partes Pontificis concursu aggregant, Canetulenses in foro corona cincturi.

Quam tristem in modum hi turbines pia Nicolai viscera torquerent, quam edaci mitissimæ suæ charitatis cruciaretur igne, quantum inconsolabili animo spectaret dæmonem tot animarum exitio triumphantem, quas iidem tumultus involvebant, quivis apud se recogitet. Optasset profecto sui ipsius sanguine concordiæ litare, solusque in mare ad placandos motus, ad quos ipse nihil contulerat, projici, ne, quod erat in promptu, Ecclesiæ suæ sanguine ac cædibus fœdare oculos cogeretur. Quare ad Bentivolos primum vico sancti Donati advolans, ore inflammato, verbisque ignem afflantibus : « Quid hoc, ait, o cives, novi doloris est? hunc, o filii, tam infelicem et luctuosum casum? hunc finem videlicet bellis civilibus ponitis? et huc mei apud vos labores reciderunt? hanc Pontifici optimo et liberalissimo rependitis gratiam? ad hoc miserum me cellæ charissimæ latebris direptum evocastis, ut essem funestæ spectator fabulæ, in qua laici omnes suam singuli personam furentes agerent, spectaret flens solus ac lamentaretur monachus? Idcirco me vobis præesse voluistis ut viderem pastor mearum ovium sparsam stragem, pater interitum lugerem charorum pignorum, Episcopus mortes creditarum frustra quererer animarum? quarum apud me pretium is novit, qui earum causa proprio sanguini non pepercit.

« Sunt isti, fateor, meorum sunt fructus criminum; vos tamen quid ulterius pergitis immanitate hac iram Dei judicis provocare? Redeat vobis in mentem et oculos patriæ salus, liberi parvuli, miseræ uxores, facultatum jactura. Ita vobis excidit B. Petronii disciplina, cujus alumni estis? Ecquando me nocte hac adacturum iri cogitassem ad petendum a vobis precario erga filios, patriam, adeoque vos ipsos miserationem? Date saltem breve sævitiæ spatium, rem peto exiguam, subsistite, et per Christi Jesu amorem dulcissimum ne prius ultra tendere pergatis, quam adversas partes adiero, cogor enim hoc

illas vocare nomine, quod invicem vobis dæmon imposuit : ibo, et efficiam ut Canetulenses arma ponant, et saniora capiant consilia. »

Hoc illis ut persuadeat in forum accurrit, et eorum caput Baptistam seorsum seductum, oratione acri Apostolum referens invadit : « Hoccine illud est restituere patriam libertati, an illam in ruinam exitiumque impellere ? ad hoc scilicet vobis Episcopus placui, et ab iis, qui mihi præerant, atque ab ipso me tunc, heu ! Superum gaudiis in terra fruente, vi tanta, tot precibus, ut patriam regerem extorsistis ? imo ut infelici et suorum incensæ manibus ac peremptæ tristes exequias celebrarem ? Magnas Deo gratias habeo, quod mihi tecum agere liceat, cujus prudentiam splendor nobilissimi generis haudquaquam patietur noctis hujus tenebris extingui. Civem an hostem deceat, cogita, tam sævo rerum articulo publicam quietem negligere ? Patriumne an perduellem, arma illa movere, ex quibus una pernicies patriæ certo certius exspectatur ? præclaram vero hanc de te laudem in populos late fama disperget. Egregius plane gubernationis hujus nuncius ad aures Pontificis optimi veniet, de quo ipsimet nihil esse fatemini, quod quæramus multa quæ vobis magnopere gratulemur : reveremini suo in Vicario Deum ; at enim quam illi gratiam Canetulenses reddunt tam prolixe ab eo haud pridem habiti ! Frænate, oro, tam diros impetus communem cladem nihil prætérea parituros. »

Hæc et alia incassum edita apud obstinatos nihil agebant; descendendum fuit ad conditiones quibus acquiescerent, ne quod gravius in malum erumperent. Condictum itaque ut Baptista crearet Antianos, qui ad sustinendam dignitatem tributa populo impetrarent; equites centum Bononiæ, totidem pedites haberet Pontifex, qui apud Legatum fidem jurati promitterent; publica munera domi et foris civium in potestate essent. Hac triplici lege, posituros se arma cum suis asseclis Baptista, nihilque imposterum moturos jurejurando confirmarunt.

Hæc a Canetulensibus ægre impetrata, erant Legati chirographo munienda; cumque essent ad illum ab ipsomet perlata Nicolao, ejusque audito nomine fores pandi Legatus jussisset, mox Canetulenses violata quam dederant fide (hoc habent pessimum civiles discordiæ ut nobiles quoque et excelsas mentes contaminent) opportunitatem rati non prætereundam, in apertas fores turmatim se penetrant, disjectaque custodum statione, palatii portas occupant; ibi comites Nicolaum, vitæ una et dignitatis periculo duplici, trahendo, tegendo, e turba subducunt dolore semivivum ex deformitate indignissimi facinoris, tanto acerbiore quanto minus prævisa; susdeque versum Legati palatium, Legatus ipse carcere conclusus : digna prorsus nocte spectacula, authore

illorum dæmone, tenebrarum parente, id unum moliente, ut veterem illam atque ingenitam Bononiensium pietatem probrosis maculis obscuraret.

Hæc ad Bentivolos venerant, cum fugæ consilium ineunt, et S. Donati porta se se proripiunt; afflictissimo vero tot inter scelera B. Cardinali, en novum vulnus infligitur, insolentius jam acceptis. Non dubitarunt novæ Reipublicæ Magistratus eorum quæ ausi fuerant ultorem fore Martinum Papam, et misso exercitu repetiturum pœnas ecclesiasticæ majestatis in Cardinalibus duobus impie proculcatæ, urbemque brevi obsessurum : quare arces duas, Centum et Plebem, Episcopo redditas, statuunt iterum sibi vindicare, quod esse commodas censerent ad incursiones Pontificii militis ab se longius arcendas.

Ad hoc Episcopum arcessunt, ut coram benevole primum atque humaniter, tum si lenitati non cederet, vi ab eo assensum exprimant. Arcessendi munus vilissimo homini demandatur, qui ut Cardinalis in conspectum venit, haud paulo plura quam sanum deceret audacius effutiit; quibus graviter offensus Cardinalis, quod et se vocatum cerneret jussu laici Magistratus, et ab tam turpi accenso vocatum, sui æque contemptor et sacræ assertor dignitatis, temeratam purpuram et ecclesiasticæ ordinem præfecturæ vehementissime doluit : Nicolaum enim proterendum omnium pedibus, supra omnium capita Cardinalem Episcopum censebat eminere. Tenuit se tamen, suarum misertus errorem ovium, nec lepido illi qui ad se venerat publici nuncio commoti animi significationem dedit ullam; occupationes duntaxat placide excusavit ob quas adire non posset advocantes, cum ecce sibi statim post monetur adventare de Primoribus sex; ex quibus nihil boni ominatus, quippe tunc omnia in deterius vergebant, familiam convocat, ingressisque palatium sex illis civibus jubet fores occludi; cumque illi prodirent, et indicturi aliquid viderentur, prior intrepidus occupat inopinos, et forti quidem, ut Episcopum decuit, sed paterna objurgatione :

« Sic, ait, obliti patriam, sic Bononienses vos esse ? tam procul a majorum vestigiis abitis? hæc de avorum vestrorum exemplo æternum laudabili facinora ducitis? quæ rerum conversio? unde hæc vobis mundi arbitria? vos enim qui estis, aut ego qui sum? Ego Parens, et Pastor et Antistes, vos certe filii, vos oves, vos plane subjecti. Ibo, ibo, vel ad mortem, si vocer, ut subjectorum periclitantibus animis succurram, et palantes quæram oviculas, quas dum luporum eripio faucibus, si mors contigerit, ex voto venerit : sunt mihi hac luce filii chariores, et hanc libens amittam ut eos in lucem ex tenebris asseram; ut autem vos adirem temporariis vestris atque evanidis rationibus adactus, unde incidit vobis

tam aliena cogitare? evidenti omnino turbati judicii argumento.

« Sed enim præclaræ noctis hujus cœpta sortiri progressus alios nequibant nisi luce carentes et cæcos; non perstringit sed refovet sensatos oculos hujus purpuræ splendor; si quid deferebatis Episcopo, deferenda fuere Cardinali multo plura; et considerandum quid ei deberetur quem divini gratia Spiritus, et apostoli Petri Sedes in eum gradum extulisset.

« Itane vero, me per homuncionem vilissimum acciri cui rubor cum cerebro periit? me quidem hæc injuria nihil spectat, ejus alioquin infinitas vobis acturum gratias; hac hierarchicum ordinem universum, hac B. Petri successorem Christi vices in terris gerentem a vobis pessime violatos, si potestis negate, nec diu differet vindictam Deus; quod ego vobis potissimum timeo, et quo præcipue crucior: sed ista plus satis. »

Ad hæc partim amice, partim severius vibrata, hæsere ii cives in modum statuarum, nihilque aut responsi aut vocis dedere; linguam iis ipsamet veritas abstulit; proni Episcopum silentio salutant, et demisso in terram capite, alter alterum subtuens et convictum interius animum tacite contestans, uti advenerant, sic ad suos recedunt. Sibi tamen haudquaquam deerat adversarii communis malignitas, novas cudens et coquens insidias, quibus optimum Præsulem fatigaret. Quarum is præcipiens machinas, priusquam in perniciem exirent, Dominicanum indutus, et noctem unam apud Dominicanos Patres commoratus, ad primam postridie lucem porta S. Mamantis ex urbe discessit, ac in dulcissimum suæ Cartusiæ asylum, inde Mutinam transiit.

Paucis exin diebus, Augusti 23, solutus custodia Legatus Bononiam deserit, die vero Septembris 10, Cardinalis familia Episcopio extruditur; triduo post, consilium cogitur, deliberaturque de Abbate S. Bartoli Ferrariensis, Bartholomæo Zambeccario, substituendo in sedem Nicolai; designatur, et designationis præmium arces duas, Centum et Plebem, spondet populo cessurum; post in Episcopium a Magistratibus solis deducitur, ne uno quidem ex Canonicis prosequente.

Habere tamen ausus tanti non modo socios, verum etiam auctores, cum vellet Magistratus, ne culpæ quam patrabat multitudinis et authoritatis patrocinium deesset, Zambeccarium a Clero imperat in locum Albergati Cardinalis Episcopum eligi. Quo tale, ut par erat, imperium detrectante, urgenteque nihilo lentius populo, nuncupationem Episcopi suam esse, electionem ad Canonicorum collegium pertinere, controversiæ nodus juris peritorum judicio permissus est. Fuitque horum una consensio, ad eligendum in locum viventis Episcopi alium, nihil posse omnino Canonicos. Utcumque res fuerit, Zambeccarius Episcopum egit, Vicarium sibi constituit, et per annum solidum jus dixit.

CAPITULUM XIII.

RESTITUITUR A ROMANO PONTIFICE IN SUAM SEDEM.

His rebus cognitis, Martinus vehementer inflammatus, 6 Cal. Septembris edictum promulgavit, in quo gravissimas detestationes in Canetulenses, et Sacrorum interdictum in civitatem explicavit : quod Legatum suum et ipsum urbis Episcopum et Cardinalem, turpiter in sui contumeliam exegissent, his verbis : « Nam dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Crucis in Hierusalem presbyterum Cardinalem, perpetuum administratorem Bononiensis Ecclesiæ, auctoritate Apostolica deputatum, suum concivem et Patrem animarum suarum, taliter pertractarunt, contra omne debitum charitatis in proximum et reverentiam tanti Patris, quod præfatus D. Cardinalis Nicolaus coactus est clandestine et tanquam incognitus excedere civitate et diœcesi supradictis ; neque eo modo quo decebat Cardinalem incedere, sed mutato habitu (quia aliter inde recedere nullatenus permisissent) ; eumdem libertate privarunt, in dedecus et opprobrium nostrum, et Apostolicæ Sedis vilipendium et contemptum..... »

Deinde duces cum militaribus suis copiis invadere jussit Bononienses, qui direpto agro ad urbem progressi, acrius oppugnare ex diversis partibus instituerunt, unde bellum variis detrimentis inferendis in proximum annum est protractum. Quibus demum Canetulenses impulsi, Oratores 15 Cal. Julias Imolam destinarunt, ut cum Lucido cardinali Ostiensi Legato et Nicolao tunc Imolæ agenti de compositione tractarent. Qui profecti nihil æqui obtinuerunt. Inde 3 Cal. Septembris iterum missi, pacem commodis sane conditionibus retulerunt ; in quibus illud præcipue continebatur : ut Bartholomæus Episcopatum Nicolao dimitteret, Pontifex vero Abbatiam S. Bartoli Bartholomæo ademptam reddi a Marchione curaret.

Ita 7 Cal. Octobris, Legatus in urbem ingressus, postridie Magistratus ipsos apud se fidelitatis sacramentum concipere jussit, ac sedi suæ restituit Nicolaum. Postero autem anno, cum exiguas se adversus florentes Canetulos opes ad retinendam dignitatem habere videret, urbe egressus Centum abiit, ac Baptistam moderatorem urbis, ut moliebatur, reliquit. Qua re accepta, Pontifex supremum decernit de Bononia plane et integre ditioni Ecclesiæ subjuganda ; ad hoc eo Tropeensem Episcopum destinat, qui Magistratui indiceret Summum Pontificem, ut erat supremus Bononiæ dominus, sic velle pro domino haberi ; nimis lævam mentem usurpandi ejus imperii cujuspiam animo incidisse, quam nisi reipsa prorsus deponeret, civitati exitio futuram ; frangendam armis pertinacem illam duritiem, quæ flecti amore, censuris cedere noluisset.

Perculsus hac denunciatione Magi-

stratus, quod sibi non esset conscius contra pacta ultimum conventa et debitam Papæ obedientiam re ulla venisse, respondit nescire qua in re displicuisset Pontifici, paratos facere quæcumque imperasset; dominum ab illo agnoscere neminem, velleque constanter illius conditionibus, quas nuper jurassent, continere; at hæc ab supremo civitatis illius dominio quod Papæ debebatur, et mente Pontificis, conditionum mentio longe abhorrebat. Igitur Çaldoram potentissimi Præfectum exercitus jubet cum Episcopo Tropeensi adversus Bononiam ducere. Verum enimvero quanta vi charitas paterno pectori jus dicit! Has inter gravissimi instantisque jam belli curas, meditabatur pacem inter Francos et Anglos depræliantes infestioribus etiam quam olim animis. Legatum ab Latere Nicolaum ad eos iterum designat, et forte audita Bononiensium nonnulla parendi voluntate, totus in pacem pronus, omnem illi, priusquam proficisceretur, componendæ cum Bononiensibus conficiendæque in perpetuum pacis tribuit potestatem.

CAPITULUM XIV.

LEGATIO DE PACE INTER GALLOS ET ANGLOS COMPONENDA.

Dictum nuper de Caroli VI et Henrici V Galliæ et Angliæ regum intempestivo tunc obitu, cum jamjam foret inter illos opera Nicolai jungenda concordia, cujus spes omnis cum iis extincta est. Paulo ante Henricus quam fato fungeretur, Henricum VI ex Catharina regis Galliæ Caroli VI filia susceperat, qui post octavum ab ortu mensem Rex Angliæ, idemque rex Galliæ salutatur, paterna virtute successori suo, etiam tum in cunis vagienti, duo imperia subdente : altero ab Lancastrensi familia usurpato, altero etsi juris specie optato, sed vi armorum parto.

Interea temporis dum adolesceret filius, Angliæ tutelam fratri suo Henricus Glocestrensi Duci commiserat ; Galliæ regimen partim Bedfordiensi e fratribus alteri, partim Burgundiæ Duci, cujus iidem ut fratres amicitiam colerent, nec ab ea unquam moverentur, velut fatale documentum testamento caverat. Sperabat hoc mutui fœderis arctissimo nexu cum Principe Gallici sanguinis cicuraturum ab Anglis aversa Gallorum ingenia; id quamdiu non fieret, novum diadema semper in Angliæ capite nutaturum.

Verum servatis diligenter ab ejus obitu quæcumque moriens mandaverat cæteris, hoc unum, quod factu facillimum summeque necessarium, indomiti illius amores, privatæ alterius sive rationes, sive importuna prudentia infregerunt. Priorem a Burgundo Glocestrensem avertit Jacquelina Bavara Hollandiæ comes et Burgundi sobrina : hanc ejus infatuatus amoribus marito duxit superstite, Brabantii Duce itemque Burgundi cognato; quod ejus cum

ea conjugium fuisse irritum causaretur, nec ducis Philippi arbitrium in his ullo modo voluit experiri.

Dux ergo apertam Brabantini defensionem professus, juvit illum auxiliaribus copiis, totaque Artesia et Belgio Nobilitatem primariam in ejus castra edicti præconio evocavit. Quibus graviter offensus Glocestrensis amaras de iis querelas ad Ducem perscripsit, in quibus etiam edicta illius falsi accusabat; quod Dux tam acerbe accepit, ut eum ad singulare certamen provocaret.

Bedfordiensis a Burgundo pariter abscessit, dum obsidet Aurelianenses : quibus deditionem hac lege parantibus, ut manciparentur Burgundiæ Duci, conditionem rejecit pertinaciter, eoque Philippum non mediocriter pupugit ; utrimque hactenus multo sanguine pugnatum fuerat, sed aliquanto infelicius ab Gallis.

Parisiis imperitabat Anglus, exulabat Delphinus, qui Caroli VII appellatione patri successerat; sed Ducum, quam diximus, a Burgundo alienatio novis successibus initium dedit multum Carolo opportunis, et Joannæ de Arco, cognomento virginis Aurelianensis, eximia opera mirifice promotis. Certum egregia patrasse : obsessam Aureliam incursionibus aliquot liberasse; Remos inaugurandum Carolum deduxisse; bis fuisse in pugna vulneratam, fortem juxta atque intrepidam, solitam quacumque pugnans incederet secum victoriam circumferre, terrorem denique, quo nullus Angliæ formidabilior unquam fuit. Jam prolixissimæ postremus tragœdiæ maximeque funestus Galliæ imminebat actus, utrobique miseræ seu vinceretur seu vinceret : instar enim aridi corporis exhaustis carne ac sanguine ossibus ac venis se trahebat; premebat durius in dies longa calamitas populos, quorum fletus et voces acerbæ et querulæ deinceps non tacite ferebantur.

Hæc pium Martini Pontificis pectus dolenter fodiebant, cum ad aliquod horum remedium Legatum ab Latere, ut antea dictum est, destinavit; rogatusque est illorum omnium, alioquin inter se implacabiliter dissentientium Principum, communibus studiis, si fixum illi esset aliquem legare, præter Nicolaum mitteret neminem, in cujus integritate fiduciæ plurimum reponebant. Is multa et vera de morbis et calculo cum frustra objecisset, parendi religione coactus itineri se dat : ad cujus cumulandam authoritatem novo hoc privilegio 5 Cal. Decembris Martinus Nicolaum insignivit, cujus talis est tenor :

« Cum te ad pacificandum regnum Franciæ commisso tibi plenæ Legationis officio ut pacis Angelum destinemus, nos volentes ea tibi concedere, per quæ animarum saluti valeas providere, circumspectioni tuæ omnes et singulas personas, tam ecclesiasticas quam sæculares, quæ a Catholicæ Fidei et sanctæ Matris Ecclesiæ documentis deviantes,

in hæresim quomodolibet collapsæ fuerint, postquam ad veram et Catholicam Fidem redierint, et errores suos abjuraverint, et reconciliandi et dispensandi tenore præsentium plenam et liberam concedimus facultatem. »

Inde literas has Pontifex ad Henricum regem Angliæ 11 Cal. Januarii scripsit, orans, ut se exorabilem ad rem constituendam præberet. « Ad pacem procurandam dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Crucis in Hierusalem presbyterum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum, tamquam pacis Angelum destinamus; sperantes in Domino, quod ipsius profectio et ipsi Deo erit accepta et hominibus salutaris. Tuam vero clementiam exhortamur, et cum paterna charitate rogamus, ut abolita omni memoria injuriarum, et extinctis incendiis odiorum, et omni alia affectione deposita, Cardinali te exorabilem præbeas et placatum. »

Iter igitur Nicolaus aggrediens primum a Nicolao Estensi marchione honorifice exceptus, communicavit cum illo, quam innuimus, potestatem Bononiensis rei Pontificis nomine pro arbitrio componendæ. Facit confestim Bononienses Marchio certiores, Nicolaum apud se divertisse, habere illum a Summo Pontifice integram facultatem stabiliendæ quam expetebant concordiæ, usurum illa perlibenter, si vellent, et æquis conditionibus Summique Pontificis agnoscendo imperio aures darent. Ab his Magistratus significat nequaquam alienum se esse, verum in re tanti et fidem publicam et fidejussorem poscere. Sic votis exclusis, Cardinalis iter prosequitur, quod extra Italiam nondum protulerat, cum de Pontificis Martini morte accepit; decesserat 20 Februarii anni 1431.

Hic Papæ defuncti Legatum ulterius pergere cum minime deceret, Romam vero redire cum abs re videretur, æquius censuit in agri Veronensis oppidulo, novi Pontificis creationem opperiri. Lecto in Eugenium IV Condolmerio cardinali (fuitque multorum opinio, in Cardinalem a S. Cruce, si præsens adfuisset, itura fuisse suffragia), apud Pontificem novum per literas solitæ adorationis officio functus, Nicolaus simul conatus est Legati munus a se excutere; verum e contrario in eo confirmatus jubetur pergere et quam fieri posset celerrime properare. Ita Galliam versus festinavit cum eadem semper victus vitæque consuetudine ac severitate.

De Nicolai adventu Lugdunum in antiquis Ecclesiæ Lugdunensis Tabulis sic mentio fit : « Anno 1431, die 27 Julii, intravit Lugdunum R. D. Cardinalis S. Crucis, Legatus Eugenii Papæ IV, missus ad Regem Franciæ pro unione et pace regni. Et iverunt ei obviam processionaliter, cum cappa, cruce et baculo pastorali ac mitra ; et inde totum collegium Lugdunensis Ecclesiæ cum cappis, duobus candelabris, thuribulo et aqua benedicta, veniendo

usque ad chorum decantarunt : *Inter natos mulierum non surrexit major, etc.* Postea vero D. Archiepiscopus dixit Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, etc.;* et inde Cardinalis dedit benedictionem ante majus altare, etc. »

Hic resurgere afflictæ spes; hic mentes abjectæ erigi, passimque jactari ab omnibus inveteratum vulnus nulla esse curatione medicabile nisi a Nicolao sanaretur. In Gallia neque laboribus, neque sumptibus nec periculis pepercit, ut ipse Rex datis ad Synodum Basileensem epistolis diserte testatus est : « Cum superiore tempore, inquit, pia atque devota supplicatione charissimi ac dilecti amici nostri Cardinalis S. Crucis res ipsa non modica disceptatione variis assignationibus agitata fuerit, quanquam labori, periculis atque expensis minime ipse pepercerit, tamen ad optatum portum non pervenit. »

Rei vero quam agebat summam cum aliis tum hac præcipue difficultate sensit ab Anglis præpediri, quod de loco non conveniebat in quem Principum Oratores ad tractandum pacis negotium coirent; quare ad eum benevole admodum Pontifex Brevi diplomate scripsit :

« Miramur et dolemus, quod cum circumspectio tua ex commissione nostra pacem regni Franciæ tanto studio ac diligentia tantoque personæ tuæ incommodo et labore procurarit et procuret, non fuerit adhuc inter illos Principes, quorum necessarius est consensus, concordatum de loco in quem Oratores partium pro pace tractanda apud te debeant convenire. Commendandus est autem multum Philippus dux Burgundiæ, qui paratus est obsequi voluntati meæ, cui super hoc scribimus, atque item charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi illustri, hortantes eum ad pacem, ne ex levi discrepantia relinquatur practica tanti boni, pro cujus consecutione non gravetur tua singularis bonitas laborare, donec perfeceris, vel saltem manifeste cognoveris per manus hominum non posse concludi. Nam si tu non feceris auctoritate nostra et Ecclesiæ, et prudentia ac diligentia tua, non videmus per quem hominem fieri possit. »

Re igitur nulla officio deesse, imo supra omne officium cumulate quicquid e re futurum putasset adhibere, vagari tota Gallia sursum versum, nec ullam fere celebriorem regni urbem omittere quam pacis causa non adiret; agere cum Principibus coram, scribere ad absentes proculque positos, verbis ac literis sanctæ charitatis ignem omnibus adspirare ; ponere cunctis ob oculos et inculcare jacturam bonorum, sacrorum deprædationes, occisorum absque numero neces, sumpta carnificum manu de multis supplicia, dehonestamenta matronarum, virginum rapinas ex ipsomet patrum gremio revulsarum, oppidanorum populationes perpetuas atque incendia, sexcenta demum inusitata ac barbara crudelitatis

spectacula, et calamitates regni utriusque ante inauditas, quas tota horreret Europa, nulla pars orbis ignoraret aut siccis animis audiret; pacem inclamare, vociferari pacem et crebris literis nunquam non poscere.

Quibus Burgundus cum se non difficilem præbuisset, laudatus est a Summo Pontifice illo Diplomate, quod paulo ante datum retulimus. Favit illi placiditas animi ex qua Boni cognomen est sortitus; nec diu esse in armis potuit, in quæ præter ingenium fuerat abreptus violenter. Longe etiam vidit inter Anglorum prospera et clades Caroli nihil se præterea compendii facturum, nisi ut ab se revulsa Gallia spes omnes sibi præriperet, quæ Principes regii sanguinis, si casus tulerit, possunt in regnum attollere.

At vero Carolum Nicolai dicta in vanum pulsabant; nam quo pacto una et regno et regni titulo sustinuisset alteri cedere ? aut titulo tenus Regis Galliæ nomine contentus vivere, regnante Parisiis altero, et in magna Galliæ totius parte ? Sed ineluctabile ab Anglis pacis negotium videbatur, ut qui Carolo ne titulum quidem, nec regni, quam obtinebat portionem relicturi erant; et captam virginem Aurelianensem cum in sua haberent potestate, sperabant cadentibus animis, quos illius superstitio (sic vulgo jactabant) suggerebat, relapsuros in pristinam dejectionem Gallos, rediturамque magno alarum remigio ad Anglos victoriam.

Jam Henricum suum, annorum duodecim puerum, Parisios duxerant, et Vencestrensis Cardinalis manu in æde B. Virginis solenni ritu coronarant. Velle demum ex iis pacem extundere, idem erat et jura omnia quæ sibi in Galliam arrogabant extirpare, eorum licet tam alte cerebro jam inde ab Eduardo III defixa, ut Richardus II Regis nomen Carolo VI semper negaverit, Principis titulum, antequam socer is sibi fieret, solum concesserit, socero postmodum Galliæ Parentis, at Regis nunquam tribuerit. Perruptis tamen quæ obstabant difficultatibus tot ac tantis, servi sui labores Bonitas divina ex parte solata est, armis inter Burgundiæ Ducem et regem Galliæ Carolum et Anglum in sexennes inducias pacto fœdere suspensis.

At ægre potuit pacis hujus, quantulacumque erat, læto nuncio Papa et Romana Aula recreari, ut quæ simul jurata est et infracta : cujus facti culpam Angli in Gallos conjiciunt; recte an secus, nihil ad rem quam ago. Cæterum Nicolaus tot ærumnas cernens nullo ab se fructu exantlatas, constanti nihilominus robustæ virtutis in gradu stetit, Beatarum æmulus mentium, quas strages animarum mœrore non tangit, quibus assiduas operas navarunt; expleti conscientia muneris consolatus est successus infelicitatem, et publico testimonio de vigilantia Supremi Pastoris, pietate Ecclesiæ in suos, ex ore omnium reportato, dixisse apud se il-

lud crediderim : « *Curavimus Babylonem, et non est sanata ; derelinquamus eam,* et in patriam redeamus. » Rediit igitur, quæ utroque ab rege offerebantur muneribus pari modestia et abstinentia rejectis, suique æterna memoria relicta, tum candoris et morum illustrium, tum vero maxime exempli singularis in gratuita semper omnium, quæ ex illo penderent, confectione, illud identidem repetens : « Gratis accepi et gratis do » ; quod reipsa in omnibus quæ gessit officiis et Legationibus religiosissime tenuit.

CAPITULUM XV.

PROFECTIO BASILEENSIS AD SYNODUM, REGRESSUS IN BONONIENSEM ECCLESIAM, OPERA PIETATIS.

Indixerat Martinus Pontifex Ticini Synodum generalem, ad instaurationem disciplinæ ecclesiasticæ, Constantiensis Concilii decretis ipsi commendatam ; Ticino exclusa ob pestilentiam, Senas eamdem transcripserat. Sed eam, confluentibus undique jam Prælatis, coactus est solvere ob dolosas quorumdam Principum contra se machinationes : decrevit tamen, ut post septennium celebraretur Basileæ. Ergo anno sæculi hujus primo et trigesimo, Martini ultimo, Basileensi in Germania œcumenicæ Synodo initium datum est. Confirmatumque post ab Eugenio successore, ut viderent Patres et maturis inter se consiliis sapienter censerent de Aulæ Romanæ totiusque Christianitatis emendatione ; de Bohemorum querimoniis, et apposito ad illas remedio ; ac de excindenda Hussitarum perditissima hæresi.

Sed leo assuetus ad carnificinas circuire, ex illo primum tam venerabili consessu prædas egit clam, palam deplorandas. Nam pro correctione orbis christiani (qui prælinebatur consultationibus color) videbatur unum spectari tantummodo ut Summi Pastoris plena et legitima potestas imminueretur. Quare Legatum suum Pontifex revocat, solutam edicit Synodum. Illius habendæ authoritate Patribus abrogata, hæsit nihilo secius in cœpto, edictis refraga et ex Concilio in coitionem versa, negavit penes Pontificem dissolvendæ Synodi jus esse; sicque turbari jam cœperant cum se ex Gallia referret Nicolaus.

Quæ Basileæ ut præsens exploravit dici non potest quantum doluerit, quam multa questus sit, monuerit, moverit, inter illos Patres majestatis ecclesiasticæ studio vir sanctus, inculpatus, antiquæ bonitatis, atque ut loquitur S. Antoninus, ad propagandam authoritatem Ecclesiæ de cœlo commodatus. Animo, ut eloquio, ardens, improbavit, arguit, objurgavit quæ gesta fuerant Vicario Christi injuria, detestatus est sejunctionem illam a vero capite, hortatus vehementer ad consensionem cum Summo Pastore obstrictamque illius nutibus obedientiam ; argumentis demum validissimis ostendit non fore

hanc Synodum, cui convocatæ deesset authoritas convocantis ; nec esse in Spiritu Sancto congregatam, quam is significaret congregatam se nolle, cujus ore Spiritus Sanctus Ecclesiam regeret.

His cum nihil efficeret, iter in Italiam relegens, anno sæculi trigesimo altero Bononiam pervenit, cui Eugenius, deprecatore, arbitror, Nicolao, cum in Ecclesiæ collocatus throno pacem statim dedisset, eam incredibili sua voluptate pacis illius aprica otia ducentem revisit. Exceptus est ingenti affectu bonus Parens et teneritate quam fingi possit dulciori, antiquos complexus optatissimis filiis divisit ; mox ad erigenda quæ per civiles discordias non potuerant non labare animum applicuit, verbis quidem sed manu acrius, ut ipsi mos erat, corrigendis incumbens : eleemosynas omitto in quibus suum solenne tenuit, pie semper in Christi filios prodigus.

Literatorum ut alias curam repetiit, scire volens unde et quam commode illis suppeteret. Quare per Thomam Serzanensem, qui sibi a secretis erat, quæri jussit ex Francisco Philelpho viro per ea tempora erudito, sat an copiose et ad votum prospere Florentiæ ageret. Redditis Franciscus ad Thomam literis beneficia erga se memorat Cardinalis veteris sui Mæcenatis; ad quæsita vero respondit : Cui Florentia non placeret, huic boni nihil sapere.

Ad hæc pietatis ejusdem monumentum fuit S. Proculi cœnobium, et sacellum B.Mariæ de Monte; Olivetanis vero monachis multa ob incensum ipsorum cœnobium passis, et tunc quoque angusto habitantibus, monasterium B. Mariæ a Misericordia extra Castilionensem portam attribuit, translatis in S. Ursulæ intra urbem monialibus quæ illic degebant.

In his porro et aliis religiosæ pietatis operibus insigne hoc traditur : Prope Bononiam in monte quem a Custodia vocitant Deiparæ Virginis imago colitur B. Lucæ penicillo depicta ; ea ante annos complures in S. Sophiæ Constantinopoli servabatur, cum adjuncta in hunc sensum epigraphe : Hæc Tabula evangelistæ Lucæ manu depicta in ædificatum ab eo templum supra montem a Custodia dictum portanda est, ibidemque statuta in altari sanctissime colenda. Hanc cum forte vidisset Eremita, dari sibi a sacerdotibus petiit portandam in locum cœlitus illi designatum, sancte pollicitus peregrinandi finem non prius facturum quam eum locum invenisset. Hic post longos denique errores cum Romam venisset, ab Senatore intellexit ex Pascipauperum familia Bononiæ orto et ipso Pascipaupere appellato, montem illum quem tamdiu quæsierat in Bononiensi agro esse, alteroque ab urbe lapide in monte ædem sacram Evangelistæ Lucæ nomini dicatam ; quibus indiciis et Senatoris ejusdem ad Bononienses Magistratus epistola munitus, Bononiam pergit, gesta narrat, imaginem reddit,

quæ paratum a Deo in templum delata summa illic veneratione anno 1160 habita est.

Sacræ hujus præsidium iconis tamquam verioris Palladii, misere afflicta anni trigesimi tertii tempestate, Nicolaus requirendum putavit. Cum enim Maio Bononiæ terra ingenti omnium horrore movisset, et per Junium consequentem eluviones imbrium messem corrumperent, triduanas preces publice indixit; sed earum vota idcirco visa differri paululum, ut cumulatius implerentur. Dum enim aliud quid pium in Consilio quæritur quod foret apud Deum efficacius, ex Antianis unus Gratiolus Gratioli, haud sine divino instinctu, Florentinorum exemplum produxit, idemque præstandum censuit, quod illi toties experirentur tam belle succedere : utque illi periculosissimis casibus opem Virginis exposcebant, cujus nunciatum excipientis Deum mirabilem Tabulam penes se magnifice asservabant, et miris prosequebantur honoribus, nec salutis optatæ spe unquam fallebantur ; sic Bononienses oportere ad calamitates depellendas, quibus gravissime urgebantur, efflagitare supplices idem præsidium Virginis, apud sacram illius in monte a Custodia iconem, sibi cœlitus magis quam humanitus donatam.

Placuit Gratioli pietas Cardinali ; et cum Antianis edixit e monte in urbem portari. Solenni deinde procedentium ordinum Supplicatione honorari, miseriis increbrescentibus levamen rogantium ; transferendi cura Sodalitati S. Mariæ a Morte credita, ab iis die Julii quarto delata Bononiam sanctissima Tabula apud S. Matthiæ moniales honorifice deponitur, quæ illam etiamnum in monte a Custodia asservant.

Sic per triduum Cardinalis magna supplicantium pompa sacram effigiem cum ferri jussisset, tribusque in templis preces ad Deum ardenter ab omnibus fundi, rediit illico insperata serenitas, stetere imbres, veri luminis Mater propitios radios detersi jam cœli urbi restituit. Quam semel experti gratiam, Bononienses in ejusmodi casibus deinceps perpetuam ab eadem sacra imagine senserunt, atque hinc ritus apud illos sane laudabilis ac pius eamdem quotannis peculiari cum honore ac reverentia solennibus Rogationum feriis circumferendi.

CAPITULUM XVI.

LEGATIO BASILEENSIS AD SYNODUM.

Versaturi nodum si quis in tota historia valde gravem, ducendo lentius egemus stylo, et eorum quæ nuper de Synodo illa attigimus narratione : quibus nempe de causis Pontifex indictam juridice Synodum solvi mandaverit, et detrectatio mandati ab anno trigesimo primo ad trigesimum quartum, quo tandem evaserit ; ut virtus Albergati splendeat clarior ex perplexitate negotii ardui, cui sanctæ Ecclesiæ Legatus

egregiam operam impendit. Et si enim illam frustratus est eventus, haud tamen ullas magnæ mentis et exquisitæ prudentiæ omisit partes : nam et ipsis divinæ gratiæ artibus pertinacia hominum quam sæpe, et ut plurimum, obstat !

Jam ut scopum historiæ ab ortu rerum Basileensium relegamus, Joannem Belpanem Vesontionensem canonicum Julianus Cæsarinus cardinalis legatus ad Eugenium miserat, nuntiaturum vix ullum eatenus ex Prælatis Basileam venisse; urbem illam et circumvicina Austriacis et Burgundiorum copiis infesta, earum metu interclusa vocatis itinera, offensiones ibidem Clericorum a civibus Hussitana hæresi fœdatis nasci quotidie pejores, multosque ab iis interfici. Præter hæc cum Eugenius interpellaretur ab Imperatoris Oratore, et Patriarcha Orientis de Concilio quod motum jam fuerat, Martino adhuc in vivis agente, ad consociandos cum Latina Ecclesia Græcos, et huic habendo Bononiam Eugenius legisset, visum deinde est locis tam dissitis non posse utramque Synodum recte et commodo celebrari.

His et aliis de causis, probantibus quos secum habebat Cardinalibus decem, potestatem Legato fecit solvendi Concilii, indicto, quod modo innuimus, Bononiæ altero post sesquiannum celebrando (et illic quidem in argumentum integratæ cum Bononiensibus gratiæ), at post decennium alio, ex decretis Constantiæ, ubicumque Legatus et Patres Basileenses cogendum probassent. Tametsi autem Julianus mutatis consiliis urgeret Pontificem ad evocandos iterato Præsules Basileam, majoremque in modum conducere ad restituendos Germaniæ mores, id tamen ex eo nunquam assequi valuit, Pontifice altius ad dimittendam Synodum obfirmato, ob dictas, ut videri volebat, causas : ut vero res erat, quod congregati propositam haberent Pontificiæ potestatis plenæ, legitimæ ac summæ imminutionem; nec suspicionem hanc fuisse, sed certum judicium, quæ consecuta est experientia nimium docuit.

Acceptis Legatus literis anceps primum hæsit an exequeretur; et supersedendum executioni denique statuit, his rationibus persuasus, quod adventare tunc Præsules, quod Regum et Principum Oratores, quod nonnullos etiam e Cardinalibus adesse cerneret, quod difficultates iterum sublatæ causæque omnes, quæ ad solvendi Concilii mandata Pontificem moverunt. Aliunde vero Germanicis et Bohemicis rebus necessariam Basileæ censebat Synodum, nec differri posse vel alio transferri absque rubore et injuria Episcoporum ac Principum, quorum illi per se, hi per suos aderant Oratores. Pergendum itaque in cœpto ratus, Decembris septimo in diem Veneris cadente, generali vocata congregatione, primam Synodi sessionem ad diem mensis quartum et decimum in episcopalis Cathedræ ecclesia indixit.

De iis quæ acta fuerant plenas scripsit ad Sigismundum Romanorum regem epistolas, qui ad Imperium electus Romam ibat a Papa coronandus. Rescripsit Mediolano Sigismundus, et Cardinalis Clerique constantia plurimum laudata, vehementer suasit, ut ejus essent fortiter tenaces, illosque ab suo consessu rescinderent, velut membra putredine perdita, quotquot de Synodo dissipanda aliquid molirentur, quo nihil posset Ecclesiæ perniciosius accidere. Scripseratque jam ante in eamdem sententiam ad Papam, cum audisset fixum illi esse Synodum solvere, quam e contrario ejusque prosecutionem enixe commendarat.

Ad condictam diem sessio prima habita est, eique interfuit Bavariæ dux, comes Palatinus, Willelmus, cui Sigismundus, antequam in Italiam transmitteret, suas in defendendo Concilio vices demandarat. Et illo quidem priore consessu nihil agitatum est, quod Romani Pontificis authoritatem impeteret. Is tamen habitæ adhuc ignarus sessionis, ex assensu decem Cardinalium, ad Decembris decimum octavum, ejus Concilii dissolutionem edictione promulgavit; Bononiæ alterum, inde sesquianno, cui ipsemet esset adfuturus; Avenione tertium indixit post annos decem celebrandum, ut Constantiensibus decretis sua authoritas servaretur. Colorem edicto præbuit quod Basileenses Bohemos hæreticos invitassent ad suæ fidei capita novo examini subdenda, cum esset duabus jam Synodis, Constantiensi ac Senensi, hæresis damnata, proinde in posterum nusquam audienda. Scripsit et alias Synodi dimittendæ ad Cardinalem Julianum rationes, et de iis quæ constituerat, tam Sigismundum, quam Reges cæteros primariosque Antistites distinctioribus Literis docuit, hanc potissimum præferens edicti sui causam, quod absque incommodis gravibus optata concordia inter Latinam Græcamque Ecclesiam tractari in Germania non posset.

Ad hæc, anno 33, acerbe respondit Sigismundus, testatus mirari se maxime edictionem illam Pontificis, fore hanc fontem innumerabilium cladium et offensionum maximarum, Fidemque Catholicam stirpitus revulsuram; proin obsecrare in totius Ecclesiæ gratiam, dignaretur promulgatam Concilii solutionem rescindere; corrigendos imprimis Latinorum mores, tum de consensione Græciæ videndum; haudquaquam Bohemos ad nova examina invitandos, verum ad meram ex Patribus sanioris doctrinæ expositionem audiendam, quod Martinus V non unis ad ipsummet Sigismundum et Regem Poloniæ literis agendum præscripserat. Eodem argumento ab Rege Angliæ Papa literas recepit.

In Gallia vero, regni Episcopos Bituriges vocatos Rex videre mandavit, quid opus facto, cum inde a Patribus Basileam, hinc ab Eugenio Bononiam vocaretur. Censuere Galli a Basileensi-

um partibus, cohortati Regem de continuatione Concilii literas ad Pontificem daret : et plane nihil æque hanc fovit uti Principum tutela; ipseque Sigismundus partam Constantiæ gloriam visus est Basileæ fuscare.

Itum interea in alteram sessionem, qua uti et reliquis ad sextam et decimam, anno 34 celebratam (quo legatus Eugenii Nicolaus Basileam pervenit) aliquid semper decretum est, quo suprema atque immobilis supremi Pastoris deprimeretur authoritas.

Nicolaum legatum præcesserant Prælati quatuor, Pontificis Nuncii, a quibus nihil effici valuit, obstinatis ad subjiciendam Concilio Vicarii Christi majestatem Basileensibus. At precibus quidem Sigismundi concessit tandem Eugenius, Synodumque in posterum Basileensem confirmavit, suos illuc quam primum Legatos missurus, monens interim qui jam convenerant, Bohemorum saluti et concordiæ Principum studerent. Nondum erat hæc confirmatio Basileæ audita cum Apostolicus Protonotarius, idemque episcopus Cerviensis, Joannes Mella, et Abbates duo illuc a Pontifice Nuncii appellunt; quidquid maxime æquum ac plausibile videri poterat in medium proferunt; adeoque ut si Bononiam Bohemi respuerent, de illorum rebus Basileæ, sed intra præscribendi spatium temporis ageretur, quod ubi præterisset, Patres Bononiam se conferrent. Sed hæc illos a pertinacia minime removerunt, qua Papam negabant indicti jure Concilii solvendi jus ullum habere.

Accepto deinde Sigismundi rescripto de Synodo a Pontifice confirmata, et suffectis in vicem Legatorum (quibus proficisci tam cito non licebat) Prolegatis, quos admonebantur benigne excipere, ut in conspectu Concilii stetere, mox illud decretum de confirmatione Synodi a Papa recusarunt. Ob quæ nihilo iratior Pontifex patremque retinens, iterum ac tertio Synodum confirmavit, Præsides modo admitterent quos recens ad eam destinarat, et abrogarent quæ contra se ac suos perperam gessissent. Ubi advertendum, non propterea vel probasse quidquid erat in Synodo decretum, vel quidquid ab ea deinceps gereretur præter usitatam Conciliorum facultatem, vel dissolvendi Concilii rescisso decreto ejus dissolvendi potestate se abdicasse, sed ejus solvendi amotis jam causis, et eorum metu, qui edicti Synodum solventis revocationem grandi in publicum offensioni futuram affirmabant, æquum judicasse, ut in habenda Synodo pergeretur.

Ergo anno 34 ad 5 Februarii, Patres (decimo sexto) consedere, inter quos adfuit cultu imperatorio Sigismundus, accepta tunc a Pontifice corona ex Italia redux : leguntur de Synodo stabilita Pontificis Literæ ; cogitur Aprilis 24 pridie Dominici diei nationum congregatio generalis ; admittuntur Legati Pontificis, sed adhuc privati ; horum princeps fuit B. Cardinalis, quem Papa

per Literas Decembris 15 datas ire jusserat Basileam, cum potestate integra peragendi quidquid ipse per se judicasset Ecclesiæ incolumitati dignitatique maxime convenire : comites habuit in eo munere Joannem archiepiscopum Tarentinum, Petrum Patavinum episcopum, et S. Justinæ Abbatem Ludovicum.

At 17 sessione, Aprilis 26, cui et Imperator interfuit cum Prælatis centum mitra insignibus, admissus est in Concilii Præsidem noster Cardinalis, et cum eo Julianus pridem eo missus, aliique jam dicti comites Nicolai, verum sine ullo cogendi jure, salvaque agendi ratione quam eo usque Synodus tenuisset. Fuit quin etiam quorumdam suspicio, missum a Papa Nicolaum, ut Cardinali Capranicæ illum opponeret, qui, Pontifici graviter offensus, electionem ejus tamquam vitiosam criminaturus forsitan putabatur. Verum enimvero probus Capranica, etsi a Papa læsum se credidit, et Basileam idcirco confugit, quod eum Pontifex Romam adire vetuisset et dignitati suæ insignia gestare, at illum nec verbulo attigit; quinimo, ut erat, pro vero ac Summo Pastore perpetuo coluit, et ea quibus mordebatur forti patientique animo omnia devoravit.

Nicolaus vero Summi Pontificis legatus ejus vice Concilio præerat. Quamvis autem ejus authoritas a Basileensibus circumscripta esset justo angustius, summis tamen honoribus ab illa urbe, a Patribus, ab Cleri totius ordinibus congregatisque omnibus est ornatus. Fervebat ejus aula, tam conferta officiorum frequentia, ut adesse Papa, non Cardinalis, videretur; et in quibus degebat conclavia, tot adeuntibus stipata, ut alteram quamdam apud illum existimasses haberi Synodum.

Quid autem non movit dixitque vir sanctus in tuenda Pontificia majestate, ut occæcatis adversantium animis inferret penitus : qui esset novorum natalium jure Ecclesiæ filius, prærogativa supremæ potestatis fieri ejus patrem; non posse caput suis membris subdi nec subjici authoritatem summam ; nec Papam a filiis, nec ab ovium judicio Pastorem Summum suspensam habere imperii sui vim ac modum; torqueri perperam edita Constantiæ decreta, nusquam iis decerni legitimum certumque Pontificem œcumenicis Synodis subesse?

Quonam igitur pacto Eugenius, rite indubitateque Christi Vicarius, Petrique successor, pronuntietur Concilio subjectus? Qui possint illa maximorum effata Pontificum velut nove inventa ignorari, aut nisi a schismatico respui? Leonis ad Anastasium Cæsarem; Gelasii ad Dardaniæ Præsules ; Nicolai I ad Michaelem ; Gregorii Magni, Paschalis, Innocentii III : quorum est omnium una vox, non posse Concilia legem Pontifici dicere, cum nisi ab eo nihil juris possideant; alioqui fore sibimet eumdem obnoxium, seque ipso superiorem simul et inferiorem; priores

quatuor Synodos, pro Libris quatuor Evangelii unius a Gregorio Magno observatas, et quadruplici alveo sanctæ Ecclesiæ paradisum ex uno fonte irrigantes, nihil tale de Pontifice commentas, ejus adorabilem semper Primatum reveritas; Sinuessanam non ausam damnare Marcellinum, ut cui certo constaret primam Sedem judicari a nemine; Lateranensem denique tertiam scivisse authoritatem esse nullam, ad quam ab Ecclesiæ tribunali provocatio sit.

Basileensi porro Concilio corpus Ecclesiæ nisi truncum non repræsentari, ut cui caput deesset, cui Princeps gladius, cui Dei exercituum Vicarius. Patres Romanum Concilium Sylvestro Pontifice illo canone conclusisse, quo primariam Sedem cujusvis mortalium ab judicio exemerunt. Chalcedonenses, et Dioscorum Constantinopolis Patriarcham, et Ephesinam Synodum secundam ob hoc præcipue damnasse, quod ausu nefario adversus Summum Pontificem tulissent sententiam. Quid item Romanum Adriano II celebratum? cujus verba hæc refert octava Synodus: omnium Ecclesiarum Episcopos Romanæ Sedis subiisse judicium, hanc vero Episcoporum neminem ausum unquam fuisse judicare.

Sæpius monuit fundanas miserias denuo ne cierent; calamitates Peniscolæ levioribus natæ principiis, quot annos quam infelices tenuissent! Quid vero malorum non pertimescendum, si (quod avertat Deus) Basilea serpentem pepepisset? Adesse nunc tempus recreandæ tranquilla pace Ecclesiæ; spiraret tandem liberius cœlum Christi Sponsa, et jam medio jactata sæculo Petri navis securo portu quiesceret. Ne, quæso, per Deum immortalem, ne in naufragia, quorum ægre pericula evasit, nostra aliqua culpa revolvatur! Juvare, opitulari, in tutum subducere possumus; nostrum est syrtes recludere, nostrique, adeo si res ferat periculo, sanguinis fundo attollere et pristinæ serenitati reddere. Impugnari hanc hostium rabie quid mirum? Ab naucleris vero demergi propriis, res est ad quam conclamet Jeremias: *Obstupescite cœli super hoc!* Proh! qui nos dissensus ab nostro Navarcho distrahit? ejus est regere, nostrum regi; ejus est ad clavum sedere, notare sidera, jubere, nostrum labori ac remo incumbere; misellum plane lignum et naufragum quod imperantium multitudine gubernatur.

Hoc mihi eorum dumtaxat specimen occurrit, quæ a B. Cardinali dici hoc rerum periculo potuerunt; nam velle scribendo quæ dixit consequi temerarium putarim; quæ, quomodo, qua vi ac spiritu locutus in re tanti, atque in consessu tot hominum nimio plura quam oporteret scientium, viderit potius qui legit quam qui scribit.

At Basileenses nulla moti luce æquitatis ovum suum fovebant ut basiliscum excluderent, et Nicolai virtutem demirati, doctrinæ non æque tribuebant.

Maii 11, cum ab iis quædam Pontificis nomine postulasset, negandi licentia omnes officii lineas violarunt : quare sessioni, quæ ad Junii 26 condicta fuerat, adesse noluit, haud ignarus Pontificiam majestatem quam essent inconsulte ac temere depressuri.

Ea sessione repetitum est decretum Constantiensis Concilii cum falsa, quam illi affingebant, explicatione de jure Conciliorum in Summum Pontificem ; oblatus eidem consessui ab Joanne Antiocheno Patriarcha, quem scripserat, ejusdem argumenti liber. Et hæc totidem vulnera Nicolai pectus misere configebant, nec supererat aliud afflicto solatium præter continentes ad Deum lacrymas ; iis noctes ducebat, et per crudas suimet divexationes pertinaciam alienam voluntariis luebat pœnis. Hanc tamen silens nunquam sustinuit, objurgavit constanter et execratus est cæcam duritiem Basileensium, qui ejus pertæsi oracula, et impatientes viri tam illustris, excogitarunt honestam speciem qua illum ab se procul amoverent.

CAPITULUM XVII.

LEGATIO AD PONTIFICEM CONCILII NOMINE, ET BASILEAM AD ILLUD REDITUS.

Romæ interea adversus Eugenium turbatum fuerat, authore Philippo Mediolanensi hoste Pontificiæ ditionis capitalissimo, totius Italiæ summum imperium affectante ; qui suorum licet emissariorum ministerio fœdus ipso cum Papa, Venetis et Florentinis prensaret, nihil relinquebat intentatum quo Papam everteret dominio. Ad hoc Franciscum Sfortiam, sed frustra, sperabat sibi usui futurum, nam hic Pontifici se addixit; quos tamen adhiberet haudquaquam alii defuere, tam detestandi horrore facinoris nihil exterriti. In iis Nicolaus Fortebrachius, qui Ecclesiæ ditiones hostilitate sæva infestarat, et Nicolaus alter Piccininus, cui Dux earum populationem mandato commiserat : scelerosi duo hi homines Fortebrachii arcanis proditionibus in Urbe dire Pontificem vexarunt; nam et ipse trans Tiberim detentus Eugenius, monachi habitu ægre cymba evadens, profugus appulit Florentiam. Increbuit rumor a multum amicis Basileensibus ad lacessendum Papam exstimulatum Mediolanensem, quod malignitate supervacanea ab iis factum, si tamen factum est ; ad infestandam enim Ecclesiam ardentissimus ejus hostis alio stimulo non egebat.

Memor tamen Eugenius se patrem, dedit Florentia Basileam plenas amoris ad Synodum Literas, quibus Patres illos de subortis motibus edocebat, seque in iis fiduciæ plurimum velut charissimis Sedis Apostolicæ filiis collocare. Occasionem hanc Basileenses nacti tam proclivem semovendi ab se ministrum acerrimum in tuenda Pontificia potestate, Nicolaum ad eum legant, sed Legatum Concilii appellant; pacandæ Italiæ, quæ bello ardebat, illi provinciam imponunt;

recipienda ab hostibus Ecclesiæ oppida, ejusque restituenda dominio commendant.

Quid hic ageret Nicolaus? Pejus aliquid timens obsequitur, et legantium quidem inter Synodi Acta literæ non leguntur, sed in ea quam scripsit Sigonius ejus Vita. Aiunt ab se mitti tanquam Angelum pacificatorem (et erat profecto ejusmodi per se se), non autem quod ab iis veniret, quos delectabat afflictam Ecclesiam turbare ac scindere; ac ne videretur diligentiæ aliquid ab iis prætermissum, Petrum Cardinalem S. Petri ad Vincula Nicolao adjungunt.

Dum hæc Basileæ geruntur, Eugenii res paulatim erigi cœperunt, Romaque ad eum sensim redeunte, cum Nicolaus pervenisset Florentiam, perhumano, ut quisque conjiciat, amplexu susceptus est ab Eugenio, et ab universis pro Sancto observatus. Tum de Concilio et quæcumque ad illud pertinerent diserte Papam certiorem fecit, ubique hoc satagens atque insinuans ut ægros illorum animos Pontifex in spiritu charitatis, suspensa manu et paterna tractaret.

En autem ad illum Basilea tunc redduntur epistolæ quibus Legatus sacri Concilii appellabatur et Ecclesiæ universæ. Iis commendabatur Prosperi Columnæ procurator quidam, inter Basileenses factiosissimus, et Papæ inimicissimus; eo spectabat hæc commendatio, ut is beneficia nonnulla Nicolai favore adipisceretur. Erant hæ strophæ vaferrimi illorum ingenii: ut lectæ Pontifici ab Nicolao ipso eæ literæ suspectum illi facerent Nicolaum, quasi partibus Cardinalis sibi valde infensi ac rationibus inhærentem; vel si lectæ eidem per alium forent, acceptas pridem conjiceret Pontifex, et ex iis aliquandiu celatis, latendique hac cura, fidem ejus multo magis crederet dubiam. Verum Cardinalis sincerum pectus et candidum, mox ut literas accepit, statim eas Pontifici exhibuit, qui Legato universalis Ecclesiæ inscribi et onerari commendatione odiosissima graviter indignatus, suas ipse quoque Basileensibus reponendas artes judicavit.

Nicolaum ergo ad eos remisit, suum ut antea Legatum, Concilii Præsidem, et quibusvis eorum machinationibus obsiturum. Fuit hæc in illo primariæ nota obedientiæ, quod jussus redierit in luporum turbam tanto rapacium et metuendorum, quanto pro ovibus ejusdem gregis se ferebant. Basileam reversum ore et habitu non dissimili ac prius admittunt, ne imprudentius virtutem odisse dicerentur. Verum reduci quisque ut gratulabatur effusius, ita ejus adventu interius majori rabie dilaniabatur. Aderat enim defensor ingens Ecclesiasticæ et Pontificiæ dignitatis, quem nihil fugeret, nihil terreret molitionum secretarum et studiorum contumacium, quæ Basileæ pullularent; qui nusquam prudentiæ, cui insueverat, deesset.

Vigesimo consessu, anno 35 ad Januarium 21, convocato, nihil admodum

actum est, quod Pontifici displiceret, invicta nimirum Cardinalis constantia illius apprime conscios inhibente : intorta solum adversum Clericos concubinarios decreta ; admoniti quoque serio laici ; declaratum quorumnam, ex iis quos censura Ecclesiæ teneret, consuetudine cæteris interdictum foret ; ab Sacris interdictiones nisi gravi de causa minime inferrentur ; eadem in noxa duplex provocatio ne esset. Motum fuerat Basileæ ante biennium de annatis seu mercedibus annuis vacantium beneficiorum, quas boni isti synodistæ jam duodecima sessione sublatas voluerant, se vero aliunde Pontificis sumptibus consulturos ; sed hac semper lege ut decretis Synodi pareret, abjecta ad pedes Concilii suprema potestate. Hanc, dum adfuit Concilio Nicolaus, tam industrio flexu controversiam sustinuit, nihil ut novarent, et moderatas semper sententias dicerent ; sed postquam a Papa revocatus Basilea discessit Legatus in Galliam denuo iturus, mirum quam temere in ejusdem prohibitionis iteratam usurpationem proruerint.

Ex quo colligat quisque præcipuum authoritatis summæ firmamentum in fama, prudentia, fuisse repositum, quibus Nicolaum liberalitas divina locupletaverat, et ministrum Ecclesiæ excellentissimum finxerat : exemplum Præsulibus in paucis exprimendum, authoritati Apostolicæ laboranti parem fidumque defensorem.

CAPITULUM XVIII.

SECUNDA IN GALLIAM ET ANGLIAM DE PACE LEGATIO.

Nicolai Vitam perduximus ad sexagesimum ætatis annum, sæculi 35, quo tertium in Galliam legatur ut pace illorum regnorum, Italiam rediens, recrearet. Incruduerant Gallorum contra Anglos arma ipso annorum lapsu qui lentare omnia consuevit : spectabant suas nec horrebant clades, et bellorum damnis sic occalluerant, ut jam sensu illorum non afficerentur. At Eugenius Nicolaum in Galliam remittendum censuit, ut Legatus a Latere, regni illius gravissime saucii tentaret ultimam curationem. Nicolaum etsi annis gravem morbisque assiduis attritum, præsertim acerrimo lateris dolore, cupido non subiit profectionis excusandæ, quam sat pervidebat iterato jussu sibi a Pontifice imponendam.

Salutatis ergo Basileensibus itineri se dedit, non statim recta in Galliam, sed Florentiam versus, veneraturus Summum Pontificem. Illic cum Eugenio tantisper dum ageret, contigit quod refert S. Antoninus. Erat apud Papam Orator Philippi ducis Mediolanensis, simplicis illius et candidi hominis, Bartholomæus Novariensis episcopus ; hic cum Piccinino summo ducalis militiæ Præfecto transegerat de prodendo illi Pontifice, dum per æstivos calores laxaturus paulisper animum in villam staret. Dei nutu proditio patefit, argumentis convincitur parricida, sacrilegus illius

concinnator, exspectatur de illo criminis tam horrendi dignum tali monstro supplicium. Pro venia tamen Cardinales impertienda scelerato Pontifici supplicant, ac præ cæteris Nicolaus; cujus monitorum efficacitate, cum ex tam atrocis rabie criminis se reus collegisset, luce palam, in Aulæ totius oculis, se reum fatetur ac miserabili ejulatu multisque lachrymis implorat misericordiam. His tacta Pontificis pietas ait, quanquam valde immerentem et luce maxime indignum, donare se Cardinali S. Crucis, cui nihil posset negare. Postridie pergit Galliam versus Cardinalis, secum ducens reum, testem duci Philippo futurum Pontificiæ dignitatis.

Ibat antiquo insignis titulo Angeli pacificatoris, quem illi Pontifex novo hoc Brevi iterabat : « Dilecto filio Nicolao tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum te ad pacificandum regnum Franciæ, commisso tibi plenæ Legationis officio, ut pacis Angelum destinemus : nos volentes illa tibi concedere, per quæ personis partium illarum te valeas reddere gratiosum, circumspectioni tuæ dispensandi, cum viginti quinque personis ecclesiasticis (infra limites dicti regni et partium adjacentium consistentibus, et defectum ætatis patientibus) de quibus circumspectioni tuæ videbitur, ut earum quælibet, postquam vigesimum secundum suæ ætatis annum peregerit, possit ad sacerdotium promoveri. »

Scripsit etiam Eugenius ad ducem Andegavensium Renatum his verbis : « Ex singulari affectione quam habemus ad bonum statum et quietem regni Franciæ, mittimus denuo pro illius pace procuranda et componenda dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Crucis in Hierusalem presbyterum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum, virum utique, ut nosti, omni virtutum genere excellentem, qui eam materiam hactenus laudabiliter tractavit. Quoniam autem scimus zelum, quem tu quoque habes ad dictam pacem, hortamur in Domino tuam Excellentiam, ut ad hoc bonum pacis adhibeas consilium et operam tuam, assistendo eidem Legato consilio, auxilio et favore, in quibuscumque rebus poteris, ut hæc sancta conclusio fieri possit. »

Inter itineris comites Nicolaus Æneam Sylvium Piccolominium Florentiæ recepit, quem ab secretis Basileæ habuerat. Jam (contra quam vulgo fit) de antiqua Nicolai fama in Gallia, veneratione et desiderio, iterata præsentia nihil abstulit ; provinciæ vero sibi impositæ Deo fretus manum eo confidentius admovit, quo judiciis hominum habebatur desperatior. Datis ad Principes literis, quadrimestres primum suasit inducias, ut liberi essent utrimque commeatus ad conditiones futuræ pacis communi arbitrio dictandas. Nivernum designavit quo convenirent Principum Oratores ad condictum diem, ut coram audiret de rationibus partium disse-

rentes, ac semel truncaret quæ tanto Ecclesiæ luctu tamdiu in mutuas strages cum Anglia Galliam committebant.

Itum est igitur in colloquium Niverni; ex quo spes optati diu fœderis excitatæ sunt non parvæ : id quo facilius sanciretur, de colloquio altero Attrebati habendo in primum Julii condicitur, ac de Concilio rogando suos quoque illuc Legatos mitteret, ut constabilitis undequaque rebus, nihil posset cuiquam scrupuli subnasci. Adsunt Attrebati disceptatores pacis et arbitri, conventus habetur, quo nullus ante diem illum augustior. Nam Papæ nomine Cardinalis S. Crucis Legatus interfuit, ab Concilio Cyprius Cardinalis, ingens præterea Episcoporum numerus, Theologorum ac Magnatum. Principio Cardinales inter, Albergatum Pontificis, et Cyprium Synodi legatos, suborta lis de prærogativa ordinis et honoris, eratque lubrica res ob authoritatem Pontificis, quam in consessu tam illustri oportebat supra Synodos in gradu dignitateque consistere.

Albergatus pro insita sua animi æquabilitate, Basileensis Legati ambitu nec tantillum motus, jus loci prioris rationibus certis retinuit. Agi cœptum de pace, peroravit ille potenter et graviter, ac si alias usquam ; calamitates pertinacium bellorum enarravit, quibus sextum decimum jam annum peribat Gallia : sic vero illas oculis animi subjecit, ut auditæ magis quam spectatæ terrerent. Prodibant ex dicentis ore, tota fusi Gallia totaque Anglia torrentes sanguinis, horrorisque plus tametsi exhausti, quam ante fluentes ingerebant. Ejus voce lugebat commiseratio, cæsorum numerum recensebat, excitabat illorum e cineribus tristia lamenta; nec fuit, quin altum gemeret, cum plus trecentis hominum millibus memoravit per ea bella cecidisse, plus centum millibus domorum, habitatoribus in varia profugis, exulasse.

Adjunxit his vota Martini Pontificis ad ponendum tot malis aliquem modum olim ardentia, tunc vero Eugenii cujus summa desiderii hæc erat, ut non Galliæ solum et Angliæ, sed universæ Christianitati tam necessaria pax sanciretur : supplex tandem paterna testatione clausit orationem, arma tandem infesta projicerent, compositis inter se dissidiis auram concordiæ mutuæ liberam spirarent, et fructu in posterum tranquilli otii gauderent. Finem fecerat loquendi cum Anglis indictum, ut sua priores exponerent.

Aiunt hi, se ad perficiendum negotium paratos ; bellum utrisque damni esse immensi, placere pacem, dare se regi Carolo quidquid in Gallia, cis et ultra Ligerim obtinerent, facta quorumdam invicem oppidorum permutatione. Conditionem Galli accipiunt, cedunt ipsi vicissim Angliæ quidquid in Aquitania Carolo parebat, totamque Normanniam. Verum diu in obscuro non fuit quo collinearent Angli, fastu enim superbo tumidi, congressu exce-

dunt, optione tacite explosa, et redituros se in alium diem per ludibrium jactantes.

Interim cum Angliæ legatis Burgundus discessum adornabat, et quanquam ab Anglis ipsius animus longissime abalienatus esset, haud tamen rebatur licere sibi eos deserere ob jurata cum eis fœdera. Hic Albergatus nihil diffidere, spes bonas altius in divina ope defigere, corroborari vigore pietatis ac charitatis perseverantia; suadendo, rogando, adhortando, Christi Vicarii minister solers, incredibili comitate ac suavitate, Ducis animum tractare: jusjurandum autem, cujus religionem metuebat, Apostolici Legati authoritate laxaturum. Sed hæc ventis credi videbantur, et sic obriguerat pectus Ducis in deliberata fœderatorum consectatione, ut verborum flammis ab Nicolao missis, minime tangeretur.

Ergo Cardinalis, Dei honore ejusque Vicarii sibi proposito, illo imperio cui Spiritus Sanctus in similibus impertit vim suam, discessurum mox severe aggreditur: « Et jam nimio plus, plus, inquam, justo, tibi, ait, o Dux! pro Carolo supplices duravimus; at si perges authoritatem Ecclesiæ, quam gero, detrectare, habe sane res tuas cum quibus libuerit, tu ac posteri tui. » Quæ ut intonuit, panem jubet proferri candidum e lectissimo tritico, et volens Philippum ex læta et horrenda panis illius immutatione repente secutura, ominari eventus aut fortunatos, si pareret, aut tristes si Apostolicis monitis cum Anglis obstare pergeret. Execratus est allatum panem, qui repente versus in atrum nigrorem; fausta mox ejusdem adprecatione, candorem pristinum resumpsit.

Sub quæ ad Ducem: « Tu elige, » inquit, et cunctos qui aderant tanto prodigio stupefecit. Dux vero portento exterritus, manus dedit, et ex Anglis sacramenti vinculo absolutus, cum rege Carolo certis legibus coivit in pacem. Harum fuit imprimis, ut ubi Joannes Ducis Pater occisus fuerat crux erigeretur, ubi sepultus altare poneretur, et cœnobium Cartusianorum, qui statum illic Sacrorum numerum celebrarent. Hæc et alia coram Legato Cardinali teste ac sequestro, Septembris 21, anno 35, solenni utrimque jurejurando sancita.

Erexit ingentibus gaudiis afflictam Galliam pacis hujus optatissimus nuncius, Anglos excivit in furorem, Ducem fœdifragum notabant et perjurum: sed tam falso, quam juridice fuerat Apostolica potestate ab jurejurando liberatus. Pontifex, perlecta de confectione totius negotii Cardinalis epistola, mirum quantas inde universa cum Aula lætitias hauserit, Albergato integrum reliquit in Italiam cum liberet redire.

Ante discessum pro ingenti dono accepit cranium S. Annæ, sive a Carolo (nam dissentiunt inter se scriptores) sive ab Henrico. Bononiam ut venit, apud Cartusianos charissimos tam pretiosum pignus deposuit, qui ei (ut hodieque fit)

asservando et sacris honoribus colendo sacellum in vico S. Isaiæ posuerunt. Illinc Florentiam progressus, Eugenio præsens, quæcumque acta fuerat diligentius enarravit, et majorem in modum, qua tamdiu expetitis successibus qua sui ipsius conspectu gratissimo, Pontificis Aulæque totius gaudia cumulavit.

Porro Cardinali tot laboribus defuncto testari Pontifex gratum animum cum vellet, optionem detulit petendi si quid vellet, libentissime omnia concessurus. Respondit, æque nihil desiderare, nisi reditum eumque perpetuum in eremum suam. Ad hoc votis omnibus Pontificem rogare, ut liceret abdicare se episcopatu et purpura; nihil posse sibi gratius donari. Affecit ea vox magno viro digna universos, singularis exempli admiratione; sed assentiri Papa non potuit, quod eam gratiam diceret in totius Ecclesiæ detrimentum nimium cessuram. Haud tamen quicquam præterea vir modestissimus petiit, sed sui præclarum specimen reliquit omnibus Religiosis, intimo cujusque pectore nunquam non circumferendum.

CAPITULUM XIX.

LEGATIO IN GERMANIAM. DATA FERRARIENSI ET FLORENTINÆ SYNODO OPERA. SUMMA PŒNITENTIÆ PRÆFECTURA.

Nunc demum fateri necesse est, huic tanto viro aliam quietem paratam a Deo fuisse nullam præter beatam illam in cœlo fruendam, ut mox dicendis liquet.

Anno 1436 Eugenius tandem urbis Bononiensis imperium nactus, Florentia Bononiam venit, inter cæteros Cardinales ipsum etiam Nicolaum habens in comitatu. Ibi cum Basileense Concilium (ad quod jam pridem, contumeliæ, non honoris causa, adesse a Patribus jussus fuerat) abrogare, atque una honoris aliquid amicæ civitati tribuere cuperet, Concilium alterum Bononiam in proximum annum indixit; qui annus ubi venit, tum mutato justis de causis consilio, 14 Cal. Octob. novo edicto proposito, illud transtulit Ferrariam, cui edicto Nicolaus quoque subscripsit. Eo autem qui insecutus est anno, nuncio de Sigismundi Imperatoris morte accepto, justa ei de more in basilica S. Petronii solvit, quibus et interfuit Nicolaus.

Eo tempore, gliscente in dies magis manifesto Eugenium inter ac Basileense Concilium dissidio, cum Concilium sibi principatum atque authoritatem in Ecclesia supra Pontificem vindicaret, atque omnia ad trahendos in suam sententiam populos permisceret: Eugenius in suspicionem adductus ne Germania ad partes contrarias inclinaret, aut certe ne aliquo modo ab authoritate sua arrepta occasione descisceret, non alienum duxit, gravi missa Legatione Principes illos in fide atque officio continere. Munus autem hujus Legationis

ipsi quoque Nicolao mandavit, qui ad placandum universum terrarum orbem divino destinatus consilio videbatur; ac mox potestatem omnes ad se Ecclesiasticos Principes evocandi, atque homines omnibus contractis peccatorum labibus expiandi concessit his Literis:

« Dilecto filio Nicolao tituli S. Crucis, etc. Cum te ad partes Germaniæ pro nonnullis bonum Ecclesiæ, pacem et quietem populi Christiani concernentibus negotiis peragendis, commisso tibi plenæ Legationis officio, ut pacis Angelum destinemus, et utilitatem Ecclesiæ et prosperitatem negotiorum magnam verisimiliter possis afferre, si partium illarum Prælati et Religiosi de tuo mandato insimul congregentur, circumspectioni tuæ Prælatos ac Religiosos ordinum quoscumque, exemptos et non exemptos, in partibus prædictis consistentes, quoties tibi expedire videbitur, ad locum congruum et aptum ac tempus certum insimul authoritate nostra convocandi et congregandi, eisque ex parte nostra injungendi quæ ad exactionem negotiorum hujusmodi nostrumque et Romanæ Curiæ statum necessaria et utilia fore perspexeris : alia quoque ordinandi et disponendi, quæ in præmissis, et circa ea necessaria fuerint et opportuna, plenam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Ferrariæ, 1438, 3 Id. Sept. »

Alteris vero permisit ut is per se, vel alium idoneum presbyterum Pœnitentiarium suum, confessiones quarumcumque personarum audire, et auditis pro commissis debitam absolutionem afferre, et in casibus majori Pœnitentiario reservatis, valeret. Inde alias ad Othonem et Stephanum, comites Palatinos Rheni, Ducem Brunswicensem et Episcopum Wormatiensem, omnes eodem exemplo scripsit his verbis:

« Pro nonnullis negotiis honorem Dei, pacem Ecclesiæ, et bonum Reipublicæ Christianæ concernentibus, dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Crucis in Hierusalem presbyterum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum, ac venerabiles fratres Joannem Tarentinum archiepiscopum, Petrum Dignensem ac Antonium Urbinatem episcopos, necnon dilectos filios Franciscum de Capitibus Listæ J. U. doctorem et militem, Joannem de Turrecremata sacri palatii magistrum, et Nicolaum de Cusa decretorum Doctorem, Oratores nostros ad partes Germaniæ mittimus : quibus circa præmissa aliqua tibi nostra parte referenda commisimus. Quare præfatis Legato et Oratoribus in præmissis nobilitati tuæ referendis, fidem plenam impertiri velis, illisque in omnibus opportunis (cum ab eis requisiti fueritis) assistere, sicut de devotione tua in Domino confidimus et speramus. »

His Brevi diplomate sibi consignatis, iter ingreditur, certus uti semper, ita nunc etiam parere, nihilque laboris defugere, quod Ecclesiæ rebus et Pontificis mandato conduceret : celeritate

magna usus ivit, et rediit post credita sibi negotia brevi, fructu magno peracto, interfuit primæ Concilii Ferrariensis actioni.

Per id tempus Basileensis Synodus pronuntiavit Eugenium contumacem, quod se Concilio vel ipse, vel per suos ad dictum diem sistere noluisset, intentavitque pœnam Sacrorum abdicationis et Pontificatus abrogandi, ni paruisset Basileensium mandatis. Hæc tam inaudita longum Pontificis mœrorem lancinabant; cui inter tot molestias nullum suppetebat dulcius levamen, quam quod Cardinalem S. Crucis certo noverat ab se stare, futurumque sibi constantis ubique fidei ministrum, neque ab se ullis vel postremis casibus avertendum. Eximii hujus ministri vox inflicta ipsi quotidie vulnera, tanquam salutari balsamo mulcebat, eumque refovebat, summus fidei Pater, spem totam videbatur ex Albergati sermone habere suspensam. Hic vero diu noctuque seipsum cruciare, afflictare, in fletus effundere, reum se damnare et plectere; illaque christianæ humilitati congenita sapienti deliratione, accusatorem sui gerens ac judicem, sibi crimina simul imputare, et duro condemnare judicio; haud titulo tenus, sed ipsa re, S. Crucis vere Cardinalis, qui Christi Jesu imitatione, cruci peccantibus debitæ nullo non tempore succollavit.

Adventantibus Ferrariam Patribus, principium Synodo factum est, jussusque illi B. Cardinalis Legatus a Latere præsidere. Interea rerum, ad Februarii octavum Venetias appulit Græcorum imperator, Joannes Palæologus, cum fratre Demetrio Despota, et Josepho Constantinopolis patriarcha, reliquorum legatis Patriarcharum, compluribusque Episcopis; magno cum apparatu a Venetis exceptus Imperator misit statim Oratores ad Eugenium, qui eorum adventum nunciarent. Jussit Pontifex salutatores in obviam Græcis, beatum Cardinalem et Ferrariensem marchionem Nicolaum Estensem; quam quidem provinciam magno sane honore ductam, ut Cardinalis minime ambivit, ita nemo Cardinali invidit, nemo pares meritis Cardinali ad eam sustinendam allaturum se dotes putavit.

Nihil dicam a vero alienum si dixero aspectu sancti Cardinalis exsucco et asperitate assidua macerato, cultu simplice, affabilitate, moribus, aurei sermonis ubertate, visos sibi Græcos redivivum videre Basilium suum vel aurei oris Chrysostomum. In vultu illius præter charitatem et sanctum amorem nihil legisses; officiis vero decoræ comitatis erga Imperatorem ejusque germanum, tum Patriarcham et ex Primoribus alios, ne infimis quidem ab sensus intimi significatione benevola exclusis, quoad magistra dictabat prudentia, omnium sibi animos obstrinxit; revocavit itinere languidos, erexit votorum spebus et citis et maximis.

Insinuavit eorum ingeniis quam foret

Deo gloriosa totius Ecclesiæ in unum consensio. Quantum e re totius Reipublicæ Christianæ coagmentatam sub uno capite, inexpugnabilem vivere, non humana magis ratione quam ex institutis de prompta christianis disseruit: de magna Pontificis voluntate singulos docuit; nihil eum tantopere ut suorum salutem cupere, satis omnibus facturum, complexurum omnes; manifestum fore universos in sinu optimæ parentis quam dulcis quies capiatur.

Post hæc ad Papam quam celerrime recurrit. Imperator autem Venetiis cum fratre et bona Cleri parte Ferrariam contendit Pontificem salutaturus, Græcamque cum Latina conciliaturus Ecclesiam in Synodo Ferrariensi. Jam tali ac tantæ, tam graves ob causas vocatæ Synodo Legatum a Latere ac præsidem dari Cardinalem Albergatum, argumentum fuit ministri ad munus tam arduum parem doctrinam et paria merita ferentis. Dum viderent Ferrariæ gratulationes, novis tamen subinde interpunctæ angustiis frigebant, dum Basileenses damnavere Ferrariense Concilium.

Fuere demum hæc tempora et toti Ecclesiæ, et Nicolao dicam præ omnibus, quem exedebat divinæ studium et ardor gloriæ, secundis et adversis, amaris et dulcibus temperata. Gaudebat initiis Synodi, cœptaque feliciter agitari gravissima illa de expiatione defunctorum controversia : sed quantopere angeretur sessione illa Basileensium, quis dicat ? mirum certe, quod adhuc oculis sufficerent lachrymæ, nec præ nimio dolore pectus rumperetur. Querulis precibus noctes cum Deo solidas ducebat, ejusque illi causam reverenti expostulatione commendabat.

Ferrariæ interim disputationi permissa est primaria de processione Spiritus Sancti difficultas; disceptatores utrimque senos sortita est : ab Latinis Cardinales imprimis S. Crucis et Julianum, qui Basilea abjecta, Eugenio se restituerat : Rhodiensem archiepiscopum Andream : Ludovicum episcopum Foroliviensem : et monachos duos in theologicis magistros. Egere pro Græcis Ephesiorum metropolita Marcus, Isidorus Ruthenus, Nicænus Bessarion, Theodorus Xanthopolus, Sylvester Balsamon et Gregorius Gemistus.

Quos dum recenseo, recurrit animo quod sæpe miratus sum, undenam monachum ex Cartusiæ nemore consecuta sit tam secunda rerum civilium administratio ; et mirari nunc desino, contuens de rebus decertantem maxime abstrusis contra homines eruditissimos et tritos assuetudine disputandi : cellarum enim conclavia locupletandis ingeniis non raro plus valent quam scholarum exedræ, et Cartusia quam Academia. Etsi Nicolaus in solitudinem Theologiæ doctrinam non attulit, et alumnorum suorum studia locus ille, nisi perficiendis amore cœlestium animis, non impendit : potuit nihilo laboriosius ex illo intus et foris scripto libro,

quem diurna, nocturna versabat opera, res magnas ediscere, et in arcanis celsissimæ Theologiæ disciplinis magister evadere; nam hoc ipsum de se S. Bonaventura professus est : ex Christi in Cruce morientis tanquam libri viventis meditata lectione, plura se ac subtiliora in Theologiam, de qua scripsit, hausisse, quam ex alia quavis aut librorum aut scholarum meditatione.

At qui servi sui probatam virtutem ad purum excoquere velut aurum obrisum instituerat, novas passus est turbas Bononiæ nasci. Arbitrati cives se male haberi, cum arcem viderent ad portam Galeriæ a Papæ ministris extrui, ab eo se denuo subducunt, Gubernatorem urbe ab Eugenio præpositum expellunt, Nicolaum Piccininum ducis Mediolanensis tribunum auxilio accersunt; tum ad coercendos qui pro Eugenio adversabantur Bononiensibus, defensorem eumdem libertatis creant urbisque administratorem. Prima boni viri hæc fuit opera, ut juri Episcopi arces Plebem et Centum subtraheret, quod tunc quidem minime evicit. His vero casibus quam acerbe præstringeretur Nicolaus, non facile dictu est; egens attamen ipse consolationis, afflictissimum Pontificis animum quibus poterat modis solari cogebatur, nec rebus vel maxime accisis et perditis, vel mentis magnitudine linquebatur, vel constanti agendi prudentia. Nec fuit una hæc dolendi materia : Ferrariam pestis corripuit, quare 16 sessione Florentiam Synodus transmittitur, non tunc primum jactatæ Ecclesiæ portuosam ac tutam.

Illuc Pontificem et Imperatorem Ravenna subsequuntur, viis tumultu Bononiensium interceptis. Illic Julii sexto disjectus est murus ille aheneus qui orientis Ecclesiam ab occidua dividebat; instaurata stabilitaque in vero lapide angulari Christo Jesu concordia, qui uno utramque amoris vinculo colligavit, fluctus omnes flatusque disputationum ad pedes Catholicæ Romanæ Ecclesiæ prociderunt. Fassi sunt Græci procedere Spiritum Sanctum a Patre et Filio. Subscripsit Eugenii decreto cum Latinis Cardinalis S. Crucis, subscripsere et Græci præter Marcum Metropoliten Ephesinum, a quo postea pessime turbatum.

His quidem sancta mens Nicolai reficiebatur liquidissima voluptate; sed hanc rursum et statim excepit tristissimus nuncius de sessione 34 qua Basileenses Eugenium Pontificatu abdicabant.

Inter has tum reflantium ventorum molestias tum gravissimas in Synodi cura occupationes, haudquaquam Sponsæ immemor Nicolaus, creditarum sibi ovium animas omni spe juvabat; procul Bononia dissitus mente Bononiam percurrebat, mirabilique ingenio charitatis Bononiæ simul apud suos, simul Florentiæ in Concilio versabatur.

Gravi per id temporis Bononia calamitate laborabat : eo excreverat nivium copia, ut ædes bene materiatas et splendidas, nedum humiles casas opprime-

ret; ipsum B. Petronii templum ingens ruina deformarat, et laquearibus in solum dejectis, venerabilis ante basilicæ cadaver spectabatur. Erant recentia hæc Nicolao mœroris argumenta, sed de remedio minime despondit, moxque ad instaurandas labes adjecit animum. In id cum multum pecuniæ contulisset, Pontificiam iis indulgentiam impetravit qui pie id templum viserent, et stipem aliquam ad sarcienda tecta conjicerent. Denique nihil omisit, quod posset in sui populi et suorum maxime civium commodum præstare ; omnesque ad hoc, ubicumque res tulit, conatus exhausit.

Sub hæc, obitu Jordani Ursini cardinalis cum vacaret summa pœnitentiæ Præfectura, confestim Eugenius hanc ab Nicolao suscipi voluit sexaginta tunc quatuor annorum sene, ut quæ solita esset gravissimis totius Collegii Cardinalibus committi. Eam, quatuor annis quibus in vivis superfuit, ita gessit, ut abunde sit dicere gessisse ubique Nicolaum. Pietatem enim cum amore divini honoris vindice, cum benigno severum tam apto fœdere sociavit, ut elegantius temperamento illo cerni ullum posset : quanquam in eo extabat lenitas, et clemens illicium charitatis, quæ non alio sibi consilio id munus creditum reputabat nisi ob salutem miserorum, quos sua luce dignaretur Deus ad detestationem scelerum admissorum.

Legitur etiam fuisse Archipresbyter S. Mariæ Majoris institutus, a Martino an ab Eugenio nescitur, etsi Breve diploma legitur ab Eugenio Florentiæ, hujus, in quo versamur, anni die trigesimo nono datum, quo amplificantur ejus authoritatis jura; et (quod ejusmodi testimonia superat) illum pro Ecclesiæ firmamento habuit Pontifex, nihil actum alicujus momenti, cui decernendo Nicolai consilia non adhibuerit ; amore illum et prosecutus est, et pia quadam veneratione observavit; nec erat, quem honor tam inusitatus offenderet, quod illi celsitas meritorum apud omnes incomparabilis opinionem peperisset.

Bononiæ deinceps Imperatori Græcorum ex Concilio redeunti honores exhibuit magnifico sane apparatu ac regio ut decebat sanctæ Ecclesiæ Principem ; nec diu illic moratus ad Pontificem regreditur, quod eum pœnitentiæ Præfectura non pateretur imposterum ab Aula diutius abesse, quamvis et alia eum causa ad accelerandum reditum adegit, admovendum nempe dolenti extrema Basileensium sacrilegia levamen : cum Novembris 5 in Pontificem Romanum seu vere Antipapam legissent Ducem Sabaudiæ, qui tunc in solitario secessu agebat, eumque, magnæ Ecclesiæ sanctæ infelicitate, Felicis V appellatione promulgassent ; quod nomen umbramque dignitatis, ad usque tertium illius annum retinuit, qui Eugenio Nicolai V nomine successit; nam ad hujus pedes, injecta sibi dignitate, libenter ac religiose se se abdicavit.

Ita factum, Deo Nicolai nostri ærum-

nas numerante, ut, sedente ex familiaribus ipsius Pontifice, schismati tandem imponeretur finis. Sed spuriæ electionis intoleranda audacia Eugenium vehementer turbaverat, cum videret, ut scribit S. Antoninus, Basilea ortum denique basiliscum : huic tanto dolori leniendo consolator instabat Nicolaus, magnaque illius suscepta parte illum magnopere sublevabat. Atque hi tam tristes et funesti Ecclesiæ turbines, Nicolaum contra seipsum proritabant, utque alias dictum, asperitatem augebant divexandi sui, et recidebant in illum tot malorum pœnæ, velut omnium author extitisset, instinctu nimirum seriæ virtutis ac solidæ, qua Dei famuli omnes sibi causas malorum imputant, armanturque adversum seipsos ad earum expiationem laboriosa sanctorum operum continuatione procurandam.

CAPITULUM XIX

MORS ET FUNUS.

Optandus hic alius a meo stylus, ipsæque atramenti loco Eugenii lacrymæ. Is quidem ad annum hujus ævi quadragesimum tertium Florentiæ commoratus Senas Martio mense migraverat, Romam paulatim successurus. Erat cum eo Nicolaus ejus semper lateri affixus, paucos illic menses substiterat, cum acerrimo et præter solitum cœpit dolore vehementius torqueri. Mittebat vir sanctus altas cum gemitu in cœlum voces, sed modestas; et salva incoctæ generoso patientiæ sanctitate, non evicit ex eo tam sæva necessitas, ut de arctiori vitæ suæ regula quippiam laxaret; vivaces secum inimicitias ad supremum usque halitum gessit.

Carnium esum vel postremo illo periculi urgentis articulo rejecit, ne tantopere hactenus adamata Ordinis nostri instituta re ulla violaret, quæ nec istis quidem casibus indulgent : potionem quinimo pingui aliquo temperatam non sustinuit haurire, cum aliqua licet verum dubia spe recuperandæ sanitatis, certus tot annorum in disciplinæ sanctæ observatione diligentiam intactam et illustrem hoc nævo minime fuscare. Digna viri tanti excelsitate constantia, qui quoties Nicolao V in mentem venisset, tenere lacrymas præ teneritate non poterat. Fuit plane germanus B. Brunonis et Cartusiæ alumnus, Anachoreta princeps, Cartusianus vere Cardinalis.

Invisit sæpius jacentem Eugenius, noctuque interdum et incomitatus ; consolatusque est omni significatione non paternæ solum benevolentiæ, sed etiam familiaris et amicæ; has Summus Pontifex grati animi vices insigni ministro, et de Ecclesia bene merito referebat, sed tunc ægrotus consolatoris pii munere fungebatur. Aiebat nihil habere se quod doleret, nisi tantummodo quæ in Deum peccasset ; nihil cupere præter mortem ut doloribus asperatam, sic patientia ditiorem; discessum ex hac vita pridem sibi in votis fuisse; hunc

sibi non tanti jam fore, paucarum horarum angusto labore constituturum, et (si virtus non desit) tolerabili. Flagitabat pro se omnium preces apud Deum, unaque fretus Dei optimi bonitate, et misericordia singulari, beatam vitam exspectabat.

Venerat ad visendum illum D. Nicolaus Cortonensis Florentinæ Cartusiæ Prior, quem secum in Galliam Legatione comitem duxerat. Hujus aspectu beatus Cardinalis gaudio totus diffluere, ejus amplexibus inhærere, obortis ubertim lacrymis sic pia gaudia saturare, ut loqui volentis intercluderent vocem. Tandem vero, « En, ait, o Pater! quod de me superest : nihil sane aliud præter miserum cadaver; tibi hoc trado in manus ; tuum sit, et hoc Florentiæ, te oro, in Cartusia depone, nec alio prorsus sepulchro tege quam quod tibi mihique charissimis fratribus commune est; nam etsi Cartusianum, ut debui, non vixi, volo saltem Cartusianus sepeliri. Tibi ergo, Pater, et meis fratribus, tantum mihi dilectis quantum optime nosti, hunc mei corporis cinerem relinquo, quibus hunc spiritum dum vixi perpetuo addictum et affixum servavi. »

Inter hæc a Summo Pontifice veniam poposcit, fletu multo prosecutus est delicta, quæ minutissimus suimet cognitor, rara et levia vix deprehendebat. Sacro Corporis Christi viatico muniendus, circumadstantes prius affatus est, pieque admodum de rerum labentium contemptu, desiderio æternorum admonuit, aulæ suæ familiaribus charitatem mutuam commendavit ; ac post salutaria monita, quæ tunc iturus ad Deum animus ferventi suggerebat, cunctis universim, privatim consanguineis, pro gemma inæstimabilis pretii sanctum Dei timorem reliquit.

Rogatus a Thoma Sarzanensi testamentum ut conderet, suadenteque hoc idem Priore Florentino, quem Thomas adhibebat, non difficile paruit, et liberalem gratumque in famulos animum rebus ipsis testatus, his verbis conclusit : « Et hanc hæreditatem omnibus relinquo, sanctum Dei timorem. » Bononiensi suæ Ecclesiæ cujus amantissimus semper fuit, legavit sacra cum suppellectili venerabile monumentum intimæ suæ pietatis, et bibliothecam copiosam quam in usus privatos confecerat; nam alteram illam quæ in Episcopio erat, voluit ad Patres S. Augustini pertinere, apud quos Senis habitabat. Florentinæ Cartusiæ tum libros alios reliquit, tum Sacra Biblia, nummis empta aureis quingentis ; universis vero scriptionum suarum opera, quæ vetustas incuria nimis amisit. Sacro demum inunctus Oleo, imparque jam ultimæ morbi violentiæ, Maii nono ad meliorem hac vita cessit, ætatis anno 68, ab Cartusiæ ingressu 48, Pastoralis consecrationis 26, Cardinalatus 17, anno autem reparatæ salutis 1443.

Incredibile dictu eam mortem quanto mœrore, quibus suspiriis, gemitu, lacrymis prosecutus sit Pontifex, tota-

que cum Cardinalibus et populo Aula, cunctis illum, consentienti præconio, splendorem Ecclesiæ et Pontificatu dignissimum deprædicantibus, in quo certo foret, si superstes vixisset, Eugenio successurus. Iteravit flens non semel Pontifex verba Gregorii X in obitu S. Bonaventuræ, Dei Ecclesiam ejus morte jacturam maximam fecisse.

Depositum funus in templo Patrum S. Augustini, apud quos degebat, frequentatum est ingenti concursu omnium ordinum, ejus manus et pedes religiose deosculantium, se se ac protrudentium, quod beari se quisque illius contactu censeret. Sed prius aperto, Pontificis jussu, cadavere, deprehensus fuerat et eductus lapis orbiculari forma, duarum librarum pondere, hoc est pro humani corporis modulo sane vastus, ex minutissimis arenæ granis, ut sensere medici, corporatus. Quem refert Zenus ab se visum, contrectatum, compertum duritie solida constare; ejusdem figuræ plurima ex gypso conformata fuisse extypa, et diversa in loca pro monstro sparsa. Eum lapidem Papa reverenter et cupide accepit, sæpe osculo pressit, lacrymis etiam rigavit, et apud se semper magni pignoris loco servare voluit.

Elato inde in episcopalem ecclesiam corpore, eo apparatu ac splendore peractis exequiis est conditum, quo tantum decebat ecclesiæ columen et sacræ purpuræ ornamentum. Eas Eugenius sua cohonestavit præsentia, præter morem quidem illius temporis, sed pro veteri illo, quem Benedictus III et instituerat et exemplo suo firmaverat; et vero erga Cardinalem vita inculpata et sanctis moribus non modo insignem, sed qui periculosissimis casibus exitiumque minantibus sustentaverat Petri successorem, qui ab Ecclesia tot calamitates et defenderat et inhibuerat grassantes, cui debebat favorem Principum, cujus consilia nihil nisi optimum peperissent; erga hunc, inquam, tam sublimem ac tantum, et virum et Præsulem et Dei famulum, non condecebat liberalitatem Pontificis ulla in re videri parciorem.

Nec item pronum scribendo consequi Bononiam ea mors quanto mœrore prostraverit. Occlusæ tabernæ, indictum tribunalibus justitium, luxere omnes Pastorem amantissimum et Patrem; egentium maxime lamenta nullum admittebant doloris levamen. Parentatum illi triduo ad S. Petri, funusque Antiani ipsi cum Magistratibus omnibus celebrarunt.

Verum post justa funebria Senis illi magnifice persoluta, penes fidum ipsius familiarem Thomam Sarzanensem et Florentinæ Cartusiæ Priorem Nicolaum remansit cura sacri illius depositi, Florentiæ in Cartusia pie sancteque collocandi, sed nuda, ut præceperat, in humo, nec alio ritu quam Cartusianis omnibus communi. Illic hodieque ossium illorum beata pignora quiescunt tumulo condita, quem illi, evectus in Pontificatum Tho-

mas, grati animi studio posuit; epitaphio decora simplici, nec vero poterat epigraphe clarior incidi, quam vel solum nomen Cardinalis S. Crucis.

Paucis abhinc diebus Thomæ ipsi flenti ac longum mœrenti spectandum in somnis se dedit, dixitque se Dei gratia votorum summam consecutum; luctum de cætero poneret, ac gravissimo ponderi humeros pararet, supremæ videlicet in terris Potestati. Visa multis familiarium narravit Thomas, inter quos Franciscus Philelphus, qui Antonio Marcello Veneto hoc idem confirmavit. Quod ubi ratum eventus fecit, subvecto in summum apicem Sarzanensi, nunquam sibi excidere passus est ingentia nomina quibus illi suo tam Patri, quam Patrono, teneri meminerat, cujus etiam nomen sic amavit, ut Nicolaus V dici voluerit.

Atque hic finis magni Cardinalis Albergati, cujus illud juvat inter cætera mirari, quod perspicua in luce statuit: artes quoque regendi politicas (si modo vere politicæ ac civiles) ex sacris pedibus Christi Jesu de Cruce pendentis hauriri.

Hominem vix adultum et sæculi rudem, Cartusianorum suscepto habitu, eremi diu incolam, Beatorum delicias intra cellæ angusta potiri assuetum, sua illa tam dudum tam chare adamata solitudine magna vi abstractum, nec visum alibi vitam posse vitalem ducere; mox tamen in sæculi theatrum ac lucem hominum productum, prudentia cui nulla par esset populos regere; sustinere se se inter procellosissimos turbines, quibus alius quivis relicto clavo, speque omni projecta cessisset; tractare negotia maxime ardua, et ultra humanam facultatem sita, eventuque optato concludere; fulcire nutantem et lethales ruinas minantem Ecclesiam; sunt hæc admirandi opificis miranda opera, et mutationes dexteræ Excelsi. Nam esto capacem nactus sit indolem, ingenium perspicax, et perfectam in ipsis agendi tyrociniis rerum gestionem; sed absque præsidio Numinis maxime singulari, nunquam valuisset eo pertingere.

Seipsum interim Nicolaus expressæ archetypum pietatis, magnitudinis animi, prudentiæ, virtutis, posterorum memoriæ consecravit; et ordinibus singulis regulam numeris omnibus absolutam. Laicos exemplo docuit rerum contemptum humanarum, nulla facultatum, commoditatum, nulla vel honoris spectata ratione. Religiosis obstrictos familiis suæ vocationis æstimationem et pretium; et quemvis in gradum attollantur, gratum erga matrem quæ illos educavit finxitque amorem, certamque fiduciam adfuturæ ubertim divinæ opis ad gerendas Ecclesiæ præfecturas, si quando ad eas compellantur. Episcopos integritatem morum, diligentiam in omnibus accuratam, animum a rationibus cognatorum atque affinium prudenter segregem, studium animarum, pauperum levamen; in ad-

versis invictam constantiam, et minime dubiam ventura prospere, quibus illam quam debent operam non lente impenderint. Demum purpuratis Ecclesiæ Patribus in patrocinio Ecclesiæ gerendo, in parato ad omnes Pontificis nutus obsequio, in pervincendis non minus commodis, quam ipsis laboribus, in forti denique ad supremum usque anhelitum pugna, vivam sui reliquit effigiem, et in vita demum ad hoc unum optanda, ut ea religioni ac fidei serviat.

Virum ergo tantum, tam exaggeratæ apud omnes æstimationis, et tam multiplici Ecclesiæ bono orbi commodatum, nihil mirum si statim mortalium veneratio excepit, cujus argumenta tum aliis in locis, tum Bononiæ præsertim, nunc etiam cernimus : veteres tabulas illius effigie radiis coronata. Sed quam moriens reliquit venerabilem sui memoriam, omissis cæteris, uno solum Pontificis Maximi Pii II elogio asseram, qui diu illum familiariter et intime noverat. Is, profectione Mantuana, cum Bononia transiret, audito Bornio professore legum eximio claroque oratore, subdidit peroranti inter alia : ejus urbis nobilissima ornamenta magnum Cardinalem S. Crucis, Sanctitatis, ut ipse aiebat, opinionem promeritum; et quem videlicet Cardinalis Paleottus, tanto viro successor dignissimus, suo illum peculiari Beatorum Catalogo adscriberet; quem Ferrarius in Sanctorum Album, quos nondum romana Martyrologia recensent, Beati nomine referret; quem antiqui Patres nostri Cartusienses eodem titulo ornarent; quem Ordo noster etiamnum illi venerabundus attribuit : « Terras deseruit obiens Nicolaus æternum in cœlo regnaturus. »

Hanc Vitam excerpsimus partim ex Carolo Sigonio, partim ex Vita quam edidit Bonaventura Cavallus strictioris observantiæ Minor Italico sermone, in Latinum conversa a Patre Lud Societatis Jesu Religioso. Descripsit etiam Nicolai Vitam Jacobus Zenus episcopus Feltrensis. Poggius Florentinus habuit orationem facundissimam in ipsius funere. Carolus Sigonius Nicolai Vitam composuit.

Extant etiam de Nicolai sanctitate et eruditione præclara testimonia ex variis celebribus authoribus deprompta, videlicet apud Franciscum Philelphum, Blondum Flavium, Æneam Sylvium postea Summum Pontificem dictum Pium II, sanctum Antoninum, Platinam, Paulum Æmilium Polydorum Vergilium, et multos alios quos enumerat noster Georgius Garnefelt in libro quem evulgavit de Vita B. Nicolai, perhonorifica fit mentio.

GREGORIUS REISCHIUS

PRIOR FRIBURGI

Alsata Friburgo Brisgoiæ oriundus; Cartusiæ Friburgensis alumnus, vir omnium longe præstantissimus, incom-

parabili totius Philosophiæ naturalis, rationalis ac moralis præditus eruditione, Juris utriusque celeberrimus doctor, atque ante Ordinis nostri ingressum Maximiliano Imperatori a sacris confessionibus, cui unice charus erat, uti in libello, quem vocat Maximilianum primum cap. 8 § 11, insinuat Jacobus Balde Societatis Jesu. Jam vero adscriptus inter Cartusienses ultimas ejus hinc emigraturi confessiones excepit; cum autem præsens non esset Gregorius, aliquot equitibus missis, illum Imperator quamprimum ad se advolare jussit, visoque illo exclamavit : « Hic est qui me promovebit ad cœlos », statimque omnibus foras emissis illi cœpit confiteri.

Rem fuse narrat Wolfangus Lagius de Migratione gentium in hæc verba : « Postquam Viennæ Cæsar agitasset apud Principes Imperii, ut Carolus nepos Romanorum Rex crearetur, in febrim incidit. Welsam superioris Austriæ oppidum profectus, quamprimum sensit alternantes secreti frigoris et flammæ vices, statim ad animum venit, illius rem privatam tractavit, vitæ rationes subduxit apud conscientiæ religiosæ judicem, etc. Illud rarum veræque dignum pietatis argumentum est. Per dispositos homines maximis itineribus Friburgo usque Brisgoiæ accersivit Patrem Gregorium, ex divi Brunonis alumnis virum eximiæ virtutis et sapientiæ, quem ut incoram utcumque defectus doloribus et ægrimonia conspexisset, oculos gaudentibus lachrymis suffudit, et Patris manum complexus : « Hic, inquit, qui mihi viam in cœlum monstrabit. » Inde voces non aliæ auditæ, quam quæ cœlum sonarent.... Interea Venerabilis Pater Gregorius digito in triumphale Crucis signum intento, armisque cœlestibus egregie animabat : quasi audivisset confirmatior factus, quia inclusa jam vox in verba non ibat, signis saltem sacroque cereo commoto militem se Christi professus est, Christoque animam reddidit, anno 1519, pridie Januarii. »

Porro factus monachus brevi tantum fecit in virtute profectum ut primo quidem in Buxianæ Cartusiæ Priorem, anno 1501, sit institutus, anno subsequenti electus in Domus Friburgensis Moderatorem ; fuit etiam Provinciæ Rheni Visitator. Quibus in officiis summam in omnes benignitatem, moderationem et prudentiam exhibuit. Erat autem tantæ apud bonos omnes authoritatis, ut qua de re consultus esset, responsa ejus quasi pro oraculis haberentur. Anno 1521, ægrotante R. P. D. Francisco de Puteo primus fuit Diffinitor in Comitiis Ordinis, ac Capitulo generali præfuit ex electione ipsius R. Patris, ut legitur ipso in limine Chartæ hujus anni his verbis : « R. Pater noster, indispositione ingravescente, dat et dedit V. Patri Priori Domus Friburgi primo Diffinitori et seniori omnimodam suam authoritatem et potestatem. Et ex tunc ille idem Prior præfuit loco

R. Patris per totum Capitulum generale, usque ad finem Capituli inclusive. »

Tandem Gregorius plenus dierum et bonorum operum, de Ordine nostro optime meritus decessit, relicta sanctitatis opinione, anno 1525, die 9 Maii.

Ex Catalogo Priorum.

X DIE MAII

MARTINUS

PRIOR VOGELSBERG

Hujus monasterii alumnus; quod cum ab anno 1497 usque ad annum 1506 sapienter gubernasset, transfertur ad moderamen Cartusiæ Nurembergensis; factus Alemaniæ Inferioris Visitator, diu magna cum laude et consummatæ virtutis apud omnes æstimatione hæc obivit munia, donec annis et laboribus fractus abdicavit Præfecturam. Animarum regimine exoneratus, secessit in Cartusiam Boni lapidis, cujus Priorem Charta Capituli generalis anni 1529 his verbis hortatur, « ut Venerabilem P. D. Martinum, qui multis annis strenue ac religiose exercuit officium Prioris et Visitatoris, nunc senio confectum, in omnibus quibus opus habet supportent, ac pro illius benemeritis pie et misericorditer tractent. »

Postquam autem multos exegisset in Ordine annos, meritis dives migravit ad Dominum anno 1531, die 10 Maii, bonorum operum percepturus coronam immarcescibilem. Præfuit etiam Cartusiæ Ratisbonensi.

Ex Catalogo Priorum Vogelsberg.

JACOBUS DE LA RIVIÈRE

MONACHUS LUGDUNI

Anno 1587, pridie Idus Januarii, in pago de Thuyebert ab urbe Rothomagensi 4 circiter milliaribus distante, natus est a parentibus tum generis splendore, tum virtutis fama conspicuis. Is ad nonum vel decimum usque ætatis annum sub patrio lare instructus, ibidem etiam christianæ sapientiæ primordiis, timore Domini videlicet, initiatus est. Inter ea pietatis exercitia, in quibus infans adhuc educabatur, huic uni potissimum studebat, Sacro nimirum quotidie interesse et ministrare sacerdoti, quam quidem ab infantia contractam consuetudinem semper retinuit. Contra communem puerorum nobilium morem, cibis rudibus, quosque tenera plerumque fastidit ætas, enutriebatur; quæ

vitæ norma præclaros in eo religiosæ frugalitatis efformavit habitus, quibus postea ad coercendos appetitus inordinatos et ad moderandos petulantis ætatis impetus non parum obfirmabatur.

Is porro mos laudabilis apud Jacobi parentes invaluerat, pueros suos primo mane binos ad recitandas Mariæ Virginis Horas assuefacere, explicare peccati deformitatem, instillare lac pietatis in Deum et in parentes, Dei timorem inculcare, imprimisque juramenta, mendacium, turpiloquia, aliaque hujusmodi districte prohibere; quod si delinquerent aliquando, nihil impune ferentes, a recto virtutis tramite deflectere liberos suos minime patiebantur.

Hac igitur honesta efformatus disciplina Jacobus noster, illam summæ sibi vertisse utilitati frequenter confessus est; factum quippe est pia parentum suorum industria, ut semper perditorum hominum periculosam familiaritatem declinaverit. Jam annum primum attigerat, forte ludens ut parvulus, cum gelatam lacunam transgrederetur, accidit ut rupta glacie in ima laci descenderet, jamque de vita aquis altis demersi actum erat, ni opportuno superveniente auxilio, protinus fuisset extractus ad auras. Hunc sæpe casum referebat utpote mirabilem, nec sane tanti immemor beneficii, ei cujus potentia de aquis multis fuerat ereptus grates refundere jucundabatur. Eodem tempore a parentibus suis materteræ, virtutis eximiæ mulieri, in christiana pietate traditur enutriendus; quem illa suscepit tanta cum sollicitudine, ut pedagogis quamvis non egeret, ipsa tamen puerum imbuere studuerit primis literarum elementis, sed ea animi mansuetudine, ut quæ solent esse scholasticis fastidio atque formidini docentis industria mitescerent. Verum postquam apud eam per triennium commoratus fuisset, non longe a paterna domo venerabili cuidam parocho vitæ castigatissimæ committitur, cujus ille non incautam gerens curam, discipulum suum timorem Dei simul et amorem edocebat; ab eo namque sacerdote prima Latinitatis hausit elementa, in quibus habita temporis ratione cum multum profecisset, post quadriennium divertit apud grammatices professorem.

Hic Magister peritissimus viginti vel triginta plerumque conducebat adolescentes, sub cujus disciplina coætaneos suos longe transcendens Jacobus, non modica ingenii sui edidit specimina, eumque præceptor singulari præ cæteris amore propter optimam ejus indolem prosequebatur. Post tempus aliquod a parentibus suis revocatus, insigni gaudio familiam suam affecit, ob eos quos in literarum studiis progressus fecerat. Ut autem magis ac magis proficeret, venit ad Virodunenses Patrum Societatis Jesu e Gallia eliminatorum scholas, iis stipatus, qui nobilem decebant adolescentem. A præfatis Patribus ad tertiam classem destinatus, post sex menses ad secundam ascendit.

Porro ut cum devotione conjungeret doctrinam, Sodalitati nomen dedit, se se pro modulo Deiparæ famulatui mancipaturus, cui semper a teneris annis addictissimus fuerat, et in cujus sinum maternum, dum difficile quid occurreret, confugiebat. Cernens igitur quod per patescentem orationis numeratæ planitiem non nisi claudus admodum et reptilis incederet, sicque suo scholastici officio vix posset satisfacere, Patronæ suæ opem implorat; illa clientis sui votis annuente, tanta celeritate Pegaseio vectus equo Pyndarida cucurrit spatia, ut qui prius eum in hoc genere metrorum anteibant, eosdem postea præcederet; adeo ut palæstrico properante decursu, cum de bravio scholares contenderent, mirantibus valde tum magistris tum agonothetis primum strictæ orationis præmium consecutus fuerit. Ex quo inter parthenios sodales adscriptus est, multoties se sensit impulsum divinitus ad Societatis Jesu sectandum Institutum; quam mentem sodalitii Præposito aperuit confidenter; a quo multum laudatus, multa etiam ab eo tum pietatis tum studiorum percepit incitamenta.

Finientibus autem literarum humaniorum ludis, gradum fecit in Rhetoricam, in qua cum per octo menses arti bene dicendi bene etiam studuisset, quamprimum Mussipontem petiturus, ut Dialecticam edisceret, ex parentum mandato ad suam patriam remeavit, ubi absolvit studiorum cursum. Patre orbatus, dum Lutetiæ Parisiorum versaretur, juvenis nequam et perditissimus in vitam nobilis adolescentis instigante diabolo conspiravit; unde die quadam armis et equo luculenter instructus, cum in agro Jacobum inermem obvium habuisset, advolat concitato cursu; extendit manum jamjam interfecturus adolescentem, ni subito in alium a Deo mutatus fuisset; nam ex nefario homicida amicus Jacobi factus est ex illa hora. Tutatus est Deus eum alia vice, ne oculorum altero orbaretur; pila namque perculsus in sphæristerio prorsus excæcari debuerat. Iterum Deus misit Angelum suum in Jacobi tutelam, ne ruentis caballi pedis ictu crus ejus frangeretur.

Hisce divina pietate ereptus periculis, ad parentum et amicorum suorum instantiam cum honestissima domicella quadam se se maritali compede devinxit; cujus quidem consortio lustris duobus usus est, ea voluntatis unione, pacis vinculo et probitate morum, quæ vere Christianos et præclaræ gentis homines decent. Transactis annis octo simul, nulla sobole suscepta, scientes præsertim conjugii Sacramentum ab Ecclesia propter liberorum procreationem non vero propter libidinem institui, se se ad perfectiorem vitam a divino Numine præordinatos crediderunt, sicque unanimi consensu, spretis corporis voluptatibus, cælibes vixere in castitatis cultu; mutuo etiam pepigere, ut, conjugalis amicitiæ solutis morte

vinculis, qui alteri amborum foret superstes, relictis sæculi rebus monasticam vitam profiteretur. Placuit utrique tale promissum inire ; quo rato firmiterque stabilito, factum est, ut duobus annis ab illa sponsione, uxor perhonesta diem extremum obiens conjugem suum voti reum reliquerit. Qui perhonorifice mulieri justa persolvens, cum sui factus esset juris et libertatis arbiter, terrena fastidiens ad æterna cœpit anhelare vehementius; utque juratam sponsæ adhuc viventi fidem servaret, sibi soli in posterum vacare et præstolari in silentio et solitudine salutare Dei statuit.

Hæc cogitanti Cartusiensis professio venit in mentem ; cujus odore ac suavitate attractus, nullum ambigendi locum amplius habuit de suæ cognationis fuga; cumque in Cartusia Rothomagensi, divina sic ordinante Sapientia, nomen Religioni minime dare potuisset, Christum pascentem in liliis, Cartusiam Lugdunensem intelligo, nudum secuturus, Lugdunum venit, ubi ab ascetis, præsertim a venerando Priore suscipitur. Vincitur ille primitus obvio insperatoque societatis hujus amore, statimque moræ impatiens, feria 6, die consuetæ abstinentiæ consecrato, introducitur in cellulam. Qui ministrantibus famulis sumere cibos consueverat, vix quicquam ea vice solus gustare potuit; verum post meridiem a Superiore visitatus mirifice Venerandi Patris colloquio confortatus est. Unde subsequenti die ea facilitate austerum vitæ genus aggreditur, non secus ac si hactenus semper egisset Cartusianum.

Inter cæteras virtutes singulari præcelluit humilitate, sub cujus specie malignus hostis nectere dolos et ab arrepto proposito deterrere contendit; quamobrem suggerit Novitio, ut monachorum habitu plane indignum se se Conversorum numero manciparet; cumque hujusmodi consilium maxime viro humili convenire videretur, ad statum inferiorem admitti enixe postulavit, se tamen totum Superioris arbitrio subjiciens, ut res aut ejus staret judicio aut caderet. Biduo post, die Dominica, facta Superiori peccatorum exomologesi, sacroque pabulo refectus, ad dilectissimi Salvatoris præsentiam, tanta potitus est tranquillitate mentis, ut deposita anxia animi sollicitudine eam imposterum retinuerit pacem, qua per reliquum vitæ suæ tempus in domo lutea imperturbatus semper et ad instar Cœlitum pacatus quietusque apparuit.

Indutus ergo monasticam loricam strenue militans adversus carnem, mundum et diabolum, prima Quadragesimæ anni 1627 Dominica emisit vota professionis, sed ea devotione, eo fervore spiritus, eaque divinæ largitatis munerum gratitudine, ut eorum memoriam ab ejus animo nulla unquam oblivione deleri posse protestaretur. Hujus rei monimentum authentico signavit scripto, quod in horariis precibus secum semper deferebat in hunc modum : « Nunc tibi, o Domine mi Deus, grates

libentissime rependo pro hac tam singulari pietate, qua me inutilem famulum tuum prævenire dignatus es, ut a mundana conversatione extrahere me non solum, sed etiam inter sanctos homines hujus sacræ Religionis annumerare volueris. Nunc vero, o Domine mi Deus, nunc si nondum tuæ addictus essem Majestatis obsequio, quod semel professus sum, id jam prompto libentique exequerer animo; quapropter ex toto præcordiorum meorum affectu, in tuæ Majestatis venerandæ conspectu, coram Sacratissima Virgine, S. Joanne Baptista, divo Brunone patronis meis, totaque cœlesti Curia, jurata solemniter vota interpolo, renovo, iterumque nuncupo : rursus fervorem meum, stabilitatem, obedientiam et morum meorum conversionem spondeo et dejuro : singularem tam diurni quam nocturni Officii sollicitudinem, assiduum orationis studium, infractam jejunii, solitudinis, silentii et aliorum Ordinis exercitiorum observantiam, sensuum mortificationem, vitæ austeritatem, mentis insuper et corporis, quantum in me erit, puritatem, ferventemque Dei et proximi charitatem polliceor. Verum quia hæ promissiones longe vires meas transgredi et superare videntur, per temetipsum, o dulcissime mi Salvator et amantissime Jesu, per temetipsum, inquam, deprecor et adjuro, ut mihi manum porrigere et auxilium præstare non recuses, ne forte aliquando confundar ab expectatione mea, et a votorum meorum spe decidam miserabiliter, quandoquidem sine te nihil sum, tua destitutus gratia nihil possum et absque te plane deficio. »

Dum his amoris divini facibus æstuaret, Christo crucifixo configi desiderans præ charitatis vehementia, Superiori suo sæpissime conquerebatur de nimia Dei benignitate, qui se paupertatis pœnitentiæque sectatorem tot rebus necessariis, imo et superfluis locupletaret, tantaque mentis suavitate, gaudio spiritus, et gratæ solitudinis suavitate simul et quiete dignaretur.

Quod vero ad mentis illius statum pertinet, tantum e sæculi fuga emolumentum percepisse confitebatur, ut merito supremi Judicis diem formidare, eumque nonnisi contremiscens expectare deberet, ne forte erga divinæ Bonitatis munificentiam ingratus staret ante Dei tribunal. Omni præterea virtute destitutum ex innata humilitate, nihilque boni possidere ingenue dicebat, præter bonam voluntatem, qua invictum ab oratione nunquam relaxabat animum. Nihil jucundius, nihil suavius, nihil ipsi amabilius erat, quam divinis interesse laudibus; unde longe aberat, ut diurno nocturnoque gravaretur Officio, cum nihil durius, nihil molestius pateretur quam Horarum finem. Ex qua in divinum cultum propensione perpetuus quidam spontaneæ devotionis amor emanabat ; nam præter debitum Deiparæ Officii pensum, obligarat se se ad Horas S. Joseph et B. Mariæ Magda-

lenæ, aliasque singulis diebus preces recitandas. Illas ea reverentia mentisque attentione persolvebat, ut ne animum quidem alio ferri aut extravagari experiretur. Ex hac facilitate humilitas ipsius nullum ei, quasi non decertanti nec minime laboranti, meritum parturire suadebat, eo quod volitantibus passim cogitationum turbis, quibus plerumque orantium mentes expugnantur, ipse singulari prærogativa nusquam affligeretur. Vix ad sacros Ordines suscipiendos compelli potuit, hacque sola vice visus est lachrymari, non quod Prælatorum obtemperare mandatis reluctaretur, sed quia se tali prorsus honore indignum proclamabat : nunquam certe suo judicio tanta cohonestandus dignitate, ni Superioris, cujus potestati se se subjecerat, intercessisset authoritas, renitentem vi verborum et efficacia demulsisset, et in se fictitiam Jacobi imperitiam transmisisset.

Quis enarrare dicendo valeat quanta devotione erga Immaculatam Deiparæ Conceptionem affectus fuerit? cujus acerrimus propugnator illam ab omni originalis peccati labe expertem prædicabat, hanc opinionem effusione sui sanguinis obsignaturus. Incontaminatæ Conceptionis Officium una cum Rosario devotissime solitus recitare, paulo ante mortem suam se summo suæ resolutionis desiderio teneri Priori testificabatur, « ut, aiebat, e custodia corporis eductus æterna palatia conscendam, non quod, Pater mi, propter scelera mea Beatorum consortio me prorsus indignum non judicem, verum quia hac in re multum spero subsidii ex Beatissimæ Virginis patrocinio. »

Lubens ad viliora quæque et abjectiora, uti ecclesiam mundare, verrere parvum peristylium, et alia hujusmodi se se demittebat singulari dexteritate. Quamvis debilem admodum oculorum aciem haberet, securi scindebat ligna, dicebatque mira simplicitate, quod Deus manum ejus et ictum sua dirigeret Providentia, alioquin non sine sui læsione huic exercitio vacare potuisset; qui quoties stipitem feriebat, toties *Gloria Patri et Filio* proferebat aspirando. Pœnitentiæ multum fuit addictus et paupertati ; unde toto ferme hyemis tempore incedebat discalceatus, solo exercitatione corporis calore contracto contentus. Ut autem lignorum, quæ singulis pro necessitate distribuuntur, parcitatem aliqua rationabili causa prætexeret, dicebat, Religionis bona non incassum aut minus utiliter impendenda, sed potius in infirmorum usum conferenda esse contendebat ; quapropter semper abundabat biennii aut triennii portione, qua quidem ægrotos Confratres suos ditabat summa cum charitate.

Primus festinabat ad ecclesiam, omnesque nulla habita personarum acceptione nudato prius capite salutabat, ita ut mediastinos pretio haberet ac honori. Valde delectabatur chori minoribus officiis. In cella illius, omnibus rite ordinatis, religiosa enitebat mundi-

ties, in qua si quis Jacobum adiret, nullos nisi de rebus divinis audiebat sermones. Si adversa interdum valetudine afficeretur, aut molestum quid ejus corpori accideret, hæc lætus sustinebat, memor Salvatoris nostri Passionis. Sui ipsius severus judex suis tantummodo defectibus attendebat, minime sollicitus de alienis. Fuit observantissimus silentii, austerus sibi, ac paupertatis cultor egregius, qua vestibus attritis lubens utebatur. Benignus in omnes et affabilis, velut alter Antonius hilari semper ac sereno vultu apparebat. Insigni morum præditus suavitate, cunctis gratum, nemini se exhibebat molestum, et quamvis lepida admodum esset illius conversatio, mimica tamen et scurrilia proferre nunquam auditus est.

Inter infirmitates quibus laborabat nunquam eximi voluit a communibus legibus, et licet acutissima dolorum vi stimularetur, nihilominus æquam in rebus arduis servabat mentem, eamdemque in vultu tranquillitatem retinebat, Dominicæ Passionis et mortis memoriam recolens singulari devotione. Ex assidua genuflexione panum in genibus contraxit, cujus incommodum tamdiu dissimulavit, donec conscientiæ suæ stimulo coactus fuerit manifestare morbum ingravescentem. Rem igitur quasi per jocum Superiori aperuit, dicens ex tali humore se nihil incommodi pati, quinimo sibi oranti geminum a natura pulvillum fuisse subministratum. Cum huic morbo medelam adhibere ob ipsius vetustatem perdifficile esset, ad peritissimum Burgundiæ comitatus chirurgum Jacobus deducitur, qui nihil remedii ab eo percepit, ob incisionis periculum. Rediens igitur intactus a medico, a recta via, nullo advertente deflexit, cujus quidem digressus causa fuit tum corporis languor, tum suspensa ejus mens in Deum.

Post reditum per aliquot dies, nullo modo de panis suis fuit sollicitus, at intumescentibus iis semper, ac sinistro genu nigrescente velut mortuo, jure merito timebant medici, ne gangræna superveniret ; quapropter post multa sed incassum adhibita medicamina, tandem amputare panos, ne malum latius serperet, decreverunt. Prius se corroboravit sacro Altaris pabulo, et animam suam ita in manibus suis posuit, ac si eam jam Creatori suo fuisset redditurus : hæc incisura duravit semihoræ unius spatio, quam sustinuit tanta mentis fortitudine ac patientia, ut nullum toto hoc temporis intervallo verbum emiserit aut querimoniam ; chirurgum tantummodo interdum alloquebatur, ut opus suum non adurgeret, sed id lente perficeret ac commode. Compactus autem jamque prope dimittendus V. Priori se valde deceptum fuisse confessus est, quodque ad acutiorem sensus dolorem se præparasset, indicavit; verum aliquid propter Deum tolerare non dignum ab eo judicatum fuisse dixit. Eamdem vultus serenitatem per illud tempus, quod breve reputabat,

conservavit absque ulla sui immutatione.

Post octo dies alter panus amputatur, sed non sine dolore vehementiori ; verum Dei servus nihil de pristina constantia remittens, *Gloria Patri* submissa voce protulit summo cordis affectu. Hanc operationem febris continua subsequitur, et crebris accessionibus gravior effecta, epiphoram ei et movit et irritavit in pulmones defluentem, quæ non modo respirationem intercludebat, sed etiam præ molesti cruciatus sensu lancinabat ejus latus, unde deductus est ad extrema. Interim ex Prælati mandato dum nullum alloqui prohibetur, obtemperavit eo libentius quod soli Deo imposterum vacare liberius sibi liceret, cum quo semper fuit per orationem conjunctissimus. Conabatur Superiorem suum et monachos convenientes illius ergo mœrore perculsos consolari.

Per id temporis instabant Comitia Ordinis generalia, ad quæ Prior Lugdunensis pergere debebat. Interim ægrotus cum peccata sua Priori exposuisset, de Vicarii manu Sanctissimum Christi Corpus recepit. Interrogaverat biduo ante Coadjutorem, quibus impensis et quantis sumptibus quoad chirurgum hæc incisio facta posset Domui constare ; cui ille quadraginta forsitan scutis hanc operationem respondit esse remunerandam ; at æger protinus subjunxit talem mercedem excedere habita ratione sui ipsius, qui quadraginta denariis minus valeret, eorum prorsus immemor, quibus vota monastica nuncupans, Cartusiam hanc locupletaverat. Ingravescente interim morbo, in extrema salutis linea constitutus, Sacro Oleo juxta morem Ordinis perungitur a Vicario, qui cum præ reverentia Jacobi manum deosculari voluisset, illam statim retraxit vir humilis corde, suam causatus abjectionem, qui terram ab ipso calcatam lingere non merebatur. In his humilitatis summæque devotionis exercitiis ad extremum usque spiritum perseverans post exactam in conversatione religiosissima vitam, placidissimæ mortis somno corripitur, adeo ut præ vultus serenitate, viventi potius quam mortuo similis appareret. Audito tanti viri obitus nuncio, R. Pater Leo Tixier Prior Lugdunensis, qui in primaria Cartusia versabatur, non potuit temperare a lachrymis, præreptum sibi sanctum dolens. Obiit anno 1632, 10 Maii.

Ex Chronico hujus Domus.

XI DIE MAII

MICHAEL TORREZ

PRIOR MAJORICARUM

Patria Valentinus; Illerdæ instructus humanioribus literis, petiit Lutetiam Parisiorum, ubi in sacra Theologia inauguratus Doctor, venit Lovanium Hebrææ simul et Chaldææ linguæ discendæ gratia. Perfecte callens utrumque idioma, his spiritualibus onustus divitiis dum reditum in patriam adornaret, divertit Florentiam, ubi per annum commoratus feliciter ad Græcam linguam animum adjecit. Ad patrios lares remeans anno 1488, cœpit sæculum fastidire, solumque Jesum et hunc crucifixum scire cupiens, Cartusianis Vallis Christi nomen dedit, anno 1489.

Post emissa professionis vota, vir laboris amantissimus ad divinarum Scripturarum studia contulit quidquid ab exercitiis spiritualibus otii supererat; scripsit eruditissimam paraphrasim super Codices Sacros, quod quidem opus perducere non potuit usque ad umbilicum, eo quod fuerit admotus officiis Vicarii et Procuratoris. Anno 1524 cum missus fuisset ad Cartusiam Majoricarum, ibidem Procuratorem acturus, mare trajiciens, secum detulit suas lucubrationes, quibus extremam imponere manum succisivis horis sibi proposuerat, cumque secundissime cursum teneret, sæviente illico mari, undis insanientibus levis navigii latera, carinæ, prora, puppis, vela horrisonis ictibus dissolvuntur, vel potius dissipantur, naufragi homines terram appellunt cum sarcinis levioribus.

Has inter, diversarum linguarum characteres maris aqua deturpati non sine intuentium dolore cernuntur, qui licet dudum authoris industria magna ex parte coaptari potuissent, tamen gravatus ille regimine Domus in munere Procuratoris et Prioris (ad quod assumptus est) nec diuturna vita fruens, non valuit vigiliarum suarum fœtus parturire; unde pretiosus alias thesaurus tineis et blattis relinquitur, morte præmatura Michaelis, qui pie spiritum Deo reddidit, anno 1527, die 11 Maii.

Ex Chronico Vallis Christi.

JOANNES ROCHESTER ET JACOB. WALWORTH

MONACHI LONDONIARUM

De quibus author Historiæ Martyrum Angliæ cap. 15 scribit his verbis : « Interim dum hæc ita agerentur exci-

tata fuit in regno magna commotio vulgi adversus Regem; qua demum sedata, quidam nobilis vicinus illi Domui in qua duo ex illis Religiosis quatuor, quos supra diximus per duas alias Domos Ordinis dispersos et distributos fuisse, commorabantur, adiit Vicarium Regis, suggerens ei, duos illos monachos Cartusianos Domus Londinensis, quos in aliam Domum ejusdem Ordinis prope villam de Hulle ablegaverat, etiamnum in sententiam persistere, nolentes obedire Regis imperio. Quod ille audiens fecit ei potestatem eos tractandi juxta severitatem legis, seu pœnas in Regii Parlamenti decreto expressas.

« Ille vero lubens id muneris suscepit, eosque adductos in civitatem Eboracensem coram Duce Norfolciæ laqueo enecari jussit; atque sic vitam hanc caducam et temporaneam gloriosa morte in beatam æternamque commutantes, in Christo obdormierunt anno Domini 1537, V Idus Maii. Horum nomina sunt D. Joannes Rochester et D. Jacobus Walworth, ambo monachi sacerdotes: dicuntur autem crudeliter tamdiu suspensi ex catenis, donec omnia ossa eorum convulsa ab invicem deciderent. »

THOMAS COCQUEBAR

PRIOR LUGDUNENSIS

Anno 1616 ætate et infirmitate confectus ad Cureriam lectica vectus (ibi enim Cartusiæ seniores morbo correpti subsidia recipiunt necessaria quæ minus commode alias subministrarentur), hac in eremo beatam efflavit animam anno 1617, 11 mensis Maii. Natus erat in loco quodam Picardiæ dicto Salency; corporis præstantia spectabilis, hanc longe præstantiori vitæ sanctimonia exornabat, priscorum Ægypti Patrum vivum se exemplar exhibens. Cui morum gravitati mens bene composita summaque probitas accedebant, quæ illi omnium conciliabant venerationem; ea mansuetudine præditus erat, ut, dum in omnes facilis benignusque appareret, sibi soli durus, victus parcitate, sensuum mortificatione austeritateque castigaret corpus suum et redigeret in servitutem.

Anno 1616, cum ageretur de restauratione Cartusiæ Lugdunensis, hujus monasterii Moderator designatus est ad instantiam civium, quibus Thomæ virtus jam perspecta fuerat, cum olim ibidem peregregie Prioris munus exercuisset. Itaque mense Augusto habuit mandatum a R. Patre Lugdunum petendi. Agebat per id temporis Vicarium in Cartusia Tolosana, cum ad hoc officium assumptus est; adiensque Reverendum Patrem ob tremulam dexteræ manus agitationem minus ad hanc dignitatem idoneus judicatus, Lugdunum venit, hanc novam Domum claustri religiosissimus incola laudabili sua conversatione præclarisque virtutum exemplis illustraturus. Mandatum hoc

suscepit tanquam humilitati suæ gratissimum, gaudebat quippe molestum illud Prioris onus declinasse, natum se existimans ad obediendum potius quam ad imperandum. Dominari minime ambiebat, qui summopere cupiebat in abscondito faciei Dei delitescere, ipsi soli adhærere, et oblitus quæ retro sunt ad anteriora se se extendere.

Nec mirum; apprime siquidem institutus fuerat a R. P. Hieronymo Marchant, quo totius Ordinis tenente clavum, vota monastica nuncupaverat in Cartusia Majori, anno 1588, in ipsa Sanctorum Omnium Solennitate. Instillaverat Hieronymus alumno suo pietatis lac et devotionis, eosque sub tanto magistro Thomas noster fecerat progressus, ut perfecti, omnibusque absoluti numeris Cartusiani simulacrum se se communi omnium calculo præberet. Silentii solitudinisque custos egregius suspensam in Deum semper gerebat mentem, tantaque divinæ præsentiæ luce perfundebatur, ut in mystica Theologia versatissimus deputatus fuerit una cum venerando Patre Antonio de S. Paul ad examen Exercitiorum R. P. Domni Joannis Michel, quæ prius tantorum virorum censuris castigata (modo in eis aliquid occurreret emendandum) approbataque debebant lucem aspicere. Hæc obiter dicta sint in argumentum Thomæ eruditionis.

Singulariter in Christi Passionem affectus, præ sensu doloris et compassionis, audiens aut legens conscriptam ab Evangelistis Salvatoris nostri tormentorum Crucis dirissimæque mortis historiam, nunquam a lachrymis temperabat; ideoque ne gemitus suos propalaret et dolorem, die Dominica Palmarum, feriis 3 et 4 subsequentibus, dieque Parasceves, dum recitabatur a diacono Evangelium, egrediebatur foras, quo liberius erumperent lachrymæ, laxansque fletibus habenas in angulo domus suæ consuleret humilitati, quæ tantæ devotionis gratiam periclitari verebatur, si forte manifestaretur. Pavent siquidem bonæ mentes ad humanam auram, solique Deo placere gestiunt.

Hujus religiosissimi Patris Elogium scripsit his verbis Ganneronius noster: « Thomas Cocquebart habuit patriam Disiacum pagum non ignobilem diœcesis Laudunensis; peractis liberalibus studiis Cartusiam Majorem adiit, in qua monachus habitu effectus est, qui jam monachi mores induerat. Prior tandem ad novam S. Spiritus Lugdunensem eremum amandatus, quid in utroque valeret ostendit, et præcipue circa spirituales occupationes, quibus jugiter occupabatur: in cœlum usquequaque oculos mentis et cordis intorquens, unde sibi desideriorum complementum expetebat et expectabat, nihil nisi pulchram omnium Religionum a pravitate mundiali respirationem ipsemet respirans, in dies accrescens ipse et increscens omni virtutum comparatione, qua in solitudine, qua in congregatione justorum; ita ut qui virum illum

intueretur Christo confixum, non incongrue Deum in ipso et ipsum in Deo residentem fateretur se vidisse.

« Pallor et macies in vultu, oculi demissi jugiter, compositio religiosa corporis, verba ejus de Deo crebra et ignita sine fuco, vacua carnali prudentia (nam statim recedebat a colloquiis quæ de Deo non erant), ex penitissimo cordis affectu collecta suspiria, mentis elevationes assiduæ, Deo deditam animam indicabant. Strictissimam regularis vitæ observantiam, indefessam animæ devotionem, in divinis alacritatem, in consortio linguæ continentiam semper ruminabat ; jugem quoque abstinentiam ita sectabatur, ut ubicumque fuisset, Ordinis abstinentias et longa jejunia nunquam fregisset.

« Nullas fabulas aut audire aut recitari sustinuisset, eo quod omnimoda consolatio ejus emanaret ex puro Dei amore ; amor Dei in ore et sub lingua, amor Dei in corde, timor Domini in omnibus sensibus ejus habebat primatum. Sed quid pluribus immorer? Ita Deo intentus fuit, ut pene totum diem jejunus, nisi quis eum monuisset, durasset in oratione ; sed et ad exteriora ex debito curanda abreptus, totam pene civitatem ab ortu solis usque ad occasum circuiret, et inde reversus ignoraret quantum pedes ambulasset itineris, quo tetendisset, propter quod iter arripuisset, quidque reperisset in via. Nam in ipso limine Domus Jesum habebat obvium cum quo fabularetur, nec tali unquam Achate comitatus tristabatur vel fatigabatur.

Tandem cum veterem hominem omnino continua jejuniorum solennitate, solo pane et aqua contentus, frequenti disciplinarum rigore ad effusionem usque sanguinis et extremam sui ipsius exinanitionem repurgasset, cum palma victoriæ et laurea jucunditatis sancta cœlorum adyta ingressus est. Quidni enim ingrederetur locum ad quem tantopere suspirabat vir humilis, simplex, prudens et castissimus, sobrius supra modum omnem, minimæ cæremoniæ observantissimus, zelator Ordinis, paupertatis amator, sibi parcus, largus vero subditis, jugi devotione fervens, valde misericors et laboris patientissimus? Certe usque ad extremum halitum, cum esset viribus omnibus exhaustus, et crebris quassatus morbis, nihil sibi de Ordinis austeritate remisit : ita observantissimus observantiæ, ut Superiorum monita obviis ulnis amplecteretur, et nullius unquam amici sperneret consilium.

« Fuit etiam optimæ litteraturæ, non enim solum in Latinis, sed et in Græcis doctus erat, Philosophiæ et Theologiæ, quam positivam dicunt, experientissimus, etsi vitandæ vanitatis gratia nihil effutiret in publicum. Rerum quoque temporalium sibi concreditarum ita felix administrator, ut quod multi equitando, vigilando noctu diuque laborando cum penuria tractabant, ipse quietus in oratione commodis omnibus

affluebat. Apud eum conqueri consueverat ejus Procurator, quod domi curta supellex, quod omnia rei familiari deficerent, jam detumuisse crumenam, nunc defrigere culinam. Quid inde ? Martha sollicita est et turbatur erga plurima. Confugit vir sanctus haud ad chartophylacium aut ad eliquandos marcidos aliquos redditus emungendosque ullos debitores, sed ad orationem. Orat igitur et obsecrat qui in solo Deo confidebat, impetrat illico plura quam sibi necessaria, scilicet eleemosynas et xenia; victum et argentum recipit œconomus unde nusquam sperasset, cum donatores essent ignoti omnino et alieni. » Hactenus Ganneronius.

Porro quæ supra retulimus excerpsimus ex Chronico Gallico Cartusiæ Lugdunensis, et ex Schedis venerabilis Domni Archangeli Monchoson, Vicarii Cartusiæ Villæfrancæ, ad nos transmissis.

JOANNES DE LANGLADE

MONACHUS TOLOSÆ

Patria Lemovicensis; insigni vitæ sanctimonia effulsit apud Cartusianos Tolosates. Cujus quidem conversationis oculatus testis V. P. Joannes Pacificus Tixier asserebat se vidisse neminem qui Joannis de Langlade perfectionem assecutus fuisset; cumque diu præfatus Pater eum observasset, nunquam vel minimum quid otiosi protulisse deprehendit; etenim arctissimi custos silentii ab inutilibus verbis suam cohibebat linguam. Unde si quandoque conversaretur inter Fratres suos, nihil tunc nisi de rebus divinis colloquia instituebantur.

Ad omne literarum humaniorum genus adolescens Lemovicis applicatus, non minus virtute quam scientia profecerat; unde devotionis, modestiæ timorisque factus exemplar a nonnullis vocabatur scrupulosus. Elucebat in eo facies angelica, quæ ad sui venerationem rapiebat omnes. Fuit imprimis Statutorum tenax, addictus spiritualibus exercitiis, quorum pensa reddebat accuratissime, nihil divinarum laudum desultorie percurrens, sed Horas attente reverenterque persolvens ad campanæ pulsum. Assidua continuaque sensuum et passionum mortificatione viam sibi stravit ad sanctimoniam, qua monachos omnes, qui hac in eremo religiosissime conversati hactenus fuerant, præcelluit. Hanc sensuum macerationem cum orationis studio conjungens, quinta hora consueverat e lecto surgere, cor suum effusurus in conspectu Domini, cujus præsentia ubique mirifice delectabatur.

Jam 27 annos exegerat in Ordine magna cum pietatis laude, cum grassante per Tolosanam civitatem peste correptus, ad instantiam Domini Masuier protopræsidis, a chirurgis visitatur, non sine viri castissimi pudore, qui nudus apparere erubuit. Interim

dum tota Domus hac lue infici pertimesceret, D. Bruno le Pelletier asseruit hanc contagionem minime esse metuendam, solum Joannem hoc morbo esse moriturum ipse subjungens. Cujus quidem vaticinii veritatem comprobavit eventus ; Joannes etenim noster optime affectus erga proximum, dum publica quædam calamitas immineret, sistebat se Numini velut hostiam, totamque divinæ justitiæ iram in se tanquam anathema converti deprecabatur, quo Dei vindicis furorem solus sustinens, patriæ suæ conciliaret propitium.

Inter cæteros qui opem et obsequium ægrotanti obtulerant, V. P. Jacobus de Clarac, non minus virtute quam generis splendore conspicuus, Joanni nostro in nobilissimæ charitatis opere inserviens ministerium hoc est sortitus ; unde in cellula laborantis epidemia conclusus cum famulo omnia præstitit obsequia. Ingravescente interim morbo, tandem Joannes spiritum impollutum emisit anno 1631, die XI Maii. Fuit singularis benefactor hujus Cartusiæ. Post ejus obitum cum de sepulturæ loco difficultas exorta fuisset, alii enim in ecclesia, alii in hortulo ob pestis metum tumulandum esse contendebant ; verum bis imber superveniens maximus litem dirimit, sepultusque est in ecclesia absque ullo incolarum detrimento.

SEBASTIANUS VIRELY

COADJUTOR DIVIONENSIS

Patria Belnensis ; professus anno 1618, 19 Martii, dilectus Deo et hominibus ob innatam animi bonitatem; fuit in omni vita comis, affabilis, mansuetus, nulli molestus unquam, nullum lædere verbo vel facto, de nullo queri, sibi rebusque suis attentus, et in Statutorum observationem intentus studiosissime. Per viginti annos Sacristam agens eximiam hausit e sanctuario devotionem, quam postea, dum fuit admotus officio Coadjutoris et Procuratoris Luviniaci, assiduitas illius in choro comprobavit.

Redux ad Domum Divionensem non sine lachrymis se vidit rursus ibi Coadjutoris munere oneratum ; in summa etenim simplicitate summe prudens, nihil in vita quærebat magis quam quietem solitudinis ac pacem a turbis mundi. Patientia, qua præcelluit semper, in ultimo ejus morbo effulsit ; dixisses enim eum dolorum suorum spectatorem per sex menses fuisse non latorem, ita nihil ad illorum magnitudinem movebatur. Meritis dives, debitum humanitatis exsolvit, anno 1663, 11 Maii.

STEPHANUS FREREDOUX

PRIOR S. HUGONIS

Professus Majoris Cartusiæ, anno 1642, 15 Augusti, ubi primum Sacrista; deinde Procurator Saletarum sic administravit hujus parthenii temporalia, ut decem mille librarum annuo reditu Domum adauxerit. Interim deploratis fere Vallis S. Hugonis rebus, institutus ibi in Priorem, anno 1667, sua industria collapsam Domum restituit in eum statum, quo jam floret inter commodiores recensenda. Præfuit simul et profuit usque ad annum 1678, absolutus a Prioratu propter articularem morbum.

Chiragræ et podagræ dolores acutissimos cum admirabili patientia sustinens, dum acerbius cruciaretur, dicebat sæpissime : « His articularii morbi blanditiis Deus castigat meæ juventutis delicta : majoribus pœnis dignus sum.» Nemini molestus erat, sed semper jucundi sermonis homo, verbum bonum et religiosum eructabat. Ejus imprimis fervor ad frequentandam ecclesiam commendatur : qui enim incolumis raro admodum abfuerat a divinis Officiis, quoties postea ei licuit inter morbi sui intervalla, aut se se reptabat ad chorum, aut cum impos fuit, bajulabatur ad sedem suam, ibi devotissime perseverans donec absolveretur Officium. Pie animam efflat, anno 1687, 11 Maii, anno ætatis 79.

XII DIE MAII

STEPHANUS

MONACHUS MONTIS DEI

Ex primis hujus cœnobii alumnis ; qui ex Cellensi Augustobonæ Tricassium cœnobio veniens, tanta pietate enituit, ut apud sanctissimos viros Bernardum Clarævallensem, Guillelmum a S. Theodorico, et Petrum Cellensem Abbates, locum familiaritatis et amicitiæ invenerit. Cui etiam Guillelmus Librum de Solitaria vita ad Fratres de Monte Dei, et Petrus alium de Laude vitæ solitariæ dedicarunt. Vivebat Stephanus anno 1165, ejusque obitus signatur in Montis Dei Necrologio ad diem 12 Maii.

PETRUS

MONACHUS TREVIRENSIS

De quo B. Dominicus Trevirensis meminit in hunc modum : « D. Petrus homo subtilis artis et ingenii ac dulcis affatu, qui plures ad Dei et Matris ejus

cultum allicere studuit. » E vivis excessit 12 Maii, circa annum 1440.

ARNOLDUS BOYNCK

PRIOR WESALIÆ

Hujus eremi professus, anno 1454; electus in Priorem, hanc Domum in multis hæreditatibus auxit, et in spiritualibus optime rexit, apud omnes in veneratione simul et amore. Cumque per 24 annorum spatia ministerium suum perfectissime adimplevisset, anno 1478, transfertur ad Castri Mariæ moderamen, quod paulo post, senectutem causatus, dimittens, redux ad suæ professionis Domum, ibidem meritis dives diem extremum clausit, anno 1484, die 12 Maii.

Ex Catalogo Priorum Wesaliæ.

HIERONYMUS

PRIOR IN SNALS

Hujus cœnobii alumnus; cujus regimen habuit per 38 annos cum ingenti prudentiæ, probitatis et vitæ exemplaris fama; tandem cum ob provectam ætatem precibus instantissimis exauctorari petiisset a Comitiis generalibus anni 1531, antequam Charta Capituli generalis, per quam absolutus fuerat ab officio propter senectutem, reciperetur, jam pius Pater e vivis excesserat, die 12 Maii, optime meritus vir de Ordine.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

GERARDUS AGRICOLA

PRIOR HERBIPOLIS

Domus Moguntinæ alumnus; ex Procuratore Domus Erfordiæ præficitur Domibus Illimbach et Grunaw per Chartam anni 1574; sed paucis post mensibus a Commissariis generalis Capituli Prior instituitur Herbipolensis, sub cujus regimine Cartusia hæc, quæ ab Hæreticis redacta fuerat in statum lamentabilem, reflorere cœpit. Hic se præbuit strenuum operatorem ac indefessum; vir enim erat magnæ non solum virtutis ac pietatis, sed et cordis impavidi, adeo ut præfectis sæcularibus sua magnanimitate expulsis, oppignorata et ablata Domus restituit, pro juribus et libertatibus reimpetrandis, et ut cœnobium ad primævum statum revocaret, multos sustinuit labores, velut murum et antemurale aheneum omnibus difficultatibus se opponens; quem recte Miræus vocat insignem hujus Domus columnam. Cum per 15 annos hanc Cartusiam optime gubernasset, fatis fungitur, anno 1590, die 12 Maii.

GUILLELMUS PETRUS DUZAL

VICARIUS SCALÆ DEI

Habitum suscepit, anno 1557, mortuusque est anno 1594, 12 Maii, tali cohonestatus elogio : Clarior extitit in claro homine virtus. Fuit Vicarius et Procurator.

Ex Annalibus Scalæ Dei.

XIII DIE MAII

STEPHANUS

PRIMUS PRIOR BELLILARICI

Ejus Vita describitur ab authore anonymo Chronici hujus Domus, quam de verbo ad verbum hic subjicimus.

De viro sanctissimo primo Priore Stephano, annuente Domino, locuturus, ab illa virtute, sine qua nihil se esse reputat Apostolus, exordium sumere dignum duxi : quatenus videlicet quantus fervor charitatis in beata pauperie corda Fratrum qui tunc aderant accendebat, advertamus, et quam in nobis qui impræsentiarum sumus, ex eorum comparatione, etiam in rerum opulentia eadem jam charitas refriguit, agnoscamus. Et ne cuiquam in dubium venire debeant ea quæ de Dei famulo scribere inchoavi, ecce ex ore Fratris Roberti coquinarii, viri utique bonæ conscientiæ et religionis immensæ, fere omnia suscipio ; quippe qui adhuc superest, et in illo quoque tempore coquinarius existebat.

Igitur, ut præmisi, cum in illa novitate fundationis Domus nostræ, propter vini inopiam, apud Castrum Sacri Cæsaris ad hospitium ancillæ Christi, Dominæ videlicet Bermundis, Frater Petrus missus esset, ut ibidem a fidelibus vinum misericorditer erogatum reciperet, misit illa præfato servo Dei Stephano quasi novum exenium, quod scilicet vulgariter dicitur *mussina* racemorum, necdum cum adhuc illo in tempore racemi hic intus fuerant asportati. Cui cum a dicto coquinario oblata fuisset, eam vir sanctus cum gaudio suscipiens deosculabatur, dicens : « Benedictus Dominus qui nobis hoc donum suæ benedictionis transmisit. » Cum enim jejuniis et frequentibus abstinentiis nimis exesus esset, et ætate jam prolixa debilitatus illius exenii beneficio potius indigeret, per privatum tamen amorem se diligere nesciens, sed ea magis quæ sunt Dei et Christi ardentius quærens, ad Fratrem alium mox transmisit, dicens : « Tolle hoc munusculum et defer illud Domno Joanni, qui vicinior existit, ipsi enim magis necessarium est quam mihi, et hujusmodi multo amplius indiget, utpo-

te valetudinarius, debilis et longævus.» Quæ cum ad eum delata fuisset, ipse similiter propriæ senectutis debilitatem non attendens, proximiori socio, qui ut sibi videbatur, his opus magis haberet, deferri rogavit. Sicque factum est ut eadem mussina per cellas singulis monachis præsentata ad virum venerabilem Stephanum coquinarius integram reportaret. Quod cernens vir beatus in omnipotentis Dei laudes et gratias expansis manibus prorupit dicens: «Nunc, o Domine Jesu, nunc video, nunc percipio te Dominum, qui totus charitas es, in nobis pauperibus servis tuis veraciter permanere. Ex hoc enim, hoc donum tuæ misericordiæ securus suscipio; et ex ipso cum gratiarum actione quamvis indignus vesci præsumo. Sit nomen tuum benedictum.» Sed et nos, Fratres charissimi, his auditis, gratias agamus Deo nostro et in ipso specialiter exultemus, qui in nostris quoque temporibus, in hac Domo nostra saluberrimum fraternæ charitatis exemplum factum fuisse cernimus, quod, beato scribente Hieronymo, olim in antiquorum Vita Patrum legimus contigisse.

Porro sicut in altario Tabernaculi, præcipiente Domino, ignis ardor continuus lignorum materia nutriebatur, sic in ara cordis istius sancti viri flamma charitatis indeficiens exercitio bonorum operum fovebatur. Nam quamvis Frater Robertus id mihi narraverit, Fratris tamen Joannis, viri venerabilis et industrii, relatione hoc ipsum veracius cognovi. Aiebat enim quod cum ipse juvenculus et hujus Dei famuli cursor existeret, habebat vir sanctus in consuetudinem, ut quando pro expediendis Domus nostræ negotiis foras equitare cogeretur, panem et caseum sive in mala sive in alveolo sellæ suæ faciebat reponi, quæ videlicet pauperibus et egenis obviantibus misericorditer largiretur. Cum vero jam ex his nihil omnino jamdudum superesset, ad nummorum recurrebat subsidium; nolens vir pius indigentem aliquem a se recedere vacuum aut immunem.

Quadam autem die cum Domi residens esset, affuit pauper quidam Clericus caligas non habens in tibiis, ut sui misereretur eidem humiliter supplicabat; quem vir Domini pietatis intuitus oculis, mox, ut erat misericordiæ visceribus affluentissimus, exuit se caligis et pedulibus suis et eidem Clerico tradidit induenda, ipso prorsus nudis cruribus et tibiis remanente. Vicit itaque dulce pectus pietatis formidinem paupertatis, cum profecto Domus inopiam non attenderet et nuditatem propriam.

Verum tunc temporis quis infirmus erat, et ipse non infirmaretur? quis scandalizatus et ipse non scandalizaretur? Quis, inquam, in afflictione positus, et ipse non pleno cordis affectu compateretur? Quod nimirum potest veraciter exprimi.

Cum Frater quidam judicio Visita-

torum, culpis suis exigentibus, in remotis valde partibus ad aliam Domum Ordinis sub disciplina fuisset destinandus : quod cum videret Christi famulus, prostravit se ad pedes eorum humiliter misericordiam postulans, quatenus eidem Fratri parcentes, quantascumque vellent pœnas infligerent, dummodo in Domo propria disciplinandus remaneret sine periculo. Timebat siquidem vir Domino plenus ne fortassis filium, quem in Ordine genuerat, aut immoderata cordis tristitia a voto Religionis expelleret, aut ingens laboris et itineris prolixitas ad perficiendam ei quæ injuncta fuerat disciplinam nimium deterreret. Visitatores vero imprimis ejus precibus nullo modo volentes acquiescere, in sua sententia inflexibiles et rigidi persistebant. Tunc sane videres sanctum senem Stephanum illa debilia membra humi coram eis miro cordis ardore prosternere, et quoties repulsus esset, toties prosternendo ardentius insistere; protestans et affirmans suo spiritui requiem non habere, donec illius Fratris miserantes eum a profectione debita relaxarent. Qui profecto cum sancti viri mirabilem cernerent compassionem et misericordem pariter ejus instantiam, pia illius importunitate devicti, dictam sententiam propitii revocarunt.

Et quia, charissimi, audivimus quomodo vir iste sanctus in compassionem proximi crucem suam intus portavit in corde, audiamus nunc qualiter per afflictionem carnis crucem exterius gestavit in corpore.

Igitur Georgius, vir utique venerandæ senectutis et immensæ devotionis, mihi multoties narravit, quod cum in cella proxima juxta virum Dei moraretur, per quatuor annorum spatium antequam migraret ad Dominum, iste Dei servus tanto cœpit cruciatu corpus suum affligere, adeo ut ipse Georgius a cella sua audiens miraretur, eo quod sæpius solito tot acciperet disciplinas. Diligenti itaque calliditate, ab eo pluries requisitus, tandem confessus est se infra diem et noctem unam triginta et duas disciplinas continuatim accepisse. Quod si ex humanæ fragilitatis infirmitate somnum capere cogeretur, corpus fatigatum vigiliis et attenuatum jejuniis plerumque in oratorio quasi in lectulo aliquantulum refovebat. Quem profecto stratum, aut præteritorum recordatione peccatorum contritus, aut Dominicæ inspirationis consolatione lætificatus, dulcibus lachrymis sæpius irrigabat.

Cum ergo his charismatum donis homo Dei Stephanus coruscaret, divina miserante nostri Providentia, talis nobis datus est Prior, qui quod per virtutes demonstraret exemplo, id etiam docens roboraret et verbo. Dederat ergo Dominus suo servo, quem constituit super familiam suam ut daret ei in tempore tritici mensuram, tantam prædicationis gratiam, quod nullus deinceps successorum suorum, sicut Fratres asserunt, in sermonis efficacia ei potuerit compa-

rari. Ex eo namque quod Fratres tam affectuose, tam studiose adhuc sancti viri verba memorando recitant, profecto patet illum ignitum vehementer habuisse colloquium argenteum, Sancti scilicet Spiritus igne examinatum, probatum certe in terra cordis humani et multiplicatum septuplum. Cum ergo quærerem a sancto Dei homine Hermanno, quomodo ita audientium corda sermo illius inflammaret, ut adhuc a tam longinquo tempore dulce esset Fratribus prædicationis ejus verba retexere, respondit : « Vir quippe valde spiritualis eo mentes audientium calore verbi fortius incendebat, quo et ipse interius ardore charitatis amplius ignescebat. Et quia fortiter ardebat, ideo fortiter incendebat ; cum procul dubio usque adhuc videamus micantes scintillas verborum illius, de ore et de corde filiorum suorum mirabiliter emanare. »

Adhuc autem quantæ constantiæ, quantæ humilitatis vir iste beatus in suis sermonibus extiterit, gestæ rei sequens declarat exemplum. Sara, illustris Domina Montisfalconis, ad exhortationem illius non solum ipsa, verum et multi de cognationis ejus progenie Nobiles, ab initio Domus tanta per eum contulerunt et adhuc conferunt beneficia, quod post loci Fundatores, specialissimi benefactores merito nominentur. Quadam itaque die cum esset Dei famulus ad Fratres inferius, ecce prædicta Nobilis ad eum visendum ex devotione advenit. Quæ quia sciebat eum virum justum et sanctum, multis precibus et eleemosynis familiaritatis ejus gratiam ac precum suarum participationem meruerat obtinere.

Igitur post sanctæ confabulationis eloquia cum jam regredi præpararet, ex nimio dilectionis affectu hominem Dei intuens, ait : « Veracissime sciatis, mi Pater reverendissime, quod ego longe incomparabiliter vos amplius quam filium meum Regnaudum diligo. » Cui vir Domini audacter incontinenti respondit : « O fœmina insipiens, quasi una de stultis mulieribus modo locuta es ! Quis enim ego ? vel quid ego ? Nescis quia ancilla tua panem tuum confectura, prius exagitatione cribri hinc et illinc a furfure farinam segregans, seorsum in parte florem similæ reponit? Sic profecto de me vilissimo pulvere debes perpendere. Ego sane in ventilabro rerum transeuntium positus, hinc inde concutior et illidor assidue ; cum illic superius sancti viri in cellis sepositi et inclusi, jejuniis et orationibus ac vigiliis vacantes, quemadmodum unicuique misericors Dominus elargitur, cœlestia libere ac delectabiliter contemplantur. Illos ergo dilige, illos ama, illos venerare et lauda; ad illos spem et fiduciam tuam diligenter jacta. »

Hinc ergo colligite, Fratres, quanta virtute humilitatis et constantiæ iste Dei servus refulserit, qui nequidem ad momentum adulationis vitio videtur acquiescere ; confestim non timuit tantæ nobilitatis Dominam verbis aspe-

rioribus increpare. Tantam quippe gratiam Dominus servo suo contulerat, ut non solum minores et mediocres, sed et multi Prælatorum magnates miro eum diligerent et venerarentur affectu, manifestam Dei gratiarum in eo florere prærogativam contemplantes : in morum videlicet honestate, in lætitiæ spiritualis alacritate, in fraternæ charitatis fervore, in sermonis suavitate et dulcedine, in personæ venustate, in incessus gravitate, in simplicitate innocentiæ, et etiam in sui habitus humilitate. Talis namque Pastor nobis in primordio Domus a Domino debebatur, qui multis coruscans virtutibus, dilectus Domino esset et hominibus, et nobis quoad spiritualia et Domui quoad temporalia proficere probaretur.

Interea iste Dei omnipotentis servus, cum se videret maxime propter ingruentem Domus inopiam pondere administrationis sibi commissæ anxie prægravatum, desiderio solitudinis et quietis amissæ flagrans, abiit Cartusiam ad generale Capitulum; ibi misericordiam petiit et accepit. Inde Domum propriam Portarum regressus, ibidem remansit. Quod cum innotuisset viris venerabilibus et Dominis Hervæo comiti Nivernensi, Willelmo episcopo Antissiodorensi, cæterisque Domus nostræ benefactoribus præcipuis, scripserunt unanimiter Priori Cartusiæ rogantes quatenus virum Dei Stephanum novellæ Domui, quæ adhuc sub ejus regimine debile principium incœperat, remittere dignaretur ; ut et ipsi qui de tanti Patris absentia dolebant, de illius itidem præsentia et consilio adjuti, facilius ob sanctitatis ejus merita ad provectum Domus intenderent, et beneficia plurima uberius largirentur.

Quo regresso, vir valde venerabilis ac religiosus plurimum Leobaudus, monachus ejusdem Domus Portarum, qui post se electus fuerat in Priorem, videns virum Dei non nisi cum difficultate maxima ad Procuratoriam suscipiendam posse induci, procuravit ut præcipientibus Visitatoribus ad hujusmodi administrationis onus cogeretur ; quatenus ad illius consilium et industriam, utpote qui tanti regiminis cursum expertus longo tempore fuerat, tam spiritualibus promovendis quam temporalibus securius ac salubrius deserviret.

His itaque peractis post aliquantum temporis Procuratoria dimissa, cum omnipotens et misericors Dominus servum suum, qui in vinea sua fideliter laboraverat et a primæva ætate pondus diei et æstus libenter portaverat, vellet promisso æternitatis denario munerari : corporis infirmitate correptus, decidit in lectulum.

In hac autem infirmitate, sic Domnus Georgius asserit se ab ipso servo Dei audiisse, quod nocte præcedenti antequam Sacram Unctionem perciperet, quidam miræ claritatis quasi solis radius ad pedes cubiculi in oratorio cœlitus descendens, huic servo Dei apparuit; in illo videlicet loco, quo die

crastina sequenti expleto Sanctæ Unctionis ministerio crux extitit collocata. Quis enim non credat hujus signi miraculum ad indicium eximiæ sanctitatis ejus evenisse? Et ne cui in dubium venire debeat, cum in plerisque Sanctorum exemplis signum non dissimile reperiatur; ecce non longe post in monasterio Callonii Cisterciensis Ordinis, super Reverendissimum Dei famulum ejusdem cœnobii monachum, nomine Garsium, quem ego quoque vidi, ante cubiculum suum orantem, a Priore ejusdem monasterii hujusmodi radius visus est descendisse. Cum vero, sicut dictus Prior postmodum retulit, super insolito miraculo, intentis luminibus in eum inhærens, miraretur, æstimavit protinus visionem illam a lunæ claritate procedere; sed ad se continuo reversus cœlestem esse credidit visionem, maxime cum in dormitorii tecto nullum foramen penitus appareret, nec omnino lunæ claritas illo in tempore radiaret.

In hac ægritudine D. Hermandus ut erat vir charitatis atque compassionis fervore magnificus, ac per hoc de istius servi Dei valetudine valde sollicitus; cum ad eum, sicut mihi veraciter narravit, intrasset, invenit eum cum tanta inundatione lachrymarum hymnum Trium Puerorum, scilicet *Benedicite omnia opera, etc.*, per semetipsum solum dicentem. Quo viso, Domnus Hermandus stupens et admirans ait illi : « Cur, Pater, ita vos vehementer affligitis ? » Respondit : « Ego certe, fili dilectissime, totus dissolvi, totus effundi, totus efflui in hujusmodi lachrymas vellem. »

Consideremus, quæso, Fratres, consideremus, si possumus : istæ uberes et dulces admodum lachrymæ de quonam fonte eruperint, nisi ab ipso, qui fons est aquæ salientis in vitam æternam, et de quo dicitur : « *Flavit Spiritus ejus et fluent aquæ?* » Et unde tam ardens illius responsio, nisi ab illo qui ignem sui amoris accenderat in visceribus suis ? Quæ vox, inquam, vel quæ lingua exprimere poterit, in quanto mentis culmine in illa hora Christi servus extiterit, quando ad omnipotentis Dei laudem et benedictionem omnia opera ejus ardentissimo affectu invitabat? Præ maxima cordis, ut æstimo, jubilatione et suavi Sancti Spiritus unctione, videbatur eidem quod non essent condignæ laudationes humanæ ad reddendas omnium Creatori gratiarum ac laudum actiones pro ineffabili divinæ largitatis dulcedine, quam ipse in arcano pectoris thalamo infusam abundantissime sentiebat.

Verumtamen infirmitas hæc, fervore utique devotionis minime frigescente, illum nequaquam potuit impedire quin ad ecclesiæ ostium Missam auditurus quotidie procederet, præter pridie scilicet quo obiret. Qua namque die fecit Fratres laicos præsentari. Quibus præsentibus cum monachis, Sacræ Unctionis et Corporis Dominici Sacramenta cum summa devotione et reverentia suscepit. Osculo itaque juxta morem

Ordinis singulis dato, statim unumquemque secundum quod in quolibet reprehendendum noverat, amicabili repræhensione hortabatur. Unde et uni eorum dixit : « Oportet te, quæso, fili dilectissime, quia nimis negligens esse comprobaris, ut ipsam negligentiam et incuriam in sollicitudinem et solertiam convertas. » Alteri quoque subsequenter dixit : « Sic et te, Frater, deprecor, ut iracundiam tuam per lenitatis mansuetudinem studeas mitigare. » Deinde ad alium subjungens ait : « Hæc tui animi levitas, qua aliquantulum dissolutus es, nunc est, dilecte mi, in gravitatem Ordinis permutari. » O Pastor bonus et prudens, qui vultum pecoris sui sapienter considerans sciebat quo pede gravius claudicaret, dum quibuslibet singulorum vitiis obviantia adhiberet medicamenta!

Postmodum vero osculatis omnibus, propter quosdam de astantibus qui quamvis ad abstinentias et vigilias faciendas fortes essent et fervidi, circa tamen senum ac debilium necessitatem minus plene seduli existebant, sermonem brevissimum contexuit, dicens : « En, Fratres, vos admoneo, vos exhortor in Domino, evidens præcipue de memetipso præbens exemplum. Ego quidem plerumque vigiliarum prolixitate et protracta matutinalis Officii psalmodia plurimum fatigatus, vehementer exoptabam finitis Matutinis ad cellam regredi, ut saltem super scamnum senilis corporis membra aliquantulum refoverem. Cumque post paululum resumptis utcumque viribus respirarem, tunc profecto ex devotione erat mihi voluntarium in animo Missam celebrare, si quomodo præsto posset fieri qui adjuvaret. Tandem vero ad cellulæ ostium conspiciens, si forte occasionem perficiendi quod suggerebat devotio reperire potuissem, ecce Sacrista per claustrum caternulos suos deferens oculis apparebat ; per quod videlicet perspicaciter advertebam, et vos qui fortes estis et juvenes Missas vestras jam celebrasse, et me senem et debilem fraudatum a desiderio meo et tanti Sacrificii suffragio caruisse.

« Quapropter, o filioli mei, vos obnixe deprecor in Christo Jesu, quatenus cum inter vos senex aut debilis aut infirmus quisquam fuerit, ipsius infirmitatem supportare velitis ex animo, et unusquisque prompta ac ferventi quadam præsumptione, in obsequiis ægrotantium atque debilium, quantumcumque privata aut vilia, Fratrem suum prævenire contendat ; ac per hoc felicem et beatum se esse minime dubitet, cui tale quidquam a Domino datum fuerit operari. Hac igitur de causa clamat Apostolus : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Constat ergo, sicut ipse ait, quod plenitudo legis est charitas, et ubi plenitudo, ibi procul dubio nihil remanet adimplendum. Sicque nimirum, dilectissimi, hoc agentibus fiet, ut pro vili et transitorio servitio, perpetua at-

que pretiosa vobis a pio Domino donetur remuneratio animæ. »

Erat autem ipsa die feria sexta. Subsequenti vero nocte, cum Domnus Hermandus Sacrista et Frater Robertus coquinarius, et Frater Willelmus sutor circa sanctum Dei famulum pernoctantes vigilarent, ecce circa noctis medium factus est repente super eum mentis excessus. Jacebat enim supinus, manibus super pectus depositis, apertis quidem et scintillantibus oculis, non gemens neque plangens, sed ita, quod profecto mirabile est, anhelitu temperato, ac si sanus esset et dolorem penitus non sentiret. In hoc quidem statu, ut asserunt, tamdiu permansit, quousque ab hoc loco ad pastorum grangiam posset aliquis usque procedere, quod est spatium quasi unius Agendæ. In illa hora erat D. Hermandus curvatis genibus super formam ante Dei servum, lucernam in manu tenens ardentem, totus effluens ubertim lachrymis, sciens pro certo virum sanctum Dei esse in extasim raptum, et ea jam procul dubio arcana cœlestia contemplari, quæ eis pro peccatorum demeritis cernere non liceret. Quod ut ille sic et nos super hac re tam beata certiores efficeremur, venerabilis Hermannus brachium sancti viri, quamvis tremens et pavidus, pertractando sublevabat, et eum, Domne, Domne, vociferans nominabat. At ille sicut homo non audiens, qui utique humanæ carnis sensus excesserat, nec sic quidem ab hac mirabili visione poterat excitari.

Sane ab omnibus qui tunc temporis erant, sed et ab his quidem, qui nunc usque supersunt, ex paterni amoris magnitudine et reverentia honoris, quasi sibi proprio nomine *Domnus* appellabatur. Stabat autem et Frater Robertus in oratorio ad pedes lectuli, et Frater Willelmus ad caput juxta virum Dei Hermannum.

Cum ergo ab hac gloriosa contemplatione vir beatus ad semetipsum reversus esset, suspirando exclamans ait : « Ah ! Domine, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis ! » Tunc V. P. Hermannus lachrymis suffusus dixit : « Quia, Pater, te vidisse talia non dubitamus, quæ nos ipsi peccatorum pulvere excæcati non possumus videre, rogamus corde supplici, ut nobis hic astantibus filiis tuis de illa internæ dulcedinis visione salutiferum quid eructes, quo possimus et nos in amorem invisibilium rapi, et in amore Dei et charitate uberius inflammari. » « Nonne, ait, vidistis ea quæ ego ipse vidi nunc ? Illam Beatorum multitudinem vidistis, quæ modo hinc exiens discedit ? » « Non, inquiunt, Pater sancte, quia digni non sumus. » « Rorate, inquit, paululum aqua labia mea. » Quibus rigatis, vir Deo plenus ex abundantia cordis os aperiens et dicens : « Non vidistis gloriosam illam candidatorum hominum societatem ? Vere certissime sciatis viros super nive dealbatos ac mirabili claritate fulgentes totam cellulam istam implevisse, in

quorum aspectu et pulchritudine ineffabiliter consolatus sum in Domino et gavisus. Insuper etiam promiserunt mihi, quod cras mane oriente sole reversuri sunt et me in suum sanctum consortium recepturi. »

Ad quem venerabilis Hermannus flens et ejulans dixit : « Quid ergo faciemus, Pater ? tu nos desolatos et Domum istam in maxima paupertate positam derelinquens. Nostri, quæsumus, miserere, ut cum veneris in regnum, quod tibi ob sanctitatis tuæ meritum confidimus præparatum, te pium intercessorem habere mereamur in cœlis, quem magistrum fidelem habuimus in terris. » « Absit hoc a me, Fratres charissimi, ut vos unquam deseram, et vestri immemor existam. Sed si tanti apud misericordem Jesum dignus inveniar, pro filiis meis, quos in Christo genui, libentissime deprecabor. De paupertate autem Domus et inopia, nolite solliciti esse dicentes : *Quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester cœlestis quid vobis necesse sit.* Erit namque Domus in pendulo per 15 annos, sed procul dubio post dies illos erit una de melioribus et præcipuis Domibus Ordinis nostri. Erit, erit et forma et speculum summæ Religionis, ac per hoc multi ab Oriente et Occidente huc venient per successiones temporum sub Ordinis disciplina in hoc loco suas animas salvaturi. »

Tunc Frater Robertus eum interrogans dixit : « Quid ergo nobili illi Dominæ Montisfalconis mandabitis, quæ videlicet vos tenere diligit in Christo ac semper dilexit? » Cui ille : « Si sic secundum consilium meum permanserit, ut cœpit, ut scilicet si in via charitatis et pœnitentiæ perseveraverit, salva erit, et misericordiam accipiet a Deo salutari suo. » Et rursum Frater Robertus : « Quid et charissimo et speciali amico vestro Domino Abbati S. Satyri ? » Respondit : « Abbas, et Supprior S. Satyri veniunt. » Quo audito stupefactus F. Robertus, putans eum ex nimia cerebri exinanitione talia proferre, ait : « Nox est ; et vos dicitis quia ipsi jam veniunt! Scitisne sana mente, Domne, quid dicitis ? » Cui ille hilari vultu et placido respondit : « Valde quippe insipiens es. Scio quidem, scio ; cum et adhuc tibi mente sobria denuncio Priorem de Mena cum eis similiter advenire. Cras enim invenient me, sed nequaquam mecum loquentur. Vis etiam ut adhuc his quiddam majus etiam tibi edisseram ? Dominus Episcopus Antissiodorensis venit, sed omnino me ulterius non videbit. »

Mane autem facto, et Conventu jam Beatæ Virginis Missam celebrante, sciens vir beatus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Dominum juxta promissionem sibi cœlitus factam Fratrem Robertum sic allocutus est : « Quia tempus resolutionis meæ instat, perge nunc velox ad ostium ecclesiæ ibique pulsans indicabis Fratribus jam

me velle dissolvi, et ideo nullus se præparet ad celebrandum, sed statim huc ad me cuncti adveniant jamjamque ab eis sine dubio recessurum. Deinde inferius descendens Procuratori dices quod si ipse adhuc semel me videre voluerit, huc sursum ascendere studeat festinanter; postmodum vero Fratri pistori, ut non in pastam fermentum immisceat, quia amplius quam opus fermentum acciperet; et magistro pastori similiter, ne in campum cum ovibus eat; necnon et cultori vineæ, ne ad vineam pergat. Quibus singulis nunciabis quatenus huc celeriter accedentes videant finem meum mox futurum. Familiæ quoque præcipies, ut pisos, palas et ligones afferentes meum sepulchrum effodiant juxta crucem. »

Quibus omnibus secundum Patris jussa peractis, F. Robertus cum festinatione regrediens, invenit monachos circa Stephanum Dei hominem Horas diurnas exequentes. Accedens itaque ad caput lectuli, posuit brachium super jacentis humerum, dicens : « Domne, scitisne vos quid dicunt ipsi ? » Cui vir sanctus subridendo dixit : « Semper quidem stultus es. Scio bene quid ipsi dicunt, et etiam si fallerent, scirem utique quo loco non recte dicerent; sed quia ex nimia infirmitate debilitatus existo, eis omnino nullum valeo adjutorium exhibere. » Deinde post modicum : « Sitio », inquit. Accepta igitur aqua, ter in os suum tantummodo cum cocleari manu propria injecit. Cum ergo gustasset, dixit : « Satis est, sufficit. » Sed cum inclinato capite illico vultum demitteret, æstimans eum Frater Robertus caput lectuli velle altius erigi, dixit : « Domne, vultis ut elevato paululum pulvinari retro, super illud vos collocem ? » At ille nihil respondit, sed manu tantummodo signum edidit. Quo viso, F. Robertus exclamans, dixit : « Ecce, o viri, iste Dei servus jam emigrat, ecce jam obit. »

Quem statim accipientes, in terram deposuerunt, asperso prius benedicto cinere subtus eum in modum crucis. Cum igitur Domnus Willelmus Novitius brachium ejus sinistrum super pectus illius more morientium applicuisset, ecce vir venerabilis brachium ejus dextrum ipsemet erigens juxta alterum collocavit, ita dicens : « O Domine, Deus omnipotens, Rex æternæ gloriæ, miserere mei. » Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

Quo defuncto, vox confestim in cella audita est, ploratus Fratrum et ululatus multus, qui pro amisso tam boni Pastoris salubri consortio, effluentes ab oculis lachrymas præ dolore et tristitia comprimere non valebant. Aliquanti tamen, quod eum aliter mori quam cæteros viderant, dubitare cœperunt, pro eo quod nullum planctum, nullum gemitum, nulla suspiria, nullosque singultus, sicut morientibus fieri assolet, eum mittere perceperunt, non deformi facie, sed ita sereno vultu et placido jacere ac si dormienti tranquil-

lo similis videretur. Propter quod unus ex astantibus articulos pedum illius aspere attrectabat ; alius vero Frater mamillis manus imponens, tentabat si quomodo motione pulsus viventis hominis signum aliquod percipere potuisset. Attamen non erat vox neque sensus, quippe qui associatus Angelicis choris sic interius gaudebat de æternæ salutis munere, ut non esset jam quod exterius doleret de carnis corruptione.

Itaque delata ad ecclesiam sancti gleba corporis, Missaque in Conventu pro eo nondum finita, ecce vir venerandus Abbas S. Satyri Rogerius, sicut servus Dei nocte tantum facta prædixerat, advenit. Cui cum occurrisset Frater Robertus coquinarius, ait illi dictus Abbas : « Frater, nos audivimus charissimum Fratrem nostrum Stephanum infirmum esse, et ideo venimus eum visitare. Quomodo est illi ? Quidnam ergo factum ? » Qui respondit : « Domine Pater, Deus omnipotens qui vivorum simul dominatur et mortuorum, animam ejus paulo ante nunc sustulit ; corpus autem illius in ecclesia invenietis. »

Supprior autem vir valde religiosus Durandus, secundum consuetudinem suam Psalmos aliquos ruminando ultimus veniebat. Qui cum Fratri Roberto appropinquaret, dixit : « En, Frater, Domnus Abbas advenit invisere Fratrem Stephanum dilectum nostrum ; audivimus enim quod ipse infirmatur. Quænam ergo illi infirmitas, vel quemadmodum ipse nunc agit ? » Cui ille : « Melius, Pater, quam unquam usque ad præsens egerit, nunc facit : quippe ejus anima modicum ante decessit ; corpus vero in ecclesia positum est ; ibique cum ingenti Fratrum mœrore et multa lachrymarum effusione jam pro eo nostri Missam celebrant seniores. » Quo audito vir pius cœpit magna voce lachrymari ; cujus clamore excitatus idem Abbas conversus ad eum increpabat eum, ut taceret, dicens : « Non enim decet hominem religiosum clamosa voce plangere, et cum pium sit flere pro nostra ipsorum desolatione istum sanctum Dei Stephanum, magis tamen pium est illi pro sanctitatis illius æterna remuneratione congaudere. »

Missa itaque celebrata, rogavit idem venerabilis Abbas humiliter et devote, quatenus ei liceret pro defuncto Dei servo Sacrificium omnipotenti Deo offerre, et ipsius defuncti sanctum corpus similiter sepelire. Et quia nondum adhuc illo in tempore Abbates consueverant in nostris altaribus celebrare, communi consilio maluerunt potius disciplinam ab Ordine incurrere, quam devotioni tanti Patris in aliquo contraire. Hac enim occasione, Priore Leobaudo in generali Capitulo culpam suam propter hoc confitente, institutum fuit, ut Abbates secundum dispositionem Prioris aut Vicarii in nostris altaribus de cætero celebrarent.

Ut autem et aliud sancti prophetæ nostri vaticinium, quod de nocte simili-

ter spiritualibus oculis præsens pariter et futurum clare perspexerat, de die humanis adimpletum visibus appareret; sepulto jam sancto corpore, cum jam Conventus in refectorio prandere cœpisset, nondum adhuc pitantia propinata, ecce subito super pontem grandis equorum strepitus auditus est; quo excitatus vir venerabilis Frater Robertus coquinarius, quid hoc esset videre sollicitus, foras exivit. Et ecce vir venerabilis Willelmus Antissiodorensis episcopus obvius affuit, dicens : « Patrem nostrum F. Stephanum videre cupientes huc accedimus, quod profecto eum audivimus ægrotare. » Cui Frater vultu lachrymabili respondit : « En, Pater, in isto ipso mane transivit ad Dominum, jamque corpus ejus sepultum est. » Quod ut audivit vir dolore plenus et turbatus in sermone ejus, ait : « Cur non statim mihi illum fuisse infirmum nunciare curavistis ? » Cui ille : « Nos ipsi etiam, Pater sancte, tam velocem esse illius exitum minime sperabamus. »

Tunc totus infremuit idem Episcopus. Commota sunt quippe viscera ejus super eo ; intantum ut coram omnibus anxie acclamaret, cum juramenti attestatione dicens : « Ego certe episcopalem baculum potius amisisse maluissem, quam cum sancto Dei homine locutus, antequam decederet, non fuissem. Verumtamen, inquit, ubi posuistis eum ? Ad tumulum ejus me confestim deduci te. » Ubi cum adstantibus Clericis suis præsens adfuisset, ex nimia cordis angustia, quamvis dissimulare conaretur, non poterat ulterius se continere ; quia erumpebant lachrymæ, quæ nimirum ubertim ab oculis defluentes, totam vestimenti sui circa pectus superficiem madidam reddiderunt. Istius siquidem venerandi Viri confessor specialis extitit, quamdiu Prioratum gubernavit. Flente itaque Episcopo et ab imo cordis suspirante pariter ac gemente, vix erat de illius domesticis, qui se a lachrymis posset aliquatenus cohibere.

Pontificali igitur absolutione ac benedictione facta, quasi viventem hominem, defunctum corpus sic allocutus est : « Frater Stephane, ea authoritate, qua licet peccatores et indigni sub divina dispensatione perfungimur, vobis locum istum cum habitatoribus suis commendamus; quatenus vestris, de quibus plurimum confidimus, meritis sufragantibus et precibus, et æternis in omnipotente Domino semper proficiant institutis, et temporalibus nunquam destituantur auxiliis. Amen. »

Deinde ad cellam et locum in quo vir sanctus obierat se deduci humiliter postulavit. Ubi cum interesset sequentibus Clericis, ob amorem charissimi sui, et ad memoriam sancti hominis imposterum conservandam, justam et scyphum illius sibi dari devotissime precabatur. Tunc profecto cerneres certatim unumquemque de Clericis devota contentione quodcumque de sancti utensilibus reperire poterant, illum videlicet zonam

arripere sibi, istum coclear attrahere, alium vero sibi cutellum pro sanctuario maximo vindicare. Prior etiam Montis Dei nostri Ordinis, cum pergeret ad Capitulum generale, associato sibi Vallis Dei Priore, et uterque, cum servus Christi inungeretur præsens adesset, ex magna devotione rogavit quam plurimum sibi illius aumuciam reservari.

Id quoque longo post tempore audivimus, quod præfatus vir venerabilis Willelmus tunc Antissiodorensis, postea præ sanctitatis ejus merito Parisiensis episcopus, cilicium sancti viri de quo nunc agimus, usque ad obitum suum solerti cura fecerit custodiri; et cum se mori cerneret, se super idem cilicium devotione mirabili jusserit collocari : magnam profecto pius Antistes fiduciam concipiens, quod is qui Syrophœnissam mulierem a tactu fimbriæ sui vestimenti de profluvio sanguinis mirabiliter quondam sanaverat, per preces et merita sui sancti famuli, cujus super cilicium agonizans discumbebat, a leonibus paratis ad perdendam suam egredientem animam propitius liberaret.

Quis sane nostrum, o charissimi, hunc beatissimi viri finem pretiosum atque miraculosum fuisse non prædicet, cum profecto imprimis ad virtutum studia, sanctæ conversationis ejus extrema et initia nos provocent; cum demum supernæ lucis radium suam cellam penetrantem corporalibus oculis viderit; cum et beatos cœlestis patriæ Cives sibi colloquentes aspexerit; cum ea jam completa ipsi cernimus, quæ ex vicino et quæ longe post futura prophetico afflatus spiritu prædixit; cum sepulchrum sibi, sicut de beato Joanne Evangelista et sancto Benedicto legitur, ante mortem suam aperiri fecerit; cum mortem suam et mortis horam clara voce Fratribus pronunciaverit; cum postremo non quasi moriens, sed quasi in suavem et placidum somnum obdormiens, extra morem morientium ipsam mortem susceperit? Pretiosa est ergo in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, cui benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.

GUILLELMUS DE SAYSHAC

PRIOR GLANDERII

Dictus etiam de Soylatsac; vir æterna memoria dignus, cujus opera, labore ac industria Dominus promovit atque dilatavit Cartusiam Glanderii suis in incunabulis; eamque construxit vivis ex lapidibus, dum ibi suscitavit prolem et plebem perfectam, quæ serviret ipsi in sanctitate et justitia. Præluxit Guillelmus vitæ exemplo circa annum 1226, naturæque debitum persolvit 13 Maii.

FRANCISCUS DE FUENTES

CONVERSUS DE PAULARI

Quinquaginta annos transegit in Ordine, fatis functus plenus meritorum, anno 1585, die 13 Maii; magnæ prorsus religionis vir, et conspectæ pietatis, mansuetudinis ac industriæ in infirmorum cura, quibus omnia exhibebat charitatis obsequia, cum ipse apothecarii ageret munus magna cum sollicitudine ac vigilantia.

FRANCISCUS BOURGEOIS

MONACHUS CARTUSIÆ

Allobrox ex oppido S. Mauritii; Curio sat locuples, non solum bona temporalia dedit Majori Cartusiæ, sed et semetipsum in hujus archimonasterii decoramentum. Vix enim credibile est quanta excelluerit observantia regulari; nunquam antevertit, nunquam distulit statas divini Officii Horas, adeo ut cum aliquando affinis ejus ipsum convenisset, quoties campanæ pulsum audiebat Franciscus, toties consanguineo suo tradebat librum, ut illo vacante lectioni, divinum Officium recitaret ad condictum tempus. Paschalium festorum concioni aderat aliquando; cumque, præcone divini verbi paulo prolixius sermocinante, Sacrista cymbalum pro Vesperis de Beata concusisset, Franciscus ibidem se se convertens ad altare Vesperas persolvit.

Singulas actiones ad Directorii normam componens, non sinebat unum iota vel unum apicem a lege præterire, ita ut quotidie per semihoram post prandium corporali exercitatione uteretur. Cumque interrogaretur quonam modo relaxaret animum, eo quod manibus non posset operari, respondebat: « Per æstatem in hortulo deambulo, ubi cœlos suspicio ad aspectum amœnissimos » ; per hyemem vero in angustissimo cellulæ suæ porticu inambulans, hac sola oblectatione pene momentanea solitus erat spiritualia exercitia intermittere.

Cavebat a lectione recentiorum librorum, contentusque quatuor manuscriptis piarum collectionum voluminibus; hæc sibi ad extremam usque diem suffectura dicebat. Similiter nolebat nova uti supellectile; unde cum Cartusiæ Coadjutor animadvertens Francisci lustralem urceolum fracta ansa funiculo appensum esse, novum eidem dedisset, vir amator paupertatis hunc recusavit. Pluris etiam faciebat vetustas imagines, existimans magis fuisse honoratas.

Quotquot primariæ conditionis viri hanc eremum lustrabant, hunc Dei servum in ejus cellula volebant invisere, nullusque recedebat, qui unum ex antiquis Thebaidis Patribus se vidisse non crederet. Aliquando quidam Cartusianus peritissimus in Theologia mystica pium hunc senem conveniens, cum ab

eodem vitæ illius normam quotidianamque praxim audisset, solitumque in Vigilia Solennitatum duabus vel tribus fumosis imaginibus ornare oratorium, quas peracto festo post Completorium in armario reponebat; subjungenteque Francisco alias hujusmodi simplicitates, vir ille spiritualis recedens tanquam alter Antonius a Paulo primo eremita dixit : « Vidi monachum, et non sum monachus. »

Fumi incommodum amplam ei patientiæ materiam subministravit, nam plerumque cogebatur in aliud se recipere cubiculum ; et quamvis provecta esset admodum ætate, nunquam tamen cellulam petiit commodiorem. Tabula ipsius erat stratum. Silentii solitudinisque custos eximius per triginta circiter annorum curricula nunquam egressus est extra monasterii septa cum cæteris Religiosis spatiandi causa; neminem etiam adiit, nunquam e cellula pedem efferens nisi ut frequentaret ecclesiam, ad quam pergens sæpe sæpius in via defecit præ senectute. Cumque R. Pater Joannes Pegon virum propositi tenacem cerneret nolle sibi et ætati suæ indulgere, chorum ipsi interdixit ; verum infracti animi senex sic a sede sua eliminatus se se reptabat ad Conversorum atrium, ubi perseverabat in oratione; donec ob periculum R. Patre, ne celebraret, prohibente, in Cureriam missus, post trimestrem ultimo correptus morbo, Sacramentis devotissime susceptis, ad extremum usque vitæ spiritum semper sui compos, animam efflavit anno 1663, in ipsa Pentecostes Solennitate, anno suæ professionis quinquagesimo.

Quamdiu hac ultima infirmitate decubuit, verborum fuit parcissimus, adeo ut, nihil præter *etiam* vel *non* responderet. Cum animam ageret, Curreriæ Rector ipsi dixit : « D. Francisce, rogamus te, ut Deum ores pro nobis in Paradiso, ad quem mox emigrabis. » Cui ægrotus ait : « Id lubens faciam. » Nunquam linteaminibus in postremo morbo uti voluit, acerrimus sui corporis castigator, quod catena ferrea clavibus inserta maceraverat, quorum aculei carnem transfoderant usque ad sanguinis effusionem.

Hæc nobis scripsit V. P. D. Hugo Tranchepain Cartusiæ Vicarius, cujus epistolam transtulimus de Gallico in Latinum.

XIV DIE MAII

STEPHANUS DIENSIS

MONACHUS CARTUSIÆ

Ex primis S. Brunonis sociis, Canonicus S. Rufi; qui in vita sua sub typo stellarum a S. Hugone episcopo notatus, post mortem inter cœli splendidissima luminaria meruit computari.

Ejus meminit Ganneronius in suo Martyrologio ad hanc diem.

JOANNES FORT

MONACHUS SCALÆ DEI

Hujus Vitam damus ex quodam Scalæ Dei Manuscripto, quod sic incipit:

Habuit hic venerabilis Domnus Joannes Fort patres honestos conspicuosque virtute, ex quibus procreatus in lucem prodivit, die 5 Septembris, a Nativitate Domini 1404. Ejus patria fuit locus de Alborcazer qui est Montesis Magistratus prope Murellam in regno Valentino Tarraconensis Hispaniæ situs. Cumque jam Joannes aliquot attigisset annos literis imbuendus traditus fuit, et majorem nactus ætatem Illerdæ in Cataloniæ Principatu cursus Theologicos pertransivit.

Et cum Dominus a fæcibus, inquinamentis et oblectamentis sæculi hujus miserrimi illum abstrahere vellet, gravissimo corripuit morbo. Cumque a medicis desperatus esset, et vitam ejus tantum ad quadraginta dierum curriculum protenderent, ipse Joannes ex alto et divinitus irradiatus, et veluti solis jubare percussus, tædere cœpit de vita sua, sicque dixit: « Si finis meus jamjam imminet, id parum quod tantum superest Deo dicatum volo. » Et hæc dicens ad quemdam charum conversus amicum et collegam, « Vis, inquit, Cartusianorum Scalæ Dei nos monasterium accedere, et ab illis religiosissimis Fratribus petamus habitum monasticum, ut sic servientes Deo fructuose transigamus reliquum vitæ nostræ terminum? » Cumque illi consentiret, et pari gressu Cartusiam illam intrassent, ad pedes Patris Prioris provoluti sunt et humillime illi suum pandunt desiderium.

Cumque ille cæterique Patres ambos intuiti essent, et Joannem tenerum et delicatum considerassent, et non ad ciliciorum asperitatem, non ad perpetuam a carnibus abstinentiam, non ad

prolixarum vigiliarum usum, non ad perpetuam clausuram, et alia portanda onera idoneum judicassent, imo arbitrantes oneri tanto succumbendum, repulerunt et abjecerunt, socio tantum admisso. Tunc Joannes quasi columba gemens cœlos cœpit singultu cordis sui penetrare, et Dominum Deum omnipotentem, qui ad Cartusianam eum vocabat Religionem, interiori clamore interpellare, ut sibi viam aperiret clausam. Cumque in his meditaretur et nimis afflictus esset, Dominus qui eum elegerat, misertus ejus, cuidam sanctissimo illius Domus apparens monacho, illi dixit : « Nolite servum meum reprobare, quoniam vas electionis mihi est. » Cumque hæc omnibus innotuissent, cito Joannem vocant, et ad suum jungunt consortium, ejusque in miram convertunt dulcedinem amaritudinem animi; et quem ante despectum dejecerant, modo spectabilem et ut miraculosum amplectuntur.

Ipsi vero jam ad hospitium Domus se se recipienti Sathan astitit indumento coopertus humano, illique adversatus est dicendo : « Quid, Joannes, in hoc cœnobio quæris? quid moliris? quæ cor tuum cogitationes circumdant ? » Cumque respondisset se habitum monasticum Cartusianum in Domo illa velle recipere, addidit inimicus : « Hoc non operi mandare, imo nec te cogitare oportet, quia variis a dæmone phantasmatibus turbatus cito corrues, innumeris agitatus tentationum procellis cito deficies, et vitam duces infelicem et miseram. » Tunc Joannes Fort divinitus afflatus constanti respondit animo : « Dominus mihi adjutor et dæmonium non formidabo. » Ille spiritus superbus cum hoc audisset, ejus fortitudinem et humilitatem sustinere non valens, incredibili succensus furore, gravi et valido impulsu, stante Joanne in scala hospitii, a summo usque deorsum eum per gradus impulit, et desperatus evanuit.

Tunc surrexit Joannes et hac tentatione non pavefactus, sed in sua confirmatus vocatione, ut leo confidens unam claustri cellam quasi cœlum ingressus est. Cumque ibi aliquot mansisset diebus, tandem die 5 Maii, anni 1425, suo potitus est desiderio, et veterem sæcularemque cum actibus suis deponens habitum, novum et monasticum induit; induitque pariter incredibilem miramque fortitudinem, et qui antea in sæculi delitiis manens de salute a medicis desperatus erat, modo inter asperitatis, mortificationis et rigoris actus perfectam est assecutus sanitatem.

Clausus ergo Joannes in cellæ angulo, cumque illic jam totus Deo vacaret, et mundum despiciens aridum cum flore, in semetipso vivere cœpisset, valde a dæmone probatus et tentatus est; quo cum ipse servus Dei cœpit inire certamen, et illi fortiter adversanti tela tendere nequissima. At ille V. D. Joanni multas assiduasque tentationes minasque suggerebat, et illum quotidie, jam

delitiis et blandimentis, jam asperitatibus et timoribus conabatur perdere, tamque fortiter oppugnabat spiritum illius, ut vix quiescere, vix dormire posset. Polluebat carnem ejus nocte obscœnis somniis et phantasmatibus, die vero tentationibus cruciabat et anxietatibus impudicissimis. Et cum quadam die nimis in his gravaretur, et vix dæmoni resistere posset, et cum hoc forti luctamine ad Vesperas usque perseverasset, recepit se fidentissime ad clementissimam Matremque suam dulcissimam, Christiparam Mariam, tanquam ad sinum tutissimum, ut ibi servaret se, eo quod jam in tantum hostem vires deficerent, et quasi anhelus vix posset respirare. Orabat Virginem Beatissimam, orabat Christum Dominum, ut sibi de sancto auxilium mitterent et de Syon tuerentur eum.

Cumque ille sic clamoribus pulsando perseverasset, ipsa Virgo Maria cum amantissimo Filio suo illi suas ostenderunt facies, illumque mirum in modum consolati sunt; ita ut præ nimia dulcedine, qua perfundebatur, vix in se subsistere posset. Unde factum est, ut tantæ turbo tempestatis cito deficeret, et illico magna experta tranquillitate, jam se cœlicum existimaret civem.

Alia etiam gravissima inter alias servus Dei agitatus est tentatione turpi. Nam cum in Vigilia Assumptionis B. Mariæ ad tantæ Solennitatis festa celebrandum se præpararet, et pro devotionis gratia laboraret, tantam passus est carnis suæ molestiam tantasque obscœnas suggestiones, ut illa nocte cum de more in suo quiesceret lectulo, invitus nocturnam turpitudinem per somnia expertus sit. Cumque ille de his tremefactus adhuc in tanto die solenni litare Sacra ausus non fuisset, et magnam sentiret spiritus cordisque ariditatem, cum jam majori adesset Missæ totus timidus et humilis, en Beatissima Virgo Maria consolari suum cœpit servum cœlestibus visionibus; fugansque omnes præteritæ tempestatis nubes, peroptata tranquillitate potitus est, revelataque illi sunt mira Assumptionis ejusdem B. Virginis mysteria et arcana; viditque illam et Dominam mundi ut Angelorum Reginam coronari et perattolli, tantamque pacem tantumque ex his percepit gaudium, ut certe secundum multitudinem dolorum ejus consolationes lætificaverint animam ejus.

Multas etiam V. P. D. Joannes Fort passus est gravissimas et molestissimas infirmitates, probatus a Domino ut purissimum aurum; ipse tamen patientissime tulit omnia, et multis auctus coronis multa meritorum auxit incrementa. Tamque charus Christo Domino et ejus extitit Matri, ut sæpe visitaretur ab ipsis decumbens in lecto. Quadam die præsertim, nescientibus Domus suæ monachis, medicamentum accepit purgans; cumque in lecto meditationibus occuparetur sanctis, affuit gloriosissima Virgo Maria tota pulchra et speciosa, et quasi mater consolans fi-

lium suum, illique ait : « Quid agis, o fili ? » Ille autem dixit : « Domina mea et Mater mea, cogito de te et de Filio tuo. » Illa rursum : « Purgasti te ? » Et ille : « Etiam, Domina mea. » Hæc iterum : « Vis venire in locum ubi medicinali non indigebis potione ? » Ad hæc verba Joannes lachrymatus est, et præ nimia non valuit respondere dulcedine.

Alia etiam die, cum ipse V. P. Joannes propter corporis infirmitatem jaceret in lecto, aliis monachis in refectorio vescentibus, astitit Christus Jesus in ejus cella cum Matre sua sanctissima, et piissimus Dominus compatiens illi qui solus jejunus et infirmus erat, illum refecit, mentemque ejus illuminavit, se ipsum et Matrem ostendens; et cum in utroque frigidus existeret homine, ita per visum Christi refocillatus est, ac si cibum corporalem sumpsisset, et multo plus quantum ad spiritum.

Alia etiam die, in Vigilia scilicet sacratissimæ Nativitatis Domini Jesu Salvatoris, cum adhuc staret in lectulo sensit piissimum Jesum adesse cum Beatissima Virgine Maria, statimque spiritus illius ita fuit recreatus, ut nimis particeps et corpus fieret exultationis. Ex hac visione subito interiora corporis, maxime pars stomachi, quæ frigida et infirma erat ex longa infirmitate, ex spirituali assistentia Christi et Virginis, et ex colligatione spiritus, qui intus cremabat et ardebat dulcissimi Jesu et ejus Sanctissimæ Matris amore, calorem subitum et insolitum sentire cœperunt. Surgens ergo V. P. velociter, intransque oratorium audacter et confidenter cœpit absque ulla hæsitatione Officium persolvere divinum, per magnas stans moras super pedes fortiter et rigide, ita ut ipse miraretur de tam sui corporis nova fortitudine, et ipse dans Christo Domino laudem et gloriam. Sequenti ecclesiam intravit die, cantando alacriter cum aliis monachis in Missa sanctissimæ Nativitatis.

De hoc alia omissa facio, quæ in ipsius Patris reperiuntur revelationibus.

Non solum venerabilis iste Pater a dæmone tentationibus, a Deo infirmitatibus probatus est, imo a se ipso magnis mortificationum generibus, asperitatibus, rigoribus, rigidisque disciplinis afflictus et dissipatus est. Motus animi interiores, ex parte inferioris insurgentes hominis ita compressit, ut deinceps vix unquam dominarentur ; nam jam ciliciis, jam jejuniis, jamque aliis imbonitatibus castigabat corpus, ut subjectum sibi semper maneret ; quibus adjutus spiritus ejus semper cœlica eructabat, et veluti erasus a carnis fæcibus, potius Angelus quam homo videbatur. Magna etiam ardebat apud proximos charitate, et omnia quæ poterat illis impendebat beneficia. Pro peccatoribus flebat amarissime, et enixe pro eis Deum exorabat, ut a suis conversi peccatis soli ipsi manciparentur. Pro inimicis et sibi inficientibus magna et multa a Domino Jesu ejusque dulcis-

sima Matre petebat, et impetrabat bona. Ecclesiæ Catholicæ semper fidelissimus fuit, et ut ipsam conservaret et augeret, Deum rogabat omnipotentem.

Erat semper orationi intentus, et tam dulcissime contemplabatur res divinas, ut extaticus et extra se positus frequentissime maneret, flebatque tam suavissime ob miram qua a Deo afficiebatur dulcedinem, ut potius mallet flere quam ridere. Ardebat exinde tam fortiter, ut totus veluti divinis cremaretur incendiis, et caro ejus dissipari timebat a tanto igne ardoreque cœlesti, et tam strictissime a Domino attrahebatur, ut a mundanis, terrenis et exterioribus nullo modo turbari a divina posset contemplatione imo aliquando in his occupatus ejus spiritus in cœlo versabatur, quod patet in his quæ illi in die S. Cæciliæ acciderunt.

Namque attractus spiritu videbatur in mente et quasi corpore esse in cœlo ante Virginem Mariam Matrem Dei Sanctissimam, quæ quemdam in manu annulum tenebat aureum; quem Joannes videns, ipsum instantia quadam, ebrius circa illam amore filiali, ipsa renuente petivit. At illa respondit : « Ne tristeris, o fili, quia modo illum non tibi do; esto firmus in fide et amore Filii mei Jesu, et confide quia hunc annulum, imo et Filium meum et me habebis et possidebis sine fine. » Hæc audiens V. P. Joannes Fort flevit largissime præ desiderio gloriæ æternæ ipsiusque Jesu et Matris ejus Sanctissimæ. Cumque in his occupatus esset, quidam ad illum intravit, et vix potuit se coram illo a fletu continere ; et ipso præsente et secum colloquente, ex nimia attractione spiritus, etiam, si dici potest, corpore residebat in Cœlo, quamvis non esset ibi realiter (etenim corporaliter erat in terra), sed ibi spiritu et mente; elevationemque mentis, qua intuebatur et percipiebat faciem et locutionem Sanctissimæ Virginis, nullo modo impediebat introitus atque secum loquentis præsentia, licet et visum, auditum sensumque accommodaret carnis.

In his tam magnis semper V. P. D. Joannes Fort humilis et subjectus erat, et quæ a Deo sibi donabantur et revelabantur, in ipsum refundebat. Unde factum est, ut ob tantæ humilitatis thesaurum a Domino Jesu ejusque pientissima Matre fere omnibus visitaretur diebus. Præsertim Beatissima Virgo Maria Joannem nostrum amabat tanquam tenerum amantissimumque filium, et illi sæpe magnam sui amoris benevolentiam ostendebat; maxime in quadam Paschatis Vigilia, cum vellet ipse requiescere, antequam obdormiret, illam sensit ad caput suum se visitantem, aderatque familiariter ac si naturalis ejus mater esset, ostenditque illi se in ætate perfecta admirabilis et tota dulcissima.

Aliquando etiam a Matutinis veniens defatigatus, Primam de ipsa Beatissima Virgine Maria deambulando persolvebat; cujus cum jam perficeret

pensum orationis suæ, vidit sociam ipsam Angelorum Dominam, et illico flexis poplitibus ejus deosculando manum, *Salve Sancta Parens* incœpit, et tantam percepit dulcedinem, ut spiritus ejus pene deficeret, non sustinere valens gloriam vultus ejus. Aliquando etiam vidit ipsam Reginam mundi cum Filio suo ætate annorum duodecim per monachorum chorum deambulantem, eosque (ut sæpius faciebat) benedicentem; et dixit V. nostro Patri : « Serve Christi, ne eleveris eo quod te tantum visitamus, nam alii te meliores purioresque, quibus talis non conceditur gratia, sunt in hac ecclesia. » Tunc D. Joannes respondit : « Ita, Domina mea, ita profecto est, sum enim vermis et pulvis : coram te, o Genitrix Domini mei, dignus non sum apparere. »

Quadam etiam die, cum esset in Dei visionibus, secumque in cella moraretur Virgo Beatissima Maria loquens cum eo de regno Dei, quidam ad ostium affuit monachus rogans illum ut ex charitate ad Spatiamentum secum vellet ire. Hæc audiens V. Pater lumina vertit sua ad suam astantem piissimam Matrem, veluti ab ipsa discedendi postulans facultatem. Et illa illico respondens : « Vade, inquit, o fili, quia quod ex charitate fit, propter Natum meum fit, qui Charitas æterna est. » Statimque relicta Virgine, cum præfato ad deambulationem perrexit monacho; et cum jam vespere rediret, adhuc in cella ipsam Matrem et Dominam invenit. Mira sunt hæc et suavissima; sed quasi non essent, audivit aliquando Christum Jesum dicentem sibi : « Si scires quid tibi reservatum teneat Mater mea dulcissima, adhuc non mirareris de his quæ tibi confert. »

Non solum hic V. Pater a Christo Domino ejusque Matre Sanctissima frequentissime, imo et ab aliis cœlicis Civibus, maxime a B. Joanne Baptista et beato Joanne Evangelista, a beata Maria Magdalena, aliisque consimilibus visitabatur, ab illisque mira, arcana absconditaque sunt revelata mysteria; et tanto illum prosequebantur amore, ac si jam in Paradiso cœlesti esset exutus tunica mortali, omnesque illi promiserunt, ut quando carcerem relicturus esset corporis, omnes ad caput illius adfuturos; quibus promissionibus mirum in modum servus Dei decoratus, jam Cœlum se habitantem considerabat, quamvis in terris degentem et commorantem. Et certe vix de mortali corpore nomen tantum habebat, passim ab omnibus homo Angelicus potiusque Seraphicus vocatus.

Quadam die cum ab ecclesia ad cellam pergeret, tres obvios vidit Patres Dominicanos, et cum eos magni semper habuisset, et magno in illos amore afficeretur ob eorum religiosissimam vitam, statim ad coquinarium cucurrit, deprecabaturque illum ut bonum præstaret famulatum et hospitium; et illico cum properaret cellam ingredi, et silentium violare timuisset cum illis Patri-

bus, per aliam viam illos conabatur evadere, sed frustra; nam statim eos ante se vidit, tenentesque illum percontabantur, quo pergeret (quia ipse demisso capite eos salutans jam transibat). Respondit V. Pater se cellam petere; statimque dixerunt illi: « Pro bono nobis zelato hospitio et charitate grates rependimus V. Paternitati, et nos sibi propitios habebit ut ad consortia jungatur cito nostra; sciat nos alium esse divum Thomam de Aquinate, alium S. Petrum Martyrem, aliumque Sanctum Vincentium Ferrerium. » Et hoc dicto ab oculis evanuerunt illius.

Hæc et alia mirabilia tantum famam viri Dei attollunt, ut notus fieret Regibus, Principibus, Ducibus, aliisque tum sæcularibus, tum ecclesiasticis hominibus. Præsertim Maria Domina, Ildefonsi hujus nominis Quinti Aragonum Regis conthoralis, per multas virum Dei deprecabatur epistolas, et cum Cæsaraugustæ ex gravi infirmitate decumberet lecto, accersiri jussit servum Dei. Nec mirum quod tanti ab omnibus haberetur, cum a præceptore suo in tantum duceretur, ut cum miram ejus cerneret sanctitatem (adhuc superstitis), quando orabat in Litaniis adderet: Sancte Joannes Fort, ora pro nobis.

Aliqua modo de multis quæ per illum Deus patrabat mirabilibus, hic subjicere justum duco, quia multi doloribus et corporis infirmitatibus deterriti, ad servum Dei accurrentes illiusque implorantes patrocinia, illico curabantur; et multi spirituali laborantes infirmitate, et ut pro ipsis Christum oraret deprecantes, a justo Judice vir Dei veniam consequebatur. Habebat ergo hic venerabilis Pater discipulum quemdam omni præditum virtute, Domnum Joannem Marquez vocatum. Hic cum gravissime infirmatus esset, suum rogavit Magistrum ut pro ipso enixe Deum oraret, ut a tanto in quo versabatur liberaretur periculo; et ille statim Deum deprecabatur ut illi sanitatem largiri dignaretur, si placitum ita esset ejus voluntati. Et Dominus apparens illi ait: « Quia pro eo rogasti me, illico curabo eum; sed scito voluntatis meæ esse, ut semper infirmitate laboret. » Et ita factum est, quia illo recedente morbo, statim alio perpetuo (sed mitiori) percussus est, scilicet parotide.

Quidam etiam vir nobilis Hispanus Lusitanus, fama audita hujus Patris, venit Cartusiam Scalæ Dei, seque ejus commendavit precibus et orationibus, et illius miratus sanctitatem recessit. Post aliquot annos a Rege suo captus carceri mancipatus est in forti quadam turri. Cumque se catenis colligatum et in fœtidissimo vidisset se clausum ergastulo, recordatus V. P. Joannis Fort illum lachrymose deprecabatur, ut sibi præstaret auxilium de sancto, et a tam ærumnoso liberaret labore. Statim subito apparuit illi Cartusianus quidam huic V. Patri simillimus, et illico solvens catenas illius, eum liberavit a carcere. Miratus est nobilis hic Lusitanus

ut prodigium, et statim accepto itinere venit in Cartusiam Scalæ Dei, prostratusque humi pro tanto miraculo gratias reddebat V. P. Joanni. At ille : « Non mihi sed Deo misericordi illas habeto; nam Angelus te liberavit. » « Non, Pater, respondit ille, non, Pater, sed te ipsum vidi, et liberasti me. »

Alius quidam etiam vir ingenuus tanto ardebat libidinoso amore, et tam fortiter premebatur carnis suæ petulantia, ut vix omni hora cohibere se posset a tam indomito et effrænato appetitu : non amore filiorum conjugali utens debito, sed potius ob freneticam et præcipitem luxuriam. Hic venit lachrymosus ad virum Dei D. Joannem, ut sibi medicamenta ad tantum præstaret morbum. Tunc V. Pater consolatus est eum, hortabaturque bono animo esse, et ut in Deo suam poneret spem, et sic dimisit illum. Cumque ejus egrederetur cella, forte fragmentum vidit cilicinum, quo clam suscepto, secum ut antidotum contra carnis suæ libidinem tulit et via asportare cœpit, quando ille effrænatus mitigatus est appetitus, et sic curatus est.

V. hic Pater erga proximos charitate et pietate afficiebatur, et sic omnes ad illum ut mitissimum patrem currebant. Et si aliquis Domus suæ vassallus delinquebat, illum ut patronum interpellabat; et vir Dei, quantum sinebat charitas et timor Dei, rogabat pro illo Prælatum et Priorem suum, qui tanti Patris victus precibus, nihil illi audebat negare. Die quadam cum pro solita sua pietate ad ipsum accederet, et ante devotissimum quemdam Crucifixum, qui est in porticu ecclesiæ se inclinasset, audivit vocem ab ipso procedentem et dicentem sibi : « Fort, Fort, non placet mihi hæc tua charitas. » Ille autem in se reversus cognovit sæpius Deum judicium et justitiam diligere, et sic ad cellam reversus est.

Florebat hoc tempore, magna sanctitatis opinione, Illerdæ in principatu Cataloniæ, V. P. Frater Magister Queralt Dominicanus, quondam Prior monasterii illius civitatis. Cum hoc sancto viro P. Joannes Fort suum communicabat spiritum; visiones revelationesque quas a Deo habebat pandebat ipsi, et ejus consilio et judicio quotidie proficiebat de virtute in virtutem. Ob hoc ergo noster Joannes semper magni duxit hunc Patrem, et ut in divino amore in dies concresceret, et ut ab omni liberaretur periculo, Deum deprecabatur. Et cum in quodam periculo ille quadam die versaretur, ab ipso liberatus est ob tanti viri merita. Iter faciebat dictus Pater Queralt sedens super asinum, et ipso jamjam in quodam versante magno periculo, eo quod in rivulum laberetur, revelatum est P. D. Joanni Fort. Aderat tunc in choro monachorum Domus suæ cum suis comprofessis, et cœpit clamare : « O Jesu, o Jesu, o Jesu! » Mirati omnes sciscitabantur ab eo quid haberet, quidve sibi accideret. Sed ille tacuit, et quod viderat noluit indicare.

Quadam ergo die venit dictus Pater Queralt, ut suum charissimum Joannem visitaret; et cum de his colloqueretur, noster Joannes dixit : « Scire debetis, mi Pater, quod tali die et hora diabolus machinabatur perdere vestram Paternitatem, et asino immittebat laqueos, ut præcipitaretur; sed Beatissima Virgo Maria vestros sequendo gressus liberavit vos a tot quas parabat Sathan insidiis, et sic non potuit suum desiderium et fraudem implere. » Hæc et alia permulta narrant de hoc V. P. D. Joanne Fort.

In his aliisque occupatus sanctis operibus, semper pro cœlesti patria et æterna anhelabat gloria, quotidie ruminans quod sibi Beatissima Virgo Maria promiserat, scilicet ipsam obitui adfuturam suo; in mentemque veniebant sibi aliæ sibi factæ revelationes; quibus promissionibus certo tenebat se æternam possessurum gloriam et perpetuam beatitudinem. Et totus exinde succensus amore divino cœlos rumpebat, clamabatque fortiter dicendo : « O Domine mi piissime, ut quid in corpore maneo? dissolvi et esse tecum cupio; disrumpe, o bone Jesu, disrumpe hunc miserum carcerem et ab hoc egrediatur ergastulo. Mihi mori lucrum et beatitudo æterna; sed fiat voluntas tua! »

Cumque in his sæpissime versaretur, auresque Dei quotidie interpellaret, gravi et ultimo correptus est morbo. Angustias illius tulit patientissime, mirabanturque omnes tantam unius mortalis viri tolerantiam in doloribus, tanta illum refulgentem sanctitate, tot tantisque coruscantem virtutibus; et ipse V. Pater quanto propinquior erat æternæ felicitati, tanto pro illa magis suspirabat. Cumque jam morti propinquaret, sanctis Ecclesiæ refectus est Sacramentis; quæ cum devotissime et humillime recepisset, totus extaticus manens, occupatusque contemplatione divina, visitatus est a Beatissima Virgine Maria, a beatis Joanne Baptista et Joanne Evangelista et S. Maria Magdalena; et ipsis astantibus, purissimam suam exhalavit animam, et in manibus Angelorum cœlos transcendit omnes, et ibi cœlestis statuitur civis, die 14 Maii, anni a Nativitate Domini 1464, postquam vixisset in Ordine 39 annis et 9 diebus; ætatis vero habebat 59 annos, 8 menses et 9 dies.

Hactenus Manuscriptum Scalæ Dei, ubi refertur quid acciderit in Joannis sepultura, quæ lector videbit in Elogio Joannis Bertrand quod dedimus ad diem 7 Februarii. Fuse etiam extat Joannis Fort Vita in Libro Fundationum Cartusiarum Hispaniæ. Habemus præ manibus Librum Revelationum hujus religiosissimi Patris, quem ob nimiam prolixitatem hic non inserimus. Fit præterea mentio perhonorifica Joannis in Annalibus Scalæ Dei.

JOANNES MOSCHUS

PRIOR BUXIÆ

Hujus eremi alumnus; ante Ordinis ingressum monachus Ordinis Cœlestinorum; qui in Priorem Buxiæ electus non diu præfuit, paulo post consecutus a Capitulo generali suam absolutionem; tandem fatis cessit anno 1516, die 14 Maii, multum laudatus ob pietatem eximiam, et christianam simplicitatem.

Ex Chronico Cartusiæ Buxiæ.

JOANNES BAERT

PRIOR GANDAVENSIS

Dictus Barba; inter hujus cœnobii monachos adscriptus, anno 1552, die 18 Augusti, laudabiliter adeo conversatus est, ut ne vel semel quidem silentium violasse dicitur. Quapropter cum in magna esset apud Visitatores existimatione, anno 1556 ab eisdem Capellæ Rector institutus, post menses novem, Prior Gandavensis ordinatur. Vir doctrina simul et singulari pietate præditus, quasi alter Ahod ambidexter, utrumque suæ Domus statum multum promovit; dumque sic hoc monasterium, rebus fere omnibus ab Hæreticis anno 1566 spoliatum, novis tum spiritualibus tum temporalibus ditaret divitiis, ecce priore atrocior ingruit tempestas, quæ totum ejus laborem uno fere dejicit momento.

Anno siquidem 1578, hæretici Saxones sævientes in omnes ferme Belgii provincias irruunt in hanc Cartusiam, quam et funditus evertunt; ipse Prior Arnhemium captivus abducitur, ubi dum patitur exilium, Capitulum generale tum ob ejus instantiam, tum ad subveniendum eversæ Domui, eum absolvit, anno videlicet præfato 1578, relicta Visitatoribus potestate alterum sufficiendi in ejus locum. Verum Joannes e captivitate liberatus perseveravit in officio, cœpitque colligere reditus ab Hæreticis non occupatos. Strenue igitur laborans res nostras ita promovit, ut intra Gandavensis civitatis mœnia Cartusiam reædificaverit, multas ob id perpessus a malevolis nonnullis molestias. Anno 1597, fractus senio et laboribus, et propter articularem morbum exauctoratus, iterum anno 1601, cogitur humeros imposito sibi gravi oneri Præfecturæ hujus monasterii subjicere; quam cum per triennium fere non minus utiliter quam religiose sustinuisset, cursum vitæ feliciter absolvit, anno 1604, die 14 Maii. Vixerat in Ordine 52 annos. In Libro Anniversariorum dicitur Ordinis observantissimus et amantissimus.

XV DIE MAII

GAUFREDUS

PROTOPRIOR MONTIS DEI

Professus Majoris Cartusiæ; primum Excubiarum Prior, deinde a Guigone in Protopriorem Montis Dei, anno 1136, constitutus, post biennium circiter regiminis, ab Hugone VI Cartusiæ Majoris Cœnobiarcha revocatus rediit ad Excubiarum moderamen; cumque multa eruditione clarus et sanctitate majori præclarior multo tempore bonum certamen certavisset, cursum feliciter consummans, repositam sibi percepit coronam. Ejus obitus signatur in Necrologio Montis Dei ad diem 15 Maii.

Adfuit Gaufredus primo Capitulo generali sub S. Anthelmo circa annum 1142 celebrato. Constat præterea ex Antiquis Statutis, quod adhuc præerat eidem Domui Excubiarum anno 1153 et anno 1158 ex Literis Adriani Papæ ad eum scriptis. Petrus quoque Cluniacensis Abbas in epistola ad Basilium Priorem Cartusiæ, cui præesse incepit anno 1151, de Gaufredo tanquam decrepito sic scribit : « Decreveram tecum renovare antiquas illas et sanctas felicis memoriæ D. Guigonis prædecessoris tui mecum sæpe habitas collationes.... F. Petrum de Vapingo olim in Christi militia ut vidi tyronem, nunc veteranum, Fratremque Gaufredum, qui tanto tempore bonum certamen certavit, jamque pene cursum consummavit, ex parte mea, oro ut affectuose salutes, meque nostrosque ipsorum sanctæ vitæ ac precibus intente commendes. Nescio enim si quis alter primi illius mei temporis miles adhuc superstes sit. »

Etsi ex his Petri Cluniacensis verbis posset quis non absurde conjicere Gaufredum tunc degisse in Majori Cartusia, probabilius tamen est adhuc præfuisse Domui Excubiarum, nisi dicamus eum ab ea iterum fuisse absolutum ac tertio præfectum. Aut certe Cluniacensis Abbas ignorabat utrum adhuc administraret hoc monasterium, vel potius Basilium rogavit, ut eum ex parte illius salutaret, quando e Domo Excubiarum accederet ad Cartusiam.

Porro ex præfata epistola constat in qua æstimatione sanctus Abbas nostrum habuerit Gaufredum. Utrum vero in eremo Excubiarum usque ad obitum permanserit, subobscurum est ; certum est solummodo semper S. Anthelmo ante et post Generalatum adhæsisse. Ii enim ambo cum R. Patre Basilio celebriores in Ordine habebantur ; et cum

Alexander III Papa exagitaretur ab Octaviani Antipapæ sectariis, uterque, Anthelmus videlicet et Gaufredus, auctores fuerunt circa annum 1161 Cartusianis ut starent ab Alexandri partibus, ut dicemus postea in Vita S. Anthelmi, ubi Gaufredus nominatur, « sapiens et egregia facundia vir, atque in divinis Scripturis eruditissimus. »

Gaufredi etiam sanctitatem non parum commendat familiaritas quam contraxit cum S. Bernardo Clarevallensi Abbate, qui ejus prudenti administratione ac primorum Montis Dei incolarum fervore illectus, ad Montem Dei sæpiuscule divertebat.

JOANNES BOUCHEREAU

VICARIUS GLANDERII

Professus hujus Cartusiæ; sua pietate ac regularis observantiæ studio insignis effulsit; fatis fungitur, die 15 Maii anni 1605.

BERNARDUS GORT

PRIOR EBORENSIS

Barcinonensis; patrem habuit Michaelem Gort Philippi II regis Hispaniarum a secretioribus consiliis. Tanti fuit ingenii ut brevi miros in literarum studiis fecerit progressus, maxime vero in Jure civili; cui cum navaret operam ad præstantiora a Domino vocatus est. Ardebat quippe tum in ipsius mente divinus quidam e cœlo igniculus, quo ad vilia hæc et infima despicienda, cœlestiaque sectanda indesinenter ferebatur. Per id temporis frequentabat Cartusianos Scalæ Dei, cujus monasterii pater ejus benefactor extiterat. Habebat insuper ibidem avunculum Domnum Hugonem Moulaner, cujus religiosa conversatione illectus, anno 1600 in eadem Cartusia se se divino famulatui addixit. Peracto magno cum spiritus fervore tyrocinio, vota professionis, die Dominicæ Ascensionis, nuncupavit. Vix erat adscriptus inter monachos, cum ei demandata fuit archivorum cura, deinde sanctuarii.

Anno 1609, D. Joannes Valero Scalæ Dei professus in Lusitaniam veniens Ulyssiponensis Cartusiæ Rectorem acturus, sibi socium itineris adjunxit Bernardum, cujus morum probitas conciliabat ei omnium existimationem. Admotus officio Procuratoris, summa cum laude illo perfunctus per 12 annos, ad regimen dictæ Domus Ulyssiponensis ac deinde Eborensis assumitur.

Cum aliquando Priores de Paulari et Caçalla venissent in Lusitaniam utramque Domum visitaturi, regularem disciplinam in Ulyssiponensi Cartusia, ubi tunc præerat Bernardus, vigere recteque omnia disposita esse perspicientes, nihilque animadvertentes in ea dignum reprehensione, 24 horarum spatio Visi-

tationis opus absolverunt. Per id temporis quinque tantummodo monachi cum duobus laicis hanc eremum incolebant; quos quidem omnes ita coadunabat charitas, quæ est vinculum perfectionis, ut Visitatores in suis Chartis effunderentur in laudes omnium, maxime vero Prioris et virtutum illius panegyrim; nec immerito sane. Verum Pastor optimus honoris impatiens omnia referebat ad Dei gloriam, qui cooperante sua gratia inhabitare facit unanimes in uno Ordine, ubi mentis serenitas, animi tranquillitas, et nexus amoris et charitatis permanent; sed quo magis vir sanctus se deprimebat, eo ampliori laude eum extollebant Visitatores freti luculento R. Patris Generalis testimonio; qui Diffinitoribus Capituli generalis perhonorificam de Bernardo mentionem faciens, asseruerat opinionem de eo conceptam inniti super innocentia morum ipsius et probitate, quibus illum dicebat esse majorem omni laude.

Interrogatus aliquando a quodam suo amico an expediret oblatas Ordinis dignitates declinare vel capessere, respondit esse tutius eas respuere : quod quidem Sanctorum exemplis comprobabat, qui postulati ad infulas, honorem hunc totis viribus fugiebant tanquam veneni poculum. Quod si interdum humeros supponere cogerentur, tantum onus cum timore simul et tremore suscipiebant. Unde nec mirum si Bernardus noster excussa Prioratus sarcina instaret importune, opportune, apud summum Cartusiæ familiæ Præsidem, ut in solitudinem sibi liceret secedere; verum cum germanam veramque hominis religiosi virtutem in obedientiæ cultu consistere arbitraretur, idque suis monachis sæpissime inculcaret, solo verbo concedebat in Superiorum sententiam, eorumque voluntati se præbebat accommodum. Hæc religiosa virtus Bernardum e terra cognationis suæ in longinquam transtulerat regionem, et quamvis ad amicam solitudinem semper anhelaret, permansit tamen in officio, elongatus a patria, factus usque ad mortem obediens.

Ex assidua novissimorum suorum cogitatione, caduca quæque fastidiens solo rerum cœlestium amore tenebatur; unde frequenter sibi vendicabat has voces: *Solum mihi superest sepulchrum,* similisque homini Dominum suum a nuptiis revertentem expectanti, Christi Salvatoris sui Judicisque adventum præstolabatur; cui ut expeditior obvius procederet, sæculo plane mortuus prælibabat tantummodo cœlestia. Hujus religiosissimi Patris patientiam Deus multis infirmitatibus probavit, cui ad meriti cumulum accessit continuus podagræ dolor ex frequentibus itineribus contractæ, quem nonnisi singulari quadam abstinentia et æquanimitate leniebat.

Sub vitæ ejus exitum injunxerat ei R. Pater Generalis, ut omnes Cataloniæ et Castellæ Domus lustrans, diligenti investigatione, colligeret ea quæ neces-

saria erant ad Historiam Ordinis nostri concinnandam, quam ipse in lucem edere decreverat; verum caducam ætatem morbumque continuum causatus, tantum iter aggredi recusavit. Suppeditarunt nihilominus plerique quidquid hactenus in archivis latuerat, quod certe e diuturnis quasi tenebris in apertum protulisset, ni sui muneris occupationibus frequentibusque morbis præpeditus fuisset. Ea demum qua vixerat sanctimonia suum cursum absolvit, anno 1645, die 15 Maii.

Fuse descripsit Vitam Bernardi Castellano idiomate Joseph de Valles in suo Cartusiarum Libro, ex quo hæc collegimus.

XVI DIE MAII

ALISIA

MONIALIS PRATIBAJONIS

Eximiæ morum innocentiæ, sacros hymnos B. Virgini Deiparæ sublimi spiritu et æstu quodam mirando ingenii et pietatis postquam in hac mortali vita decantasset, ad cœlum evolat, ibidem in æternum cantatura Dei misericordias.

Ex Hist. ms. Ord. Nicolai Molin. Theophylus Raynaudus in suo Brunone Mystico.

WERNERUS BALDWINI

FUNDATOR ET DONATUS CONRADSBURG

De quo sic fit mentio in Chronico Domus Erfordiæ, ubi agitur de Neutfrido Baldwini, fratre Werneri, et Priore tunc Erfordiæ, postea primo Priore Conradsburg : « Postremo tanquam coronidis loco, post plurima tum extructa ædificia, tum alia utilia Domui nostræ (videlicet Erfordiæ) digna æterna memoria et commendatione beneficia, Domum B. Virginis Annunciatæ in Conradsburg dono nuper Ordini oblatam acceptamque (fuit ista olim monasterium Patrum Benedictinorum, sed ab annis amplius 20, ex quo similiter tempore dicti Ordinis cultores eam desertam reliquerunt, administrata per quemdam sæcularem, nomine Arnoldum Rammer) dictus Prior (Neutfridus scilicet) pervigili cura et industria brevi pristinæ integritati restituit, auxilio potissimum et piis eleemosynis et expensis supramemorati Domini uterini fratris, Juris utriusque Doctoris, Werneri Baldwini; qui etiam postliminio ibidem nuncium fallacibus mundi illecebris remittens, in eadem Domo habitum Donatorum

suscipiens, felici tandem fine consummatus est, anno 1488, die 16 Maii, legatis specialiter huic Domui 300 florenis Rhenensibus. » Hactenus Chronicon Erfordiæ.

Hic vero ab Ordine tanquam Fundator habitus est, cujus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1489 his verbis : « Obiit egregius Dominus Wernerus Baldwini utriusque Juris Doctor, Donatus et Fundator Domus B. Mariæ Annunciatæ, sacerdos, habens plenum cum psalteriis Monachatum etc., et Anniversarium sub die obitus sui, 16 Maii. »

RODERICUS DE MUR

MONACHUS AULÆ DEI

Aragonius nobilis ; Institutum Cartusiense sectatus est in Domo Montis hilaris; secundam postea in monasterio Aulæ Dei emisit professionem. Vir fuit insigni exornatus sanctimonia, cujus fundamentum posuit profundam humilitatem ac sui contemptum, quo minima Domus officia eligens, per multos annos Sacristæ adjutoris munus exercuit. Oratione, silentio, et abstinentia exhibuit se mirabilem, siquidem exceptis aliquot horis brevissimo somno impensis, reliquo tempore illud Apostolicum adimplens, orabat sine intermissione. Nam eo usque vacuam a curis et sollicitudinibus mentem ad cœlestia sublevabat, ut omnis ejus cordis volutatio una et jugis oratio fieret.

Transiliebat autem in abstinentia metas infirmitatis humanæ ; nam præter Religionis nostræ jejunia et abstinentias panis et aquæ, sic corpus vexabat inedia, ut singulis Quadragesimis nihil coctum sumeret, sed solum pane et frigida siccisque fructibus reficeretur. Cæteris autem anni diebus, uno contentus ovo, existimabat se transgressum fuisse abstinentiæ leges. Silentio etiam ac solitudini deditissimus, interdum necessaria loqui recusabat, illud potius signis innuens, ne forte loquendo laberetur. Decessit cum opinione sanctitatis, anno 1571.

Ex mss. Domus Aulæ Dei.

XVII DIE MAII

ANONYMUS

MONACHUS TEUTONIÆ

Hujus meminit Ganneronius noster in suo Martyrol. Cartusiensi ad diem 17 Maii; de quo etiam Dorlandus agit in Chronico Cartusiensi lib. 5, cap. 33 his verbis : « Cum scrutarer aliquos libros, reperi scriptum fuisse monachum Ordinis nostri, hujus nostræ Provinciæ virum in Religione probatissimum et vere Cartusiensem, hoc est, carnem tundentem, qui eo usque profecerat, ut inter perfectos monachos posset reputari. Quo infirmante et ad extrema vergente, cum jam pene agonizaret, avis quædam incomparabilis decoris et pulchritudinis per fenestras in cellam involavit, spectantibus qui aderant Fratribus et mirum in modum stupentibus. Tum illa rostrum aperiens, tam suavem cœpit melodiam concinere et tam dulces modulos depromere, ut omnes Paradisi se delitiis interesse putabant. Tacebant omnes avicula concrepante, et modulata carmina suavissimamque vocem intentis auribus capiebant.

« Nonnulli ex Fratribus, arbitrantes hunc sonum modulatæ vocis infirmo nociturum, nitebantur volucrem abigere; verum illa nusquam se patiebatur per apertas etiam fenestras expelli, nec cœptam voluit modulationem laxare, donec qui decumbebat spiritum Domino exhalasset. Illo igitur ad Superos evolante, avicula quoque in cœlum se recepit, nec ultra comparuit. Adstantium vero quidam hujus defuncti Fratris Angelum fuisse arbitrabantur, qui exitum fidelis servi Dei sua venisset modulatione solari, et in Sponsi thalamum Angelico cantu deducere. Beati igitur mortui qui in Domino moriuntur, et qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. »

JOANNES KESSELER

PRIOR MOGUNTIÆ

Hujus monasterii professus, Prior Horti Christi; quem cum Moguntiæ Conventuales, anno Domini 1403, concordibus suffragiis sibi in Superiorem elegissent, fuissetque confirmatus in officio per Visitatores, hæc tamen electio per generale Capitulum ejusdem anni infirmata est his verbis : « Priori Moguntiæ fit misericordia, et electionem imperfectam per Conventum de Priore

Nordlingæ confirmassemus libenter ad consolationem Conventus, sed quia in fine nostri Capituli generalis recepimus literas R. Patris et Domini Episcopi Augustensis, literas Capituli Augustensis, literas Dominorum Comitum de Œttingen conjunctim et civitatum Nordlingensis et Memmingensis, qui omnes concorditer et instantissime rogaverunt, supplicantes, quatenus prædictus Pater eis remitteretur ad Nordlingam ; quod si non fieret, magnum periculum Domui Nordlingensi imminere, et novæ plantationi juxta Memmingam prout oculata fide in brevi conspici deberet : Nos igitur non valentes instantissimis precibus tantorum contradicere, ne scandala et pericula majora occurrant, authoritate Capituli generalis prædictum D. Joannem in Priorem Domus Nordlingæ præficimus, exhortantes Conventum Moguntiæ, ut propter Deum habeant patientiam, quia non potuimus aliter. Speramus autem quod Dominus providebit eis de vero Pastore, de quo bonam habebunt consolationem. »

Præfuit Nordlingæ usque ad annum 1409, quo fuit restitutus suæ professionis Domui ; anno 1410 fuit renunciatus Provinciæ Rheni Visitator, quod munus sapienter admodum et exemplariter obivit per novennium ; donec ætate fractus exauctorationem obtinuit a Comitiis generalibus anni 1418 his honorificis verbis : « Venerabili Patri Priori Moguntiæ ad suam instantiam et propter senectutem suam et debilitatem fit misericordia. » Residuum vitæ in solitudine transigens vir spectatissimæ virtutis, meritis dives, in abundantia bonorum operum, anno 1425, die 17 Maii, sepulchrum ingreditur.

Ex Catalogo Priorum Moguntiæ.

ALBERTUS KIVETIUS

MONACHUS WESALIÆ

Arnhemius ; primo professus in Monichusen, secundo Wesaliæ, moritur cum opinione sanctitatis, anno 1449, die 17 Maii. Cujus Vitam habuimus ex eadem Domo Wesaliensi, quæ sequentis est tenoris :

Ut de operis hujus hucusque inediti authore constet, satis seipsum diversis in locis prodit, dum se patria Arnhemiensem profitetur. Quam quidem Sicambrorum urbem comprimis celebrem esse constat, ubi refert se a parentibus veluti civibus intellexisse Collardi cujusdam imposturam, qui Catholico Arnhemiensi populo fucum facere cupiens, imbuendo scilicet cruore proprio panem Eucharisticum a sacerdote non consecratum, sceleris sui pœnas flagrante igne expiavit. Ubi, quo Christi anno in lucem sit editus ex eo datur intelligi, quod octogenarius obiisse feratur anno 1449 ; prorsus ut necesse sit annum nativitatis ejus referre ad Christi 1369 vel præcedentem, Urbano scilicet ejus nominis Quinto totius Christiani

ovilis curam gerente, Carolo vero quarto Romani Imperii fasces tenente : parentibus uti fortunæ mediocribus ita vitæ honestate præstantibus. A quibus cum pie probeque educatus esset, et liberalium artium studiis traditus, annum jam agens vigesimum rerum pertæsus mundanarum, quæ sunt non tantum fallaces, quia dubiæ, verum etiam insidiosæ, quia dulces.

Et si nonnihil animo fluctuaret, quodnam Religiosæ vitæ genus potissimum capesseret, audiens tamen propinquo in loco Cartusiam esse percelebrem a Reinaldo Nassovio, comite quidem Geldriæ IX, duce vero I, constructam, eamque a Kempensi Thoma mirum in modum commendatam, cujus bonæ conversationis odore non solum Geldriam, sed et Belgicam afflaverat universam : cœpit et ipse loci sanctitate allectus arctiorem cum Religiosis inibi commorantibus familiaritatem contrahere, et num ita se res haberet, uti rumor passim spargebat, propius explorare. Siquidem Thomæ Kempensis præclarum de Arnhemiensi Cartusia testimonium diversos ad eam adamandam inflammavit. Quod ne lectorem lateat, visum est hoc idem hic verbis adscribere. Sic enim habet : « Eo præcipue tempore (sæculo nimirum tertio decimo) mundi status in maligno videbatur undique positus, ita ut pauci essent, qui verbum vitæ moribus ac vocibus prædicarent, pauciores vero qui continentiam sectarentur ; et quod dolendum erat, nomen sanctæ Religionis et status devotionis præ inopia spiritus a patrum vestigiis nimium claudicabat ; apud Cartusienses vero (de Arnhemiensibus potissimum loquitur) lux vitæ cœlestis remansit occulta, et carnalibus satis videbatur austera. Erat tamen Deo gratissima et spiritu ferventibus optabilis atque jucunda. » Hæc ille.

Hunc igitur locum tanquam divinitus sibi a Deo prædestinatum identidem frequentans, magna animi fiducia ejus Antistitem cæterosque Religiosos accedit, orat, et ut illorum societati jungatur, obsecrat, offerens se ad quævis obeunda paratum, nihilque sibi tam difficile fore, quod non animo perlibenti, amore Christi suscepturus sit. Qui visa tam insigni adolescentis alacritate ac spiritus fervore, laudant pium ejus desiderium, et ut constans firmusque permaneat hortantur, et ut exigua pro magnis, pauca pro multis, falsa pro veris, pro sempiternis fluxa et caduca contemnere ne dubitet, studiose inculcant. Constanter vero in proposito perseverantem, evoluto rudioris tyrocinii auspicio, mox novo induunt spiritalis armaturæ amictu, aspero nimirum ad carnem cilicio, lumbari e canabo crudo, quo renes ceu castimoniæ cingulo ac symbolo præcingat, atque id genus aliis agendæ comprimis pœnitentiæ indumentis.

Cæterum professione jam stabili Deo in perpetuum devinctus, mirum quantos cœperit in quovis virtutum genere

progressus facere, quos fructus edere, quam sibi vilescere, et aliis adlubescere; prorsus ut quasi speculum quoddam disciplinæ monasticæ esse videretur, utpote qui non longe post Cartusiæ Amstelodamensi, anno 1393 ab Alberto Bavaro fundatæ, qua conversationis exemplo, qua ædificationis verbo opem laturus in Bataviam a Superioribus veluti ab umbra in solem evocatus est. Inde vero, anno Domini 1418, cum V. P. D. Joanne a Deldon missus est Wesaliam ad novam plantationem Ducis Cliviæ, ubi diligentem operam navans novellis probandis informandisque tyronibus archistrategus esse meruit : unumquemque, prout res postulabat, cum discretione instruendo, cum charitate corripiendo, cum benignitate tolerando, Salvatoris nostri exemplo omnibus omnia factus, quatenus consurgentem novæ plantationis vineam et insigni palmitum propagine succrescere incipientem, florentiorem uberioremque efficeret. Non solum die noctuque ad decrepitam usque ætatem ecclesiam primus postremusque frequentans, licet et ramices rupisset et scipione seniles gressus regeret, verum etiam librorum scriptioni editionique continuo invigilans.

Quemadmodum ejusce rei testem oculatum profitetur non de plebe quisquam, sed Loci ejus Prior Henricus de Piro, Juris utriusque Doctor, comprimis egregius et ingeniorum virtutumque æstimator integerrimus; cujus funebrem idcirco orationem in sepultura Kivetii ab eodem habitam adjungere haudquaquam displicebit. Sed nec ille duntaxat de domestico hoc suo subdito ejusmodi integerrimæ conversationis testimonium tulit, imo et externi plateatim Kivetium tantum sanctum clamitabant, quando videlicet Priorem hunc foras prodeuntem passim hi et illi adoriebantur sollicite indagantes : quinam valeret decrepitus ac sanctus ille Pater Albertus ? num adhuc possibile foret in fatiscente ætate illa vel vitam agere, vel rem divinam peragere?

Cui cum tandem operum præclare gestorum mercedem reddere vellet supremus Agonetheta, et ad cœlestis regni bravium evocare, habentem jam annum ætatis paulo plusquam octogesimum, transactæ vero vitæ in Cartusiensis Ordinis stadio sexagesimum, triduo ante Dominicæ in Cœlos Ascensionis diem, feliciter hinc discedens reliquit mundum et ivit ad Patrem, quocum illum nunc in omnem æternitatem vitam gloriosam agere confidimus.

Hactenus Manuscriptum. Subjicimus etiam orationem funebrem, quam Henricus de Piro Prior Wesaliæ habuit in obitu Alberti Kivetii, quæ sic incipit:

« Nisi natura nobis omnibus, Fratres charissimi, hanc legem semel moriendi statuisset, maxime nobis flendum putarem devotissimum et felicissimæ recordationis hunc antiquiorem Fratrem nostrum Albertum, eo quod paucos sane sui similes post se reliquerit. Sic

enim legimus sanctum Ambrosium flevisse, si quando boni alicujus sacerdotis mortem audiret. Sed cum quotidie moriamur omnes, et quotidie nobis aliqua pars vitæ dematur, imo statim ut nati sumus incipiamus mori, mitius ejus mortem feremus, et quod reliquum est ad solamen aliquod nostrum, laudem et memoriam ejus ex occurrentis verbis Evangelii hodierni, videlicet istis his : *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem*, panegyrica laude celebrabimus.

« In quibus verbis duo præcipue notari possunt : primum est carnis hujus necessaria resolutio ; secundum æternæ salvationis ejus verisimilis certificatio. Primum probat nuditatis et paupertatis cujuslibet ab hoc sæculo mortui recedentis conditio : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc* (Job 1), et : *Nihil intulimus in hunc mundum* (1 ad Timotheum ultimo), haud dubium quia nihil inde auferre possumus. Secundum probat Patris Dei dilectio, mandatorumque ejus observatio : *Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus, etc.* (Joannes 14). Ubi autem est mansio Trinitatis, ibi est vita æterna : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum* (Joannes 17).

« Quantum ad primum, advertitis quod in hac die (quæ utinam ad pacem piissimi Patris hujus defuncti nostri !) dici possit ex persona ipsius : *Iterum relinquo mundum ;* bina nempe vice mundum reliquit. Primo, cum se ad sacrum Ordinem nostrum Cartusiensem manu mancipem dedit, regnum mundi et omnem ejus ornatum reliquit per professionem, quæ mors quædam civilis est, eorum exemplo de quibus scriptum est : *relictis omnibus* quæ mundi sunt *secuti sunt eum.* Iterum vero nunc per separationem animæ a corpore mundum hunc reliquit, ultimum vitæ suæ diem a senectute bona claudendo ; unde de eo dici possit, quod olim de Abraham patre et patriarcha generationis nostræ dictum est : *Mortuus est in senectute bona* (Genes. 25), vel quod de Davide dicitur Paralipomen. ultimo : *Mortuus est in senectute bona, plenus dierum.*

« Reliquit igitur primo mundum religiosam vitam obeundo, in qua tot annis versatus est ac conversatus et perseveravit, secutus ejus consilium qui dixit (in prima sua Canonica cap. 2) : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, nam si quis dilexerit mundum non est charitas Patris in eo, quia totus mundus in maligno positus est.* Sic enim et puer Dei Bernardus olim suadebat eum relinquere et de mundo Babylonis fugere, ad vitam religiosam confugiendo, dicens et identidem repetens illud ad turbas : « Fugite de medio Babylonis, de turbido hoc sæculo, et salvate animas vestras in Religione velut in fasciculo viventium. »

« In hac religiosa Cartusiana vita hic pius Pater mundum et quæ mundi sunt,

adeoque et seipsum simul et semel reliquit, nec eorum quicquam quæ reliquerat unquam resumpsit; nihil sibi de bonis vel donis Deo semel oblatis, nihil de voluntate propria retentavit; nihil eorum quæ ad usum unicuique nostrum Statuta permittunt ita sibi sumpsit, ut majorum suorum arbitratu plus minusve sumere paratus non fuerit, libentius semper de necessariis minus sumens, quam aliquid justo vel solito amplius, veritus ne cupiditas sibi imponeret; ideoque sæpe sibi necessaria magis indigentibus distribuit, illud Chrysostomi semper memoria repetens : « Quidquid monachus ultra necessitatem possidet, mortiferum est. » Hinc est quod nunquam de escatilibus sollicitus fuit, nunquam de vestibus; nec murmurare noverat, nisi quando forte Superiorum pietas ipsi præ cæteris aliquid indulsisset : quippe cui crux erat, gratiam pro auctiore aliqua cœnula petere, et tormentum non leve, concessa gaudere. Hic perfecte obediens et incedens in omnibus justificationibus Ordinis et Superiorum sine querela, nunquam propria authoritate usus est, vel sensum suum alterius arbitratui præposuit.

« Idem ipse hanc sibi disciplinam sanxerat, ut si extra canonica loquendi tempora necessitas vel utilitas loqui suaderet, verbum eliquaret ex pectore, quod audientes saginaret et velut adipe et pinguedine cibaret, flueretque velut mel de petra, non sicut spina de sepe, quæ vulnerat, pungit, irritat, exasperat : unde ei in omnibus dictis et responsis suis benignus et mansuetus fuit; nullis excusationibus aut deliberationibus uti solebat, sed simpliciter omnia sua Priori committere doctus; cui nunquam proinde molestus fuit aut gravis, sed pro Superioritate quotidie jaculatorias aliquas orationes, præcipue cum visitaretur, ad Deum effundebat : non minus flagitium existimans eos verbo vel vultu contristasse, vel pietatem læsisse, quam illud quod abscissa ora chlamydis Saul putavit se commisisse vir secundum cor Dei. Unde cum semel inductus ab aliis, qui prudentiores videbantur et columbæ esse, petiisset unius absolutionem Prioris, vix super hac temeritate consolari potuit; sed percussit cor suum publice, conscientia eum ad hoc impellente.

« Quis unquam in Visitationibus publicis aperuit super eum os suum? Quis accusavit adversus electum Dei ? Nemo. Nec mirum; quem enim silentium et solitudo justificabat, nullus accusare facile poterat. Ipse ergo inter suos optimus, nec sicut paliurus, ut est apud Prophetam, accusans vel alios traducens, aut camelorum pilis vestitus erat sermo ejus; sed omnia prava ponens in directa, et quantum fieri poterat, aspera in vias planas, benignus interpres vitæ aliorum, non censor castigatorve minorum, ut est apud Floccum. Unde nec vidimus aliquem unquam, cui gravis et onerosus fuerit, nisi forte illis (ut est varius humor ingeniorum humanorum)

a quibus sollicitudine veritatis aliquanto crebrius et scrupulosius, quam ipsi vellent, exquirebat exempla quæ scriptis ejus intersparsa sunt ædificationis.

« Nunquam nisi pie fuit otiosus, sed pro publica laborabat, vix unquam pro privata sua utilitate. Nam et magnos labores circa rudimenta, fundationemque primam hujus Domus dicitur subiisse. Taceo diligentiam ejus in libris compingendis, legendis, scribendis, arte qua valebat antiquariorum, in qua parem sibi vix habuit. Sed quid dicam de assiduitate ejus in divino, cui nihil unquam præposuit, Officio? Omnibus enim palam est in choro quantum præstiterit corde et ore simul psallendo, quomodo spiritu proximos quosque astantes sibi frequenter afflavit, corde calidum verbum eructans, et omnia sua Deo veluti Regi alicui dicans et dicens. Quis unquam nostrum præsens vel absens vidit eum a divinis abesse? Quis vel Horis diurnis vel nocturnis unquam eum defuisse testari poterit, nisi paucis his diebus ultimæ resolutionis ejus et infirmitatis, quibus vix per hebdomadam a Matutinis potuit arceri?

« Quis nostrum, inquam, ita diligens in diurnis laudibus et assiduus unquam fuit, ut ipse plenus dierum etiam post eclypsim visus, post aurium ex senio vitium, quo quamvis eum interdum remorante, non destitit tamen permaximam diligentiam adhibere, ut divini tenor servaretur Officii : juniores sollicitans ad hoc ipsum, et cum delibaretur et resolveretur paulatim in morbum et mortem, auxiliarios fortes quos sibi sufficeret, exquirens. Testes sunt ejus collaterales, qui vix tantum ipsi suggerere poterant vel repetita repetere, tuto ut acquiescere posset. Imo tantum conquerebatur et dolebat de syllaba morsicata, vel verbo in longis Lectionibus truncato (taceo de psalmodia), quasi grande nefas commissum fuisset. Quando tandem eum sopor in divinis depressit? Vel quando prostravit eum acedia? Quis enim vidit somnolentum? Quis lentum aut verba frangentem audivit? Ut opinor, nemo. Certe nunquam ego ipse.

« Semper ante oculos interminationem illius habuit : *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter*. Ideo tum etiam vel maxime cum multiplicatæ sunt infirmitates ejus, postea accelerare sollicitus fuit ad Officium, baculo seniles regens artus, præcurrens aliis, et prævertens principes chori conjunctos psallentibus. Nunquam, quod mireris et obstupescas, sedile demisit extra ordinem vice versum, tametsi graviter esset utraque parte ruptus, sed super *misericordias* innixus stabat, velut Habacuc super custodiam suam, angelicus senex, non plenus querelis (quod de omnibus aliis senibus dicit Augustinus) sed multis gaudiis.

« Quid plura? profecto ad ejus virtutes explicandas nec dies multi sufficerent. Dogmatisten præcipuum habuit

magnum illum Arsenium, cujus est illud aureum oraculum e cœlo lapsum: Fuge, tace, quiesce; in quo dicebat contineri reditum ad impeccabilitatem, quatenus in hac vita potest haberi. Quapropter fugit quoque conversationem sæcularium, et inquinatas voces eorum, ut carnis licet mortuæ cogitationes et affectus tanto certius vinceret. Tacuit, ne loquendo caderet in superbiam vitæ, vel prolaberetur longius. Quievit, ut avaritiam et desideria quæ mergunt hominem in interitum fugeret, et quam longissime ab eis recederet.

« Unde bene in persona ejus dictum fuit pristino sermone: *Relinquo.* Sed et heri in illa peremptoria sui recessus hora piissimus Pater merito dicere poterat: *Iterum relinquo mundum,* quando in illa senecta et senio dicebat Deo: *Usque in senectam et senium ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum generationi quæ ventura est,* alludens ad generationem sanctam Novitiorum, quos in nostro Ordine sibi plurimos in spirituales filios genuit, genitos fovit et educavit in Domino; qua vita, qua verbo, qua virtutum exemplo, tardiores instruendo, dejectæ voluntatis animas informando; nunc hos stimulando, nunc illos a præcipitiis propriarum adinventionum retrahendo, Deum pro omnibus ac singulis precando. Nec minus miserendo profuit, utpote qui velut quidam pater misericordiarum et totius compassionis visceribus pietatis afflueret; unde si quem tentatum vel alioquin valde gravatum vidisset, quasi ipse infirmus et impotens esset, ad consolandum ad Priorem pro remedio recurrebat, excelsum eum faciens et se majorem in verbo gloriæ; quare bene cum Vase electionis dicere potuit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?*

« Mortuus est igitur (ut anacephalæosim faciam) ut Abraham, id est pater multorum credentium, Novitiorum. Mortuus est etiam tanquam David, manu fortis, ad omnia promptus et paratus manum mittere (quatenus ardua Religionis exercitia), semper fere sibi similis, fortis et strenuus, plenus dierum et bonorum operum, post octogesimum suæ (quæ potentatuum est) ætatis annum; post quem si vivere illi diutius contigisset, nihil supererat illi nisi labor et dolor. Quod illi ne accideret, prævenit eum bonus Deus benedictionibus tranquillissimæ mortis, et posuit in capite ejus coronam pro cinere, dedit illi pallium laudis pro spiritu mœroris; ut plenus meritis et divitiis spiritualibus tanto securior a sæculo recederet, et diceret: *Vado ad Patrem.*

Sed qualem eum, putas, Dominus invenit, quem sic vigilantem reperit? Consequens erat, ut diceremus quod eum invenerit paratum et plenum meritis, virtutum actu et fide, confessionis ordine, jejuna membra deferentem. Dies quidem impiorum inanes, sed pleni sunt dies eorum, qui vacui non fuerunt ab operibus bonis et virtuosis. Istæ

enim virtutes veræ divitiæ sunt, quæ gloriam adducunt, teste D. Gregorio qui ait : « Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias, virtutes amate » ; quibus cum plenus fuerit, de glorificatione ejus temporali et æterna bene sperare possumus.

« Certe, si conjecturis agere licet in hac re quam Deus nobis incertam esse voluit, licebit ex præsenti gloria, quam hic apud homines habuit et adhuc hodieque habet, conjicere majorem illam esse quam apud Deum habet ; veram utique gloriam, nec tamen quæsitam et affectatam, sed sponte sequentem, in hoc sæculo habuit, quia ab omnibus sanctus Pater et pius reputatus fuit ; quam gloriam per veram humilitatem et simplicitatem acquisivit, juxta illud primæ Veritatis dictum : *Qui descendit, is est qui ascendit*. Nullus nostri gregis, nostræ Domus aut collectionis, nullus ita apud homines virtutis nomine notus fuit ; ignotus quidem vultu et voce, sed suavi morum odore flagrans omnibus extimis et citimis afflaverat virtutum suarum fragrantiam. Certe ego ipse, quocumque ibam, vocem illam statim obviam audiebam, et etiam nemine loquente sonabat ista vox piæ sollicitudinis in auribus meis : Quomodo valet iste bonus Albertus ? bene habet bonus senex ? Si vox populi vox Dei est, jam habemus canonizatum bonum, quia omnes sic pronuntiant, sic sibi statuunt de illo. Non potest male mori qui bene vixerit, dicente Psalmista : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*.

« Cujus tamen vitam et exitum, qui claudit stellas sub signaculo, Dominus Deus adhuc claudit sub silentio tegitque sub modio, ut non evacuetur Scriptura, quæ ait : *Nescit homo an odio dignus sit ;* sed omnia servantur in futurum incerta, ad terrorem mortalium, ut arida ligna discant securim et ignem judicii timere, dum ignorant quid de viridi factum sit. Nihilominus licet Deus per miracula non loquatur aperte sanctitatem ejus, scripta tamen ejus fortassis aliquando post aliquot sæcula (liceat ita de iis sperare) rediviva loquentur, et pars miraculi habebitur tot miraculorum per eum coacervatio. »

Agit de Alberto Petræus in Bibliotheca.

GUILLELMUS RONCHIER

VICARIUS PARCI

Functus etiam Procuratoris officio ; Marthæ et Mariæ munera cum laudabiliter explevisset, viri pacifici et obedientis elogio cohonestatus, naturæ debitum persolvit, anno 1562, die 17 Maii. Multos libros conscripsit.

Ex Kalendario Domus Parci.

XVIII DIE MAII

PONTIUS

MONACHUS ET ALTER FUNDATOR PORTARUM

Hic ex monacho Ambroniacensi Ordinis sancti Benedicti, charismata meliora æmulatus, cum venerabili Bernardo de Varey petiit deserti loci secessum; ubi cum aliis sociis, succisis ad habitandum spatiis, proprio labore ac industria Cartusiam Portarum condidit, cujus alter initiator et incola factus, hanc solitudinem piis sanctisque operibus excoluit. Postquam autem per annos viginti quinque et amplius ibidem perseverasset, dignosque protulisset fructus pœnitentiæ, ad mercedem laborum feliciter evocatur circa annum 1141.

Ex antiquis hujus monasterii Monumentis, et ex Historia du Bugey Samuelis Guichenonii.

GUILLELMUS BRETONNEAU

MONACHUS LIGETI

In odium Catholicæ religionis ab acatholicis monasterium Ligeti deprædantibus interfectus, martyrii palmam adipiscitur, anno 1562, die 18 Maii.

Ex antiquis hujus Cartusiæ Monumentis.

JACOBUS BOURGUIGNON

MONACHUS MONTIS DEI

Professus anno 1558, bis Procuratorem egit Monstreoli spatio tredecim annorum, ubi seduli partes œconomi peregit. Fuit enim monachus exemplaris et candidum patientiæ speculum, qui nunquam querebatur inter continuas infirmitates. Crimen reputabat a divinis abesse Officiis, et sæpius in ecclesia psallens febrilibus paroxysmis lacessitus perseverabat. Prodigiosa præcellebat memoria, nam Correctoris fungens officio cuncta corrigebat memoriter. Vera cordis humilitate suam condiebat conversationem, nec verecundabatur, imo et gloriabatur, quod vili loco natus esset. Collectis bonorum operum manipulis in Domo Montis Dei naturæ debitum persolvit, anno 1582, die 18 Maii.

Ex Chronico Montis Dei.

PAULUS ROGERIUS

PRIOR ALLIONIS

Pedemontanus; professus Cartusiæ, anno 1581, 21 Septembris, vir singularis scientiæ et pietatis, postquam Priorem in Domibus Vallis bonæ, Montis brachii, Arveriæ et Allionis exegisset, morbis attritus decessit hospes Siligniaci, anno 1619, die 18 Maii.

Ex Schedis D. Hugonis Buat.

FRANCISCUS

CONVERSUS FLORENTIÆ

Castigatissimis moribus et temporalium administratione celebris, ad annos triginta vitam exegit in monasterii grangia, summo cum sæcularium exemplo et incremento monasterii, Superosque adiit anno 1625, die 18 Maii.

Ex Kalendario Domus.

JOANNES A VILLANOVA

CONVERSUS DE COVIS

Nobilis Navarræus Pampinopolensis; a pueritia propensus ad pietatem, in arithmetica et peritia computandi versatissimus, Matriti, triremium Hispanicæ classis major fuit nominatus supputator, ubi per aliquot annos vixit in magna æstimatione apud Officiales, stipendia sui muneris pauperibus erogans. Per id temporis capitaneus quidam, Joanni amicitia conjunctus, mulierem conjugatam et prædivitem vesano captus amore ab Hispali Ulyssiponem, ubi hyemabat classis, secum deduxerat. Qui cum exegisset annum cum hac pellice, obsurdescens ad salutaria Joannis consilia, tandem exhaustis concubinæ pecuniis divenditisque muliebribus ornamentis, amore in odium verso, miles hanc propudiose ejecit.

Ad extremam illa redacta inopiam gravi morbo corripitur; cui Joannes omnia christianæ pietatis officia præstans infirmam rite munitam Sacramentis in pristinam suis expensis restituit sanitatem. Accepti memor beneficii mulier jam plane convalescens cum se totam Joanni devovisset, juvenis perfectus castitatis amator eidem respondit in hunc modum : « Nil aliud a te, domina, expostulo, nisi ut Deus amplius non offendatur; quin etiam supplex oro propter ejus amorem, ut Hispalim revertens, ad sponsi tui pedes devoluta maculati thori veniam petas. » Paruit illa, sufficientique viatico per Joannem fulta iter aggreditur, maritum convenit, lachrymis mollit iratum, planeque peccati pœnitens vitam cum suo conjuge transegit.

Inter hæc præclara virtutis præludia Joannes ad perfectioris vitæ statum anhelans, in Cartusia de Covis habitum Religionis suscepit. Coquinæ ministerio

mancipatus, tyrocinii annum absolvit patientiæ factus exemplar et humilitatis; qui enim in sæculo degens incutiebat sui timorem, emissa professione, die 6 Januarii, anno 1620, ita mutatus est in virum alterum, ut nunquam irasci, nunquam asperum verbum cuiquam loqui visus fuerit. Variis deputabatur ministeriis, et in multiplicibus agendis semper sui compos erat, semper tranquillus apparebat. Affectus aliquando injuria a quodam monacho, statim in genua procidens veniam supplex petiit. Summum etenim honorem deferebat monachis, præsertim sacerdotibus, in quorum præsentia nunquam assidebat, nisi cogeretur.

Singulari contemplationis dono ditatus, quamvis occuparetur circa plurima, suspensam nihilominus semper gerebat in Deum mentem. Vix necessarium sibi somnum indulgens, ac tempus amissum ratus quo Dei erat immemor, post brevissimam noctis quietem expergefactus statim se se immergebat in profundo divinarum perfectionum pelago. Huic jugi orationis studio accedebat vitæ austeritas, potus cibique parcimonia, ita ut aliquando siti laborantis labra ulcusculis plena viderentur ; gestabat insuper cilicium setis asperis et ferro contextum. Perfectus sui triumphator, monachi tibias sanie plenas linxit suxitque putre tabum. Omnia Religiosis præstabat charitatis officia, ægrotis præsertim dum coquinarius ageret necessaria subministrans ; janitorisque munus obiens, larga porrigens manu eleemosynas.

Tanta erat exornatus modestia, ut cum negotiorum causa foras exiret, sæculares illum tanquam sanctum venerarentur. Exactoris obedientia fungens, cum in domum cujusdam mulieris inquilinæ ingrederetur pretium locationis ædis petiturus, « Redi cras mane, inquit illa, pecuniam parabo. » Condicta hora adest Frater. Cui mulier : « Ascende sursum, filia mea numeratum habet argentum. » Accessit Joannes malum haud cogitans, et ecce puella petulans jacebat in lecto, procacique vultu assurgens : « Nonne, ait, blandiens gestibus, melior ego sum quam decem talenta argenti ? » Vir autem Dei defixis in terram oculis (nusquam siquidem aspiciebat mulieris vultum), ne minimum motus illecebris, fugiens dicebat : « Facilis est descensus inferni ; pecunia tua tecum sit, Deus autem mecum. »

Postremo cum Domino in omni sanctitate famulatus fuisset, mortis suæ præscius naturæ debitum persolvit, anno 1654, 18 Maii, ætatis suæ 60.

Ex Manuscriptis.

XIX DIE MAII

STEPHANUS

PRIOR MAJORÆVI

Secundus nomine et quartus ordine hujus eremi Moderator; qui ex Procuratore Majorævi post Milonis tertii Prioris obitum in ejus locum suffectus cum omni sanctitate præfuit; excelluit imprimis admirabili patientia, et plane christiana simplicitate. Porro tantæ fuit æstimationis apud circumvicinos Magnates, ut Humbertus de Grandmont episcopus Genuensis ad ipsum scripserit in hunc modum : « Vestra quoque nimirum charitate confisi, nostris infirmitatibus ac tribulationibus ad præsens credimus adjuvari; post decessum vero et memoriale nostrum vobiscum maneat, diligenter quæsumus. »

Multas huic monasterio professiones acquisivit, litesque diremit et controversias. Sciens autem quod pacem haberet tabernaculum suum in abundantia pacis, ingressus est viam cœlestis Hierusalem, anno 1143, die 19 Maii.

In Bibliotheca Cluniacensi extant epistolæ Petri Venerabilis ad nostrum Stephanum, et Stephani ad Petrum. In Vita etiam beati Pontii de Balmey fit honorifica mentio Stephani.

ANTONIUS SURIANUS

PATRIARCHA VENETIARUM

Vir nobilissimæ stirpis, calcato generis splendore, Venetis Cartusianis dedit nomen. Ob vitæ meritum assumptus primo ad Cartusiæ Paduæ, deinde Venetæ, administrationem dum in hac Domo rerum divinarum commentationi simul et contemplationi vacaret, summaque cum prudentia exerceret Visitatoris officium, invitus ad sedem Venetam evehitur, anno 1504, die 27 Novembris. In eo curarum episcopalium æstu ita liber animi fuit, ut Tractatum ediderit de Vita contemplativa. Quatuor annis suam Ecclesiam rexit sanctissime, vitamque feliciter clausit, anno 1508, die 19 Maii, sepultus apud Cartusianos.

Extat Antonii Suriani Elogium apud Dorlandum nostrum, et Italiam Sacram.

XX DIE MAII

JOSEPHUS GIL

MONACHUS SCALÆ DEI

Dertusanus diaconus, Juris utriusque Doctor; dum Romæ versaretur, relicta Curia se Ordini nostro consecravit, anno 1582. Vir fuit maturitate morum et gravitate spectatissimus apud omnes, plane magnus ob virtutes eximias et ardentem Dei amorem, quem præmatura mors rapuit, anno 1585, ingenti cum omnium dolore ob conceptam de eo spem.

Ex Annalibus Scalæ Dei.

GODELINA DE BOOT

PRIORISSA BRUGIS

Per quatuordecim et amplius annos hujus parthenii Moderatrix, amplissimam patientiæ materiem habuit tum ex articulari morbo, tum ex dierum malitia; ad extremam siquidem redactæ fuerunt inopiam moniales ob bellicos tumultus. Sustinuit has ærumnas Godelina constanter admodum, animos induta viriles, suoque exemplo filias ad harum tolerantiam provocabat. Fuit castigatissimæ conversationis, cibi potusque parcissima, provida consilii, magna rerum usu et exercitatione prædita, quæ adfuit divinis Officiis magna cum pietate et vigilantia. Exegit in Ordine 57 annos, naturæque debitum persolvit anno 1603, die 20 Maii, juxta Catalogum Priorissarum, et die 22 Maii, juxta Chartam Capituli.

JOANNES DE VAUBECOURT

VICARIUS DIVIONIS

Vitam monasticam professus, anno 1607, 17 Januarii, eximia sanctitate præluxit per triginta circiter annos, quibus Vicarii munus obivit; columbina simplicitate ac summa in omnes bonitate præditus, ambulans sine querela coram Deo et hominibus, apud quos ea in existimatione erat et veneratione, ut perillustris princeps Henricus Condæus Burgundiæ Gubernator diceret : « Si Cartusiensis Ordo viris sanctis illustretur, Joannem de Vaubecourt jure merito inter illos esse adscribendum »; qui pacis, silentii ac solitudinis amantissimus diu mira cum pa-

tientia infirmitatem sustinuit, nusquam passus sibi a quoquam ministrari. Tandem Vicariatu exoneratus, in silentio præstolans salutare Dei, ad beatam immortalitatem migravit, anno 1653, die Maii vigesima.

XXI DIE MAII

STEPHANUS VENERIUS

PRIOR VENETIARUM

Nobilis Venetus; professus Venetiarum, anno 1507, electus in Priorem se se semper bonorum operum præbuit exemplar. Addictus siquidem mortificationi, orationi, jejuniis vigiliisque, stetit super gregis sui custodiam Pastor vigilantissimus; effusæ in omnes charitatis, dum erga se durus præ paupertatis studio, vix necessaria tum in victu et vestitu sibi indulgeret. Statutorum tenax, dono lachrymarum et contemplationis a Deo decoratus, relicta sanctitatis opinione, vitæ cursum absolvit anno 1511, post celebrationem Comitiorum Ordinis.

JOANNES DE BREIDA

PRIOR COLONIENSIS

Vir exemplaris et industrius, qui fuit initiator Cartusiæ Ruremundensis; quique bonorum operum plenus, sancto fine quievit in Domino, anno 1377, die 21 Maii.

Ex Chronico Cartusiæ Coloniensis.

XXII DIE MAII

HUMBERTUS DELPHINUS

ARCHIEPISCOPUS ALEXANDRINUS

Sanctis viris Jacobo de Viviaco et Joanni Birello Cartusiæ Prioribus singulari junctus amicitia, cum Cartusiensi habitu insigniri vellet, ab iis ob delicatam corporis complexionem dissuasus, Ordini Fratrum Prædicatorum nomen dedit. Qui tamen quamdiu vixit ita Cartusianis fuit addictus, ut in vestes monachorum redditus congruos assignaret, et cum iis in Parisiensi Cartusia, in domicilio quod ibidem construxerat, commoraretur. Decessit anno 1355, die 22 Maii, administrator perpetuus Ecclesiæ Remensis; jacet autem in Ecclesia

FF. Prædicatorum Parisiensium. Habuit plenum Monachatum per totum Ordinem.

JOANNES MICHEL

PRIOR GALLIONIS

Professus Parisiensis; ex regimine Divionis ad Gallionis moderamen a Cardinali Borbonio ob vitæ sanctimoniam expetitus, ibidem spiritum Deo reddidit, anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, die vero 22 Maii.

LUPUS DE SOMMOROSTRO

PROCURATOR DE PAULARI

De quo Manuscriptum Cartusiæ de Paulari agit his verbis :

« Equuleus virtutis animique ægritudo corporis est; quique in eo quæsitos labores non perdit, radicatam illam bene demonstrat. Vixit inter nos vir iste ab anno 1521 usque ad annum 1558. Sanctitate clarus, sed patientiæ insigniter munere a Deo donatus; quam præsertim exercuit in longa continuaque fere ægritudine, languoreque pedum et tibiarum ulceribus laborantium, dolores morbi hujus æquanimiter tolerans. Eoque patientia est progressa ut incuriam medentis non sine aliorum admiratione dissimulaverit. Curatis ulceribus ille linteolum superposuit, solito more illud assuens, ne decidente eo malum aliquo contactu ingravesceret. Contigit vero ut quadam die altius insuens non solum linteum, sed et cutem linteo affixerit et afflixerit ; quod patientissime ferens infirmus omnino tacuit, superadditum dolorem æquo animo portans, donec ille denuo reverteretur ulcera curaturus. Advenienti autem ei nec tum est locutus, quousque ipsemet incuriam suam animadverteret : ne forsan patientiæ fructum jam quæsitum occasio præsens vel minueret vel eriperet. Dissuens ille animadvertit suam negligentiam istiusque patientiam, dolensque recessit et publice omnibus Religiosis fortitudinem animi enarravit. E vivis excessit Lupus, die 22 Maii, anno 1558. »

FABIANUS CANNETE

CONVERSUS DE PAULARI

Patria Vallisoletanus ; adulta ætate jam erat, præclarisque dotibus naturæ præditus, quando suscepit Religionis habitum ; atque ideo post emissam professionem occupatus fuit majoris momenti obedientiis, in quibus se virum prudentem, pium, exemplarem et observantissimum gessit ; sedulus etiam fuit coquinæ administrator, et Novitiorum Magister, quibus præibat castigatissimis moribus ad gradiendum per vitæ perfectioris semitas. Variis postea

affectus morbis circumvicinorum pagorum redditus annuos recepit, se interim assidua chori frequentatione præparans ad adventum Domini; ad quem collectis bonorum operum manipulis, ex hac vita migravit, anno 1662, die 22 Maii. Vixerat in Ordine 18 annos. Hujus monasterii Superior in habita concione funebri testatus est se, quoties Fabianum in cellula convenisset, toties reperisse orationi vacantem.

PETRUS GILBOURDET

CONVERSUS ROTHOMAGI

Brevi hocce elogio celebratus per Chartam Capituli generalis anni 1668: « Obiit Frater Petrus Gilbourdet Conversus Cartusiæ Rothomagensis, qui 56 annis laudabiliter et humiliter vixit in Ordine, habens Anniversarium sub die 22 Maii. »

XXIII DIE MAII

ODILO

MONACHUS CARTUSIÆ

Pater sancti Hugonis senioris episcopi Gratianopolitani. Jam olim in militari habitu, tantæ sanctitatis emicuit prærogativa, ut in veritatis et castitatis virtutibus paucos haberet consimiles. Ut autem sanctus sanctificaretur adhuc, ævo jam gravis, sanctissimo monente filio, tanto fervore contempsit sæculum, ut senectutis immemor et delicatæ consuetudinis, duras quas Cartusia propter verba labiorum Dei custodit vias aggredi non dubitaverit; ubi annis fere decem et octo in tanta sobrietate, tantaque vixit in humilitate, ut cunctis ibidem Deo famulantibus charus, cunctis haberetur veneratione dignissimus.

Cui viam universæ carnis ingressuro, (erat quippe ferme jam centenarius) Venerabilis affuit filius, eumque propriis et inunxit et sacra Communione replevit manibus. Expletoque condigna veneratione tam sancto funere, obitus diem sicut et matris, eleemosynis, quoad vixit, celebrem duxit et Sacrificiis. Floruit Odilo circa annum 1110.

Obiit anno 1124, juxta Catalogum Virorum sanctitate illustrium D. Hugonis Buat.

Cujus Ganneronius obitum refert ad hanc diem in suo Martyrologio Cartusiensi. Guigo Prior Cartusiæ in Vita sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani meminit Odilonis; sicut et cæteri Rerum nostrarum Scriptores.

ALBERTUS

MONACHUS MONTIS DEI

Professus hujus eremi, circa annum 1161; cujus Petrus Cellensis honorifice meminit epist. 11, lib. 5 (epist. 46) sub his verbis : « Novellum illum Angelum vestrum A. salutate. » Ejus obitus notatur in Necrologio ad diem 23 Maii.

LAURENTIUS SURIUS

MONACHUS COLONIENSIS

Lubecæ circa annum Christi 1523, patre aurifabro, viro Catholico, natus, Francofurti ad Oderam literis operam dedit. Et licet inter Hæreticos fuerit educatus, de eo tamen merito dici potest quod olim sanctus Bernardus de beato Malachia Hyberniæ antistite scripsit : « Nihil eum plus de hæresi contraxisse quam pisces marinos de sale. » Neque id mirum, cum non ita multo post Coloniam Agrippinam missus studiorum causa, et Catholicis magistris et honestorum, doctorum piorumque virorum hospitio ac consuetudine assidue usus fuerit. Ibi enim in insignis illius Londinensis archiepiscopi Georgii a Schorboch, propter justitiam exulis, ædibus aliquamdiu habitavit. Hospitem etiam habuit doctum et valde pium sacerdotem Nicolaum Eschium, ac demum reverendum ac eruditum Theologum Andream de Heerle de Bardewick.

Studii etiam tempore, non cum quibusvis, sed probis nec minus pietatis quam studiosis literarum familiaritatem habuit et consuetudinem. Inter quos fuit imprimis Petrus Canisius Noviomagus, quocum de deserendo mundo et complectendo Religiosæ vitæ statu conspirarat, dum studiis vacaret, sicut uterque constanter, quod proposuerant, divina adjuti gratia, facto compleverunt. Et licet id prius Surius fecerit, tamen eodem anno uterque Religionem ingressus est. Absoluto itaque Philosophiæ studio, Coloniæ Magisterii lauream, anno 1539, eodem cum Arnoldo Birckmanno die, adeptus est, magna cum parentis sui voluptate.

Frequentare tum cœpit religiosos Patres Cartusiæ Coloniensis, et cum doctissimo simul et religiosissimo Patre Joanne Lanspergio crebro miscere colloquia. Quibus effectum, Deo gratiam tribuente, ut ad idem, asperum quidem carni et durum, sed animæ salutare vitæ genus, spretis universis mundi voluptatibus et vanitatibus, complectendum animum adjecerit, et circa annum Christi 1542 sacri nostri Ordinis habitum susceperit. Quod etsi initio parens tulerit permoleste, et ab eo vitæ genere variis modis avocare studuerit, pervicit tamen sua constantia, Deo adjuvante, omnia. Sic, ut expleto tyrocinii anno cum totius Conventus satisfactione, anno 1543, solennem ediderit in dicto monasterio professionem : et parentem quem antea adversantem pas-

sus fuerat, deinceps non modo placatum habuerit, sed etiam in se liberalem beneficumque.

In ista autem vita solitaria non otio se dedidit, neque talenta a Deo sibi concredita in terram defodit; verum quidquid ab Officiis divinis et Ordinis exercitationibus religiosis supererat temporis, studiis literarum impendit, non solum ut ipse disceret, sed aliis quoque ad pietatem excitandis et errantibus ad Ecclesiæ gremium revocandis prodesset. Inter cætera quæ evulgavit opera, collegit Sanctorum Vitas, quas tanti fecit Pius Papa V, ut Laurentium tali cohonestarit Diplomate :

« Pius Papa V dilecto filio Fratri Laurentio Cartusiano. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Librum SS. Patrum Vitas continentem a te nuper editum atque ad nos missum libentissime accepimus : qui quidem eo etiam gratior nobis fuit, quod opus in se continet a nobis semper desideratum, et ad refellenda Hæreticorum in easdem SS. Patrum Historias maledicta aptissimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuum, teque, quod coram Domino vacuus apparere nolueris, sed in ejus domum pro facultate tibi ab eo concessa, quicquid potueris, ultro obtuleris, debitis in Domino laudibus commendamus; cujus tamen laudabilis laboris tui gloriam imprimis ei tribuendam esse memento, a quo accepisti et velle et perficere : quod et a nobis, et ab omnibus piis et Catholicæ religionis studiosis merito laudaretur. Hortamur autem te, ut hujusmodi opere prosequendo, et de Ecclesia Dei bene mereri, et tibi apud omnipotentem Deum merita augere ne desistas, securus, te a Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 2 Junii, anno 1570, Pontificatus nostri anno quinto. »

Tot libris conscribendis intentus, nullam tamen ab Ordinis exercitiis petiit exemptionem, ne cui suorum offendiculum præberet. Pie animam efflavit anno 1578, die 23 Maii. Oculati testes affirmant, post Pii V obitum, in ipsius conclavi chartam quamdam repertam, continentem nomina doctissimorum quorumdam virorum, quos (si diutius supervixisset) in Cardinalium Collegium cooptasset : e quorum numero comprimis fuere Laurentius Surius, et Petrus Canisius.

Ex Chronico Cartusiæ Coloniensis.

LUDOVICUS DE MOULIERES

PRIOR AVENIONIS

Professionem emisit in Majore Cartusia, anno 1581, 12 Martii. Fuit patria Cadurcinus, nobilis genere, sed sanctitate nobilior; totus anagogicus, ita ut Angelicam potius quam humanam vitam duxisse credatur. Tantæ perfectio-

nis testes Italiæ Patres, una cum Prorege Neapolitano, cui valde familiaris extitit, Ludovicum celebrarunt; ita ut præfatus Prorex, cum non eum amplius in Cartusia Neapolitana videret, in hujusmodi verba sæpe proruperit : « Quis abstulit Sanctum nostrum ? Quo abiit Sanctus noster? Ipse est custos urbis et patriæ, qui plus orationibus suis quam nos armis potest. » Erat siquidem ipse Ludovicus verus Christophilus, insigni pietate et modestia decorus, taciturnitate et sublimi rerum cœlestium contemplatione donatus, ut vultu et gestu ipso se ipsum alium esse a cæteris mortalibus ostenderet. Vidisses namque membra composita, lumen oculorum sedatissimum non gyrovagum, et ita divina familiaritate fretum, ut ex insidente Spiritu ad hominum interiora pertingeret.

Vir erat observantiæ regularis, zelator Ordinis indefessus, sibi valde severus, aliis apprime suavis, quietis et concordiæ amator, et omnium temporis momentorum fidelis dispensator. Sic Religionis constantiam ante Deum servavit, ut tamen proximorum oculos non offenderet; sic humano foris studuit placere judicio, ut in occulto divinis non displiceret obtutibus: quasi sapientibus et insipientibus debitor, omnibus omnia factus. Fertur tamen non satis liberali manu fuisse ad largiendum subditis quæcumque necessaria; quod quidam tenacitati et avaritiæ tribuebant; religiosiores vero hujusmodi restrictionem ex observantia prodiisse asserebant, cum vellet suos ad anachoretarum priscorum inopiam et conversationem aliqualiter reducere. Quicquid sit, constat eum nihil ab aliis requisiisse, quod non ipse prior arctius observaret. Semper invitus ad officia evectus est, in quibus multa tum ab extraneis tum a domesticis est passus. Obiit Prior Avenionis, anno 1620, die 23 Maii. Priorem egerat in Domibus Portus Beatæ Mariæ, Neapolis, Pomerii et Boni passus.

PETRUS LE VERGEUR

PRIOR ARVERIÆ

Patria Rhemensis; professus Cartusiæ, anno 1595, die 24 Junii, clavum Ordinis tenente R. P. Joanne Michel; habitu autem Novitii donatus fuerat a R. P. Marchant. Generis nobilitatem virtutibus exornans, in spiritualibus exercitiis R. P. Joannis Michel usque ad obitum se exercitavit, addictus jejuniis, orationibus et vigiliis. Tandem senio gravatus, postquam die Pentecostes in prima Missa Corpus Dominicum devotissime sumpsisset, et sub nocte fuisset Extrema Unctione munitus, spiritum Deo reddidit, anno 1644, 23 Maii. Priorem egerat Arveriæ.

Ex Schedis D. Buat.

XXIV DIE MAII

GOSWINUS DE BECKA

GANDAVENSIS PRIOR

Ante Ordinis ingressum fuit Canonicus Cortracensis ac Juris utriusque Doctor perquam eximius; habitum suscepit in Cartusia Sylvæ sancti Martini, ubi et vota nuncupavit monastica. Sutor et alii referunt eum fuisse professum Domus Gandavensis, quod videtur intelligendum de secunda professione facta juxta sæculi illius morem. Primo Priorem egit in Cartusia Gandavensi ab anno 1417, et anno 1418, Visitatorem Provinciæ; deinde Domos Sylvæ sancti Martini, Tornaci ac Divionis administravit. Vir magnarum virtutum et Ordinis zelator, sapientia, auctoritate ac vitæ innocentia memorabilis; et ut sidus rutilans admodum emicuit, « inter Doctores doctior, inquit Bostius, sapientior inter sapientes, inter optimos melior, major inter maximos. Erat utique præco, interpres, internuncius mellifluus eloquii divini, Evangelii tuba, pacis Angelus, amicus Sponsi, Religiosorum gloria, columna Cleri, delitiæ plebis, oculus cæcis, patriæ lumen; turpe quidem putavit ab instituto majorum desistere, avitæ paternæque virtutis hæres, nihil habens non magnificum, non splendidum, non excelsum. » Fatis fungitur, anno 1429, die 24 Maii.

Præter Bostium, agunt honorifice de Goswino Dorlandus, Sutor, Petræus, Valerius Andreas, Swertius, Sanderus et Arnoldus Raissius.

JOANNES MELLET

MONACHUS NANNETENSIS

Patria Nannetensis; tam admirabiles in omni virtutum genere profectus edidit, ut quas alii non nisi difficili ac diuturno tempore improboque labore sibi comparare valent, is in ipso tyrocinii sui exordio virtutes consecutus videretur. Coluit ex animo paupertatem, suique despicientia seipsum superavit. Morum et sermonum mira erat illi suavitas et moderatio; nulli esse molestus, neminem a se tristem dimittere, rerum alienarum minime esse curiosus, loquendi de illis parcissimus, esse maximus osor detractionis; nutus Superiorum illi esse pro imperiis, animum suum illis semper apertum habere, illos impense observare, et iisdem vicissim carus esse; ardentissima

charitate ferri in Deum, cum quo familiaritatem contraxerat, quam ipse fovebat oratione prolixa ac singulari inter celebrandum devotione. Si quem extraneum in cellula admitteret, nullos miscebat sermones nisi de rebus spiritualibus. Mira inter morbos excelluit patientia.

Cum tot fulgeret cœlestibus donis, ad Vicarii officium assumptus, ex innata animi humilitate honoris hujusce vel potius oneris impatiens, omnem movit lapidem apud V. P. Joannem Chauvet Scribam Capituli generalis sibi amicissimum, ut ad solitudinis quietem rediret; post triennium voti factus compos, in silentio præstolans salutare Dei, anno suæ professionis 31, sanctissima morte diem extremum clausit, anno 1637, die 24 Maii.

XXV DIE MAII

BOSO

PROCURATOR PORTARUM

Ex primis incolis hujus Domus; cognatus sancti Anthelmi, quem suo et aliorum Fratrum exemplo ac præsertim sancti Protoprioris Bernardi exhortatione mundo subtraxit, ut colligitur ex Vita ejusdem sancti Anthelmi, cujus author sic de Bosone loquitur : « Cumque ad inferiorem ejus Cartusiæ (Portarum) domum venisset (Anthelmus videlicet) ea nocte retentus est a Fratribus, et Bosone Procuratore, mirabilis industriæ viro ejusque cognato etc., » Adhuc vivebat Boso anno 1141, et tertius nominatur in literis Falconis archiepiscopi Lugdunensis. A Guichenonio recensetur inter illustres sanctitate monachos Portarum.

STEPHANUS DE CHALMETO

PRIOR PORTARUM

Genere nobilis, pietate nobilior; spretis sæculi oblectamentis, anno 1135, in hac eremo inter Cartusienses adscriptus omni sanctitate floruit. Præerat huic monasterio anno 1171, juxta quorumdam opinionem.

Ex antiquis Portarum Monumentis.

MICHAEL CŒLIAN

PRIOR GANDAVI

Vir magnarum opum in sæculo, cui solitudinis amore valefaciens, in Cartusia Brugensi nomen suum Ordini dedit. Cumque esset castigatissimæ conversationis, a Reverendo Patre desi-

gnatus est primus nascentis Cartusiæ Gandavensis Moderator, ut sua virtute præluceret simul ac prodesset haud vulgari sua prudentia. Solerti industria multum laborans, hanc incremento notabili promovit tum in spiritualibus tum in temporalibus, multaque bona, redditus et eleemosynas acquisivit. De hac Domo bene meritus absolvit vitæ cursum in Cartusia Majori, anno 1337, die 24 vel 25 Maii, tempore Capituli generalis.

Ex Catalogo Priorum Gandavi.

MAURITIUS GABRIEL CORMIER

VICARIUS BURDIGALÆ

Patria Cœnomanensis; professus Cartusiæ et primus Vicarius Burdegalensis; vir disciplinæ regularis studiosissimus, Statuti tenax, ceremoniarumque eximius observator. Lugduni idem officium Vicarii exercuerat. Cumque præclaris virtutum suarum exemplis forma gregis factus fuisset, ad vitam immortalem migravit, anno 1623, 25 Maii.

LUDOVICUS BOSSÉ

VICARIUS PARCI

In erudiendis Novitiis valde strenuus; qui quo cœpit in Ordine eodem fervore decessit, anno 1624, die 25 Maii.

Ex Kalendario Domus.

HENRICUS VIARD

MONACHUS CARTUSIÆ

Professus Cartusiæ, anno 1600, die 15 Augusti; nobilis genere, sed virtute et moribus castigatissimis longe nobilior; multum fuit addictus orationi. Ejus etenim vita jugis fuit rerum cœlestium contemplatio, et mors illius in conspectu Dei pretiosa, quæ accidit in Domo Villæ novæ, anno 1637, die 25 Maii, ubi hospitabatur, relicta ingenti apud omnes sui opinione.

BASILIUS DU BEUF

PRIOR BELNÆ

Professus hujus Domus, pius, humilis et benignus. Eodem die quo Soror Margareta a S. Sacramento virgo sanctitatis eximiæ Carmelitana, sepultus est, sed ritu dissimili. Illa enim floribus ornata et delibuta pigmentis, quasi triumphatrix inhumata est, turbis populorum acclamantibus; hic vero vili tectus indumento in terram projectus est. Quod cernens Nobilis locum, Regius Belnensis, exclamavit : « Quam incomprehensibilia sunt Dei judicia! hunc

venerandum senem scimus virum sanctum, justum et habentem testimonium Dei in se, et tamen absque honore sepelitur ; illam autem puellam, quomodo vixerit, nescimus, nisi relatione sodalium, et eam solemni ritu Sanctis exhiberi solito prosecuti sumus. » Decessit Basilius anno 1648, die 25 Maii. Scripserat Libellum valde devotum et elegantem.

XXVI DIE MAII

GUILLELMUS DE BENEVENT

ARCHIEPISCOPUS EBREDUNENSIS

Ex Canonico Forojuliensis Ecclesiæ, Cartusianus in Domo Montis rivi, deinde Episcopus Diniensis, tandem ad sedem Ebredunensem evehitur ; cumque se Pastorem vigilantissimum exhibuisset, fatis cessit, die 26 Maii, circa annum 1202.

Gallia Christiana. Indiculus Virorum illustrium Ordinis nostri.

PETRUS ESCSWEGS

PRIOR TREVIRENSIS

Vir devotissimus, mitis, affabilis ; qui cum illibatum virginitatis florem servasset, meruit et Angelos (attestante venerando Patre Dominico Rutheno) corporalibus oculis videre in choro sub sphæra ignea, in instrumentis musicis cantantes, dum totus ipse per Matutinarum spatium absque ulla distractione in Deum absorberetur. Peste correptus naturæ debitum persolvit, anno 1439, die 26 Maii, (alias Martii).

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

JOANNES ET BERTRANDUS

CONVERSI CATURCI

Ambo interfecti ab Hæreticis in odium Fidei Catholicæ, martyrii palmam adepti sunt, anno 1580 ; quorum meminit Ganneronius in suo Martyrologio Cartusiano ad hanc diem. Eorum obitus notatur in Charta Capituli generalis anni 1581.

Eorum autem cædes narratur in hunc modum ex antiquis Monumentis deprompta : « Cum sectarii Calvinistæ urbem Cadurcensem invasissent, et strages multas edidissent, mox irrumpentes in Cartusiam, avaritiæ et tyrannidis stimulis agitati, eam omnimode diripuerunt, deinde tradiderunt incendio ; in qua conflagratione periit chartophylacium Domus, quod fuit irrepa-

rabile damnum. Fugatis interim monachis, soli duo Fratres Conversi reperti sunt; quos cum diuturniori tormento voluissent reservare tam ad ludibrium quam ad pecuniarum revelationem, veriti ne Catholici prævalentes eriperent captivos ex eorum manibus, brevi martyrio confecerunt illos, cum inverso capite ipsos dejecere in puteum, unde postea extracti honorifice sepulti sunt. »

FRANCISCUS GALEAZ

PRIOR DE COVIS

Vir in sæculo celebris ob facundiam dicendi et utriusque Juris peritiam; quæ quidem arbitratus ut stercora ut Christum lucrifaceret, in hac eremo professionem emisit, anno 1590, die D. Brunonis festo. Fuit imprimis orationi et contemplationi addictissimus, cui adjiciebat carnis mortificationem. Electus in Priorem de Covis, diu functus est officio Convisitatoris; in Ordinem redactus per Commissarios, paulo post a Capitulo generali Cartusiæ de Caçalla præficitur. Verum post biennium ad suas exauctoratus preces instantissimas, redux ad suam professionis Domum ibidem decessit anno 1614, die 26 Maii. Naturæ gratiæque multiplicibus donis exornatus multa sustinuit a Fratribus suis comprofessis, in quibus haud mediocria dedit patientiæ argumenta. Reliquit nonnulla sui ingenii monumenta, de quibus egimus in Volumine Castellæ.

MATTHÆUS BARCELO

MONACHUS SCALÆ DEI

E Sardinia oriundus; in Catalonia Notarium agebat, cum Religioni nomen dedit, anno 1567, die 28 Junii, cui multum inserviit negotia suæ Domus tractans, semper memor suæ professionis; quam tanti faciebat ut Novitios ad sæculum tanquam ad vomitum revertentes, lachrymis prosequeretur, Deum cum intimo doloris sensu rogans, ne in hoc mari magno facerent naufragium. Ad Superiorum suorum mandata volabat cum incredibili cordis ardore vir perfecte obediens. Porro cum ætate paulo provectior se se divino famulatui subjecisset, ita erga Deum ob beneficium vocationis gratulabundus erat, ut semper gratiam hanc et suam tenuitatem habens præ oculis, se cæteris existimaret inferiorem, quorum preces magna cum humilitate mendicabat. Singularis ejus devotio fuit inter sacrificandum, quo tempore non poterat continere lachrymas. Nec mirum, si sub tanto vitæ spiritualis magistro, V. P. Hieronymus Marti perfectus Christi discipulus evaserit. E vivis excessit Matthæus anno 1604, die 26 Maii.

Ex Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ Josephi de Valles, et ex Annalibus Scalæ Dei.

GISLENA DE WARLINCOUR

MONIALIS GOSNAY

A teneris annis addicta divino famulatui, ad extremum usque spiritum in innocentia sua permansit ac simplicitate. Per 40 annos Cellerariæ munus obiit ea cum mansuetudine, modestia et affabilitate morum, quæ omnium animos sibi conciliaret. Satagebat plurimum Sororibus Donatis instillare devotionem, ne rebus exterioribus deditæ nimis torperent in divinis. Cunctas moniales tanquam dominas suas venerabatur, quarum consortio se prorsus indignam credebat. Septem monialium mortis diem præsagiit, quas paulo post subsequens (postquam audiisset voce de cœlo delapsa, jam suæ vicis ordinem advenisse), sanctissime animam efflavit anno 1625, 26 Maii, anno 66 suæ professionis.

XXVII DIE MAII

MARQUARDUS DE WARTEMBERG

PRIOR PRAGÆ

De quo fit mentio in Historia Bohuslai Aloysii Balbini Societatis Jesu his verbis : « Marquardus de Wartemberg, qui perlustratis Europæ regionibus, cum omnia summa ab eo expectarentur, jamque honoris curriculo invehi cœpisset, restitit in speculis fati, ut cecinit Poeta. Reduxque in patriam post confecta longinqua itinera, tandem quieturus stetit, seque in hanc Domum recipiens, humilem Cartusiani habitum induit (non in Majori Cartusia, ut refert præfatus Balbinus). Sed Patres lucernam diu latere non permiserunt ; triennio quippe nondum in solitudine expleto ad summam Conventus instantiam Prior institutus est. Difficile dictu est quanta in veneratione ob sanctimoniæ odorem, consiliorum felicitatem, doctrinæ præstantiam, tam a suis Fratribus quam sæcularibus sit habitus : sed præcipue Pragensem Universitatem theologicis studiis illustravit. Consulebatur eo tempore, et velut ad oraculum adibatur Cartusia Pragensis, et Cartusianorum opera in sacris causis potissimum laudabatur.

« Fuit Marquardus Hussi acerrimus insectator, accusator et Hæreticorum Pragæ malleus ; ab iisdem maxime designabatur ad necem ; totque ac tam multiplices erant insidiæ, ut de communi amicorum et Catholicorum consilio cedere tempori, et Praga Brunam velut in exilium discedere cogeretur.

Demum postquam multas ærumnas et persecutiones ab ipsis Hussitis constanter sustinuisset, laborum mercedem recepit, anno 1421. »

HUGO JULIANUS

MONACHUS VALLIS CLARÆ

Professus Portus Beatæ Mariæ, hospes Vallis claræ; a Calvinistis trucidatus meruit martyrio coronari, anno 1568, circa hoc tempus.

Ex antiquis Monumentis hujus Domus.

JOANNES DE LIBRA

PRIOR CASTRENSIS

Patria Montalbanensis; duos Fratres habuit in Ordine, quorum unus nominabatur Raymundus, qui ex Minorum familia ad Cartusianos transvolarat. Alumnus fuit Joannes Cartusiæ Cadurcensis; ob eximias animi dotes admotus postea multarum Domorum regimini tanta præcelluit religione, doctrina et pietate, ut anno 1563, per generale Capitulum translatus fuerit ad moderamen Cartusiæ Mediolanensis et inferioris Lombardiæ, e regimine Domus Glanderii.

Extat luculentum de ejus existimatione testimonium in Charta capitulari anni 1564, cujus talis est tenor: « Priori Domus Mediolani non fit misericordia ; cui tamen ad altiora, majora et utiliora vocato injungimus et ob meritum obedientiæ committimus, ut pro Dei et Ordinis honore et animarum salute, ad Provinciam Aquitaniæ et alias Galliæ accedat, et ibidem juxta gratiam sibi a Deo datam pauperes in fide protegat, pusillanimes consoletur et confirmet, omnibus aliis postpositis. Interim et usque ad ejus reversionem ad dictam Domum Mediolani, regimen et administrationem ejusdem Domus in spiritualibus et temporalibus committimus D. Innocentio professo et Procuratori Cartusiæ Papiæ, qui absentiam et vices illius suppleat et exequatur. »

Per Chartam tamen, eodem anno, ipse Joannes de Libra institutus est Prior de Castris. Sed dum hæc a Comitiis generalibus sic de illo disponebantur, scelerata in ejus famam et caput conjuratio ab Italis quibusdam monachis conflabatur. Cum enim annis 1562 et 63 Provinciæ utriusque Lombardiæ et Tusciæ ab ipso et Petro de Stagno visitatæ fuissent ex speciali mandato R. Patris Prioris Cartusiæ, uterque munere imposito præclare perfunctus, nec Prioribus nec Visitatoribus ipsis pepercit, multis ad varios abusus stirpitus delendos Ordinationibus promulgatis, quæ per Capitulum anni 1563 corroboratæ fuerunt in hunc modum :

« Confirmantes acta et Ordinationes præcedentium Visitatorum et Commis-

sariorum, jubemus omnibus tam Visitatoribus quam Prioribus sub pœna absolutionis ab officiis, ut Ordinationes missas ad partem faciant diligenter observari ab omnibus subditis Ordinis; et ipsi prius eas observent, et Capitulo generali obediant pro Dei et Ordinis honore et salute animarum, ut alii eorum exemplo tracti, ab eis discant et veram obedientiam et observantiam, quia per eos vel proficit vel deficit Ordo. »

Utque ipsi suarum constitutionum observationem melius securiusque stabilirent, inchoatamque per Domos Italiæ perficerent reformationem, Priores ac Visitatores ambo constituuntur, ille hujus Domus et hujus Provinciæ, hic vero Domus Florentiæ et Tusciæ. Hinc quidam Cartusienses Itali, occulto animi dolore et odio in eos affecti, omnes vias cœperunt excogitare, quibus vel eos penitus perderent, vel saltem eliminarent ex Italia. Horum conjuratorum detecta proditione, Patres Ordinis daturi locum iræ, utrumque in Galliam per Chartam 1564 revocatum, novo et honorificentiori mandato cohonestant, lustrandi videlicet omnes totius regni Franciæ Cartusias. Et quanquam eos ab officiis quæ in Italia exercebant, non absolverint, suffectis solummodo in eorum locum duobus administratoribus, unum nihilominus Priorem Domus Castrensis, alterum Ruthenæ, et utrumque Visitatorem Aquitaniæ nominaverant.

Interea erumpente conjuratione apud Officium sacræ Inquisitionis de hæresi deferuntur; sed rumore tam atrocis accusationis ad aures Summi Pontificis permanante, ab eo accersuntur. In cujus conspectu ambo dixerunt suam causam ea verborum efficacia, ut Sanctissimus Pater non solum eos Catholicæ professionis sectatores declaraverit, verum etiam cognita eorum doctrina, dicendi facundia vitæque probitate, in virtute sanctæ obedientiæ utrique præceperit post reditum in Gallias de cætero sacris in ædibus plebi Christianæ prædicare Dei verbum, quantumvis istud Cartusianæ solitudini refragaretur. Pœna vero calumniatoribus infligenda ad R. Patrem et Capitulum generale, jubente Pontifice, devoluta, sic exprimitur in Charta Capituli generalis anni 1565 :

« Reverendus Pater Cartusiæ cum assistentia et deliberatione totius Capituli generalis auctoritate, et vigore commissionis et remissionis sibi factæ per Illustrissimum et Reverend. DD. Ludovicum Symoneta S. R. E. Cardinalem, Officii SS. Inquisitionis Commissarium et nostri Ordinis Protectorem; visis Literis patentibus et privatis ipsius Rever. Cardinalis Commissarii et Protectoris, et processibus factis per Officium sanctissimæ Inquisitionis in Mediolano et Bononia contra VV. Patres DD. Joannem de Libra et Petrum de Stagno, tunc Priores domorum Mediolani et Florentiæ, Visitatores et Commissarios Capituli generalis; et omnibus mature consideratis; attento quod per dictos processus

vel aliter nihil apparet probatum sive verificatum contra dictos de Libra et de Stagno, quod sint culpabiles aliquo modo de hæresi sibi imposita, tenore dictorum processuum sive aliter suspecti confessi aut convicti; sed in contrarium apparet ipsi R. Patri, Capitulo generali et Ordini ipsos de Libra et de Stagno fuisse semper et esse veros Catholicos et sanctæ Fidei prædicatores et defensores: eosdem propterea DD. Joannem de Libra et Petrum de Stagno, modernos Priores Domorum Cartusiæ de Castris et Ruthenæ, Visitatores Aquitaniæ, ab imputatione dictæ hæresis absolvit et liberat, absolutosque et liberatos auctoritate prædicta et Ordinis declarat, salvo et reservato sibi jure agendi contra falsos instigatores et denunciatores, quos idem R. Pater auctoritate prædicta condemnat. » Infligit generale Capitulum pœnas calumniatoribus, quorum hic nomina subticemus.

Inter multa bona quæ præfati Commissarii in Italia Ordini conciliarunt, illud non minus computandum est, quod a Pio IV obtinuerint Literas sive Privilegium quo concessit Ordini, quod nulla Domus sive persona nostri Ordinis non amplius teneantur suscipere administrationem omnium bonorum, tam in spiritualibus tam in temporalibus, quarumcumque monialium tam Ordinis S. Benedicti, Cisterciensis, quam aliorum quorumvis Ordinum regularium, sicuti antea soliti fuerant, maxime in Italia. Extat diploma Pontificium quod in Catalogo Priorum Mediolanensium descripsimus.

Porro Joannes, in Galliam redux, officio concionatoris tam honorifice perfunctus est, ut omnes in sui admirationem raperet. Sermonis venustate, orationis elocutione, varietate Scripturarum, sententiarumque pondere, demum persuadendi vehementia, multos Hæreticos reduxit ad veritatis lumen, multos in vitiorum fæce jacentes ad meliorem frugem convertit. Verum quod mirandum magis, pius senex, quia Deo acceptissimus erat, oculorum lumine orbatus, aliena ductus manu ad suggestum ita mentes auditorum percellebat, ut feminas nobiles, nescio quo vestitu, quem *vertagadin* vocant, exornatas, hæc mundanæ vanitatis insignia prorsus deposuisse, ipso adhortante, opinio sit.

Cadurcensi intercepta urbe ab Henrico rege Navarræ, Cartusia pariter in Principis manus devenit. At Henricus, audita Joannis tunc ibi degentis fama, ipsum cum Ministro suo de religione voluit audire disputantem. Pseudodoctorem Joannes aggressus ita male habuit prudentibus responsis, ut obmutescente iniqua loquentis ore, Rex ipsum irridens dixerit: « Debebas, barde, hoc lepidum sapiensque Patris dictum prævidere. »

Multis de hæresi, de vitio, de sæculi vanitate reportatis nobilitatus triumphis, de Ordine nostro ac de Republica Christiana bene meritus, cœlesti donandus præmio spiritum Deo reddidit.

Cujus obitus describitur in Calendario Cartusiæ Borboniensis in hunc modum : « Anno 1582, die 27 Maii, obiit D. Joannes de Libra professus et Antiquior Domus Caturci, secundo de Castris, et olim Prior Domorum Glanderii, Villæfrancæ, de Castris, Caturci, Mediolani et Visitator Aquitaniæ et Lombardiæ propinquioris, qui 50 annos laudabiliter vixit in Ordine; quique cum eruditus esset admodum et doctus, sæpius ex indulto Summi Pontificis verbum habuit ad populum Tolosæ et alibi, nam egregius fuit concionator et ecclesiastes, necnon zelator Ordinis præcipuus. »

MICHAEL BOUDET

PRIOR POMERII

Patria Campanus, urbe Sammenchildensi exortus; anno 1591, 8 Decembris, emisit professionem in Majori Cartusia. Quamdiu vixit in Ordine, fuit vir admirandæ austeritatis, abstinentiæ ac sobrietatis, sibi admodum severus, et in alios mansuetus ultra modum, apprime doctus, Jurisconsultus, pudicus, prudens, et summa affectus erga pauperes charitate. Cujus quidem luculentum extat in Cartusia Pomerii testimonium. Cum enim aliquando a Procuratore monasterii admonitus fuisset frumenti modicum in granario superesse, illud tamen quod pro familia œconomus reposuerat, jubet Michael statis diebus juxta morem mendicis distribui; cumque largissime eleemosynæ erogarentur, frumento tamen nunquam deficiente, curam rei domesticæ gerentes Dei providentiam servo suo adesse animadverterunt, qui panes quos egenis largiti fuerant illi e Cœlo redditos compensavit. Ita autem orationi fuit addictus, ut ubicumque esset orare videretur. Hujus vitam innocentem demirantes Religionastri Gebennenses et alii viri Catholici merito nuncupabant eum virum Sanctum. Interea partim infirmitatibus partimque senio confectus felici morte ad cœlos evolat, anno 1629, die 27 Maii, in Domo Pomerii. Præfuit etiam Valli bonæ.

Ex Manuscriptis.

XXVIII DIE MAII

MONACHI PRAGÆ

MARTYRES

Cum primum Hussus hæresiarcha signum dedisset adversus Catholicam Ecclesiam, ad primum buccinæ illius aut potius anseris clangorem, non Archiepiscopus Pragensis solum et Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici, sed et ipsi religiosi Ordines per Bohemiam ex adverso magnis animis pro veteri religione tuenda surrexere. Ex his duorum præcipue Ordinum Cartusiensis et Prædicatorii ardentissima pro religione studia commendantur, prædicatque Dubravius Olmucensis episcopus. Cartusienses certe periculo animadverso, ex sacra sua solitudine (ut olim magnus Antonius, hæresi Ecclesiam premente) in medium progressi, non modo libris editis et disputationibus susceptis restitere, sed etiam ut indicat idem Dubravius, actionem et accusationem adversus Hæresiarcham ordinavere; quo majus etiam et capitalius in se Hæreticorum odium concitaverunt, cum hæresis ultionis et vindictæ avidissima semper, nihil cupiat magis quam eos qui restiterint, perire. Tantumque fuit odium ac verius rabies, ut cum alia cœnobia quæ deleverant, ex acervis saxorum et lapidum saltem conjiciamus stetisse, in Cartusiensium duobus cœnobiis apud nos (loquitur Balbinus, Bohemus natione, historicus) non lapis ac ne vestigium quidem ullum supersit, ablatis cum pulvisculo, ut Plautine dicam, monumentis omnibus. Duobus his cœnobiis intelligit Balbinus Cartusiam Pragensem et Rubi Beatæ Mariæ prope Litosmilium quam putat stetisse usque ad Orphanorum tempora.

Post damnationem et supplicium Joannis Hussi et Hieronymi Pragensis socii ejus, discipuli eorum sequacesque omnes in unum convenientes, imprimis memoriam defunctorum consecrant, celebrandamque quotannis decernunt. Exin, per amicos nonnullas Ecclesias a rege Wenceslao sibi tradi extorquent, in quibus suæ plebi prædicare Sacramentaque ministrare libere possent. Neque his contenti, monasteria quædam et ecclesias passim evertunt, variosque tumultus concitant.

Marquardus de Wartemberg, Prior Cartusiæ Pragensis (cujus consanguineus si non frater, Czenco de Wartemberg, tunc erat summus regni Præfectus) Hussi acerrimus insectator, accusator et Hæreticorum Pragæ malleus, ab iisdem

maxime designabatur ad cædem : totque ac tam multiplices erant insidiæ, ut de communi amicorum et Catholicorum consilio, cedere tempori, et Praga Brunam velut in exilium discedere cogeretur. Monachi de suo Priore solliciti, supplicant Capitulo generali ut aliquem ad eum mittant, qui eum consoletur. Hinc per Chartas annorum 1418 et 1419, « injungitur Visitatoribus, quatenus prout Conventus nobis scripsit, Priorem visitent indilate, eidem Domui provisuri, prout viderint opportunum. »

Hæc profectio Marquardum nostrum ejusque itineris comites aliquot morti subtraxit. Namque ab Hæreticis interea Pragæ horrida tempestate, anno 1419, die 30 Julii, rursum excitata, Senatores tunc cum Prætore in curia judiciali aut trucidantur aut crudelissime de fenestris præcipitantur, gladiis, telis, hastisque excipiendi. Wenceslaus rex hoc audito turbatur, et inter manus aulicorum apoplexia tactus cadit, et non post multos dies moritur, die videlicet 16 Augusti. Non hoc impetu Cartusiam invaserunt, ut quidam scripsere, sed tantum post mortem Wenceslai, ut constat ex literis Cartusianorum Pragensium datis ad Priorem Cartusiæ Erfordiensis post suam ejectionem, et inferius ad majorem horum elucidationem describendis : in quibus narrant quomodo feria quinta post Assumptionem Beatæ Mariæ, quæ erat 17 Augusti, furibundi Hussitæ, quorum ductor erat Joannes Barbatus, magister civium antiquæ civitatis Pragæ, invadentes ecclesias et monasteria in omnibus civitatibus Pragæ, hoc est, in nova, antiqua et parva civitate, imagines ubique fregerunt, sacrasque Sanctorum Reliquias comminuentes proculcavere. Tandem hora quasi secunda ejusdem diei 17 Augusti, tota tempestas in Nostros incubuit, ut in dictis literis legere est. Hanc in Nostros exercitam rabiem ex Hagecii Bohemiæ principis Historici narratione in Latinum versa refert Balbinus his verbis :

« Forte per id tempus, ante cataractas et molarum aggeres lignorum, plurimæ rates appulerant, ut ad alteram Moldaviæ ripam tuto liceret transgredi. Ergo fæx hominum furiosa transeunt et in cœnobium Beatæ Virginis Mariæ in Augerd (quod Joannes Rex cæcus anno 1341 splendidissime exædificaverat) irruunt, spoliant, et subjecto igne concremant. Monachos, venerabiles senes, vinctos trahunt in veterem urbem, capitibus eorum spineas coronas imponunt, habentque ludibrio. Postquam ad pontem medium ventum est, quidam e ponte dejiciendos et mergendos esse clamant, alii repugnant. Rixa ac deinde pugna ipsorum Hæreticorum exoritur, vulnerati non pauci, duo etiam ex ipsis occisi sunt. »

Hinc forsan auctor Vitæ S. Joannis Capistrani minus caute asseruit quosdam ex nostris Patribus tunc fuisse occisos, sed in literis mox subjiciendis

videbimus nullam plagam aut vulnus ipsis fuisse inflictum. Alii quoque Scriptores, ut Æneas Sylvius, Nauclerus, Dubravius, Zacharias Theobaldus, dicunt solummodo Cartusiam fuisse incensam et monachos eliminatos tanquam populo inutiles.

Pergit Balbinus : « Hujus totius sceleris in Cartusianos et sacrilegii admissi causa in Joannem Bradatii, veteris urbis Consulem conferebatur ; quidam Marzik ex nova civitate coronarum opifex, indutus habitum sacerdotalem, sacrum calicem manu præferens, tripudiansque et gesticulans Cartusianos anteibat, quos in carcere antiquæ urbis in ipsa curia (undecim numero) detrusere, arcte foribus conclusis. Senatui antiquæ urbis tumultus iste non placuit, ideoque citatum sacrilegum illum Marzik conjecerunt in vincula, et sero diei illius (quantumcumque Consul Bradatii repugnaret) caput amputari jusserunt, velut tumultus in quieta urbe auctori.

« Altero die Senatus Cartusianos invisit in carcere ; reperti sunt non amplius decem, cum pridie undecim intrassent. Ergo vectibus et seris multiplicatis arctius custodiri jusserunt. Tertio die reperti sunt novem ; quærunt Consules, quo duo jam Fratres devenissent ? Respondent : « Dum una cum iis nos omnes in faciem procumberemus, Deum pro nobis et inimicis nostris orantes, nescimus quo devenerint. » Responso dato, Cartusiani reducuntur in carcerem. Paulo post Senatus universus cum Consule Joanne Bradatii in carcerem venit, alloquuntur singulos, et magna diligentia sæpius numeratos novem restare comperiunt. Tum discedunt atque in præsentia sua oppessulari diligenter omnia jubent ; nec ista diligentia contenti, annulis et sigillis suis fores ipsas, seras, et quicquid ejusmodi fuit, obsignant. Mane altero reversi, unum iterum desiderari vident, octo tantum relictis. Attoniti rei novitate quærunt ubi nonus quem heri viderant esset ? quo devenisset ? Respondent : « Charissimi filii, ut jam diximus, nobis orantibus, quo alteri et iste devenerint, prorsus ignoramus. » Senatus ergo miraculo flexus, liberos omnes esse jubet et protinus e carcere dimitti, dato etiam commeatu et ex satellitibus comitatu, qui in Moraviam ituros deducerent et securitatem præstarent. » Hæc Wenceslaus Hagecius Pragensis Ecclesiæ præpositus, vel potius ex eo Balbinus.

Hæc eadem ex ipso autographo transcribi et sibi mitti curavit V. P. Franciscus de Quintana, dum restitutionem Domorum Ordinis in hac Provincia nobis ablatarum urgeret. Hoc autem exemplum bene concordat (licet alio stylo) cum Balbini verbis, addito tali exscriptoris testimonio : « Hæc ex Annalibus Bohemiæ a venerabili et Catholico sacerdote Wenceslao Hageck de Liboetan diligenter descriptis, et a Serenissimo rege Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ Ferdinando, Senatoribusque terrestris judicii nomine omnium

statuum regni Bohemiæ examinatis et approbatis, bona fide excepta sunt ad gloriam Dei et singularis virtutis pietatisque celebris familiæ Cartusianorum commendationem. Lithomislii in regno Bohemiæ, 30 Junii, anno 1591, in gratiam R. P. Francisci Ordinis Cartusiani Visitatoris. »

Ex his certe et miraculi magnitudo et Christi pugilum fortitudo cognoscitur. Felices profecto qui ad Christum extra castra improperium ejus portantes exierunt, et imitatione Christi spineam ferentes coronam præluserunt morti, quam quidam ex eis pro nomine ejus postea sustinuerunt.

Dimissi igitur et ex Hæreticorum rabie ad tempus liberati, ad insigne Benedictinæ regulæ, sacræ Cisterciensium reformationis monasterium, Zedelitz nuncupatum, octo milliaribus a Praga Moraviam versus situm, se receperunt. Ex quo loco fusissimas ad V. P. Priorem Cartusiæ Erfordiensis, Joannem Rotlos, literas scripsere sequentis tenoris :

« Præsentetur D. Joanni Priori Cartusianorum Ordinis in Erfordia. Salutem et pacem Jesu Christi. Venerabilis et charissime Pater. Custodiens parvulos Dominus, longanimis et multum misericors, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam et humilibus dans gratiam, in nostro quoque pusillo grege misericordiam suam dignatus est adimplere, ut digna lætaque laude nomen ejus benedictum exaltemus in idipsum, qui suos tentat famulos ut sic confundat æmulos, qui præsertim nos servulos suos in se confidentes multiformiter et enormiter vexatos, in fide sancta, obedientia justa, et observantia digna servavit constantes et intrepidos, in variis tribulationibus et pressuris custodivit inconcussos, et a faucibus leonum ferocium et vorantium eripuit illæsos, a morsibus luporum rabidorum defendit sanos et incolumes, salvosque transtulit ad habitationem sanctæ Religionis et divinæ servitutis, ad monasterium Ordinis Cisterciensis prope montes Cuthniz, dictum Zedelitz vel Sedul, quatenus illic sedule licita zelantes, sine intermissione oremus et laudemus ipsum misericordissimum Dominum, qui nos fecit cedere litibus et recedere a litigiosis hac vice locis et hominibus, et adduxit ad Domum pacis, ut sedatis litibus, zelum exerceamus charitatis, donec Deo pacificante Pragam cum locis vicinis in circuitu, valuerimus operante Domino repetere Domum nostram, monasterium destructum reformare, sanctuarium pollutum emundare decenterque renovare, ad religiosum statum et ad divinum cultum desertum Beatæ Mariæ Virginis Hortum excolere, vastatam Joannis Baptistæ eremum redigere ad puritatis affectum et ad salutis effectum; quatenus cum sancta plantatione cœlesti irrigatione Deus donet incrementum, quatenus hinc assidue eremus salutaris professis peculiaris, locus præmialis, hortus ca-

stimonialis, producat et nutriat arbores viventes, herbas virentes, efficiat frondere, promoveat florere, germinet et proferat, conservet et foveat stipitem floriferum, florem odoriferum, semen fructiferum, fructum salutiferum.

« Hic fiant et prodeant piæ preces, gratæ laudes, dulces meditationes, dignæ contemplationes, cæteraque spiritualia opera et exercitia in fide vera, spe sincera, digna charitate, vitæ sanctitate, morum honestate, cum omnibus virtutibus pacem conferentibus. In qua pace sedatis litibus, charitatis zelo continue mereamur agere devotas orationes, decoras laudationes, Dominum adorando summeque venerando, vobis cum cæteris etiam adversariis pacem adoptantes, ipso Deo glorioso pie prosperante. Unde, Pater charissime, etsi tribulatis et tentatis compati noveritis, potius tamen congratulari velitis Dei dono patienter sustinentibus spe melioris retributionis in futura gloria vitaque perenni. Ut autem utriusque, piæ videlicet compassionis digniorisque congratulationis, agnoscatis materiem et seriem gestorum, vestra paterna Charitas attendat infrascripta.

« Post crebros namque terrores minaces mortis et exterminii nostræ Domus et personarum, multifarie multoque tempore nobis prætensos et incussos ab infidelibus, profanis et perversis, Christianæ Fidei, debitæ subjectionis, sanctæ Religionis, omnisque virtutis æmulis et apostatis, a defuncto Domino Rege nostro feria quarta in crastino Assumptionis Beatæ Mariæ semper Virginis gloriosæ Dei Genitricis : mox, die sequenti, scilicet feria quinta, congregata gens iniqua, inimica Crucis Christi et Sanctorum, insaniens ad sui maligni propositi perpetrationem, decurrit et discurrit ad diversas Ecclesias et monasteria Pragæ, gloriosas et venerandas Reliquias et imagines Domini Salvatoris et Sanctorum inibi concutiendo, conculcando et comminuendo, resque valentiores et clenodia sumptuosiora rapinis mancipando.

« Tandemque hora quasi secunda ingenti gravique multitudine cum gladiis et fustibus, cambutis et securibus, malleis et ligonibus, lanceis et celtibus, balistis et cuspidibus, loricis et thoracibus, instrumentisque diversis, armis et defendiculis (seu magis offendiculis), in nostram potenter et hostiliter irruerunt Domum, sævientes in nos pauperes pariter in choro provide congregatos, maledicentesque et opprobriis multiformibus atque contumeliis verborum et comminationum per elevata quandoque et extensa percussionis instrumenta et arma quasi vulnerare vel occidere cupientes, non modice terruerunt; effringentes ostia cellarum, cellariorum, promptuarii, cæterorumque nostrorum ædificiorum pro sua nequitia maxima, in victualibus, supellectilibus aliisque rebus fecere damna, cuncta talia reperta distrahendo, devorando, vel alias destruendo : quemadmodum potus et alia,

quæ consumere vel deferre non valebant, in terra fusa humanis usibus fecerunt inutilia, in lutum convertentes atque conculcantes; nobisque dolorosis oculis inspicientibus, in choro et in ecclesia secuerunt et confregerunt tabulas altarium, imagines et Reliquias adhuc inventas irreverenter tractaverunt; etiam Venerabilissimum Dominicum Sacramentum de suo loco sine honore transferentes.

« Distractis et direptis vestimentis nostris atque libris, rebusque cæteris rapinis addictis, nos humiles ejusdem Domus incolas jam multiplicibus subsannationibus et opprobriis perturbatos, vi compulerunt exire et extraxerunt de monasterio, dicentes nos debere præsentari scabinis Pragæ civitatis antiquæ ad disputandum de Fide et observantiis suæ sub utraque specie, ut asserunt, Communionis evangelicæ opportune.

« Hinc ergo deducentes nos, et circumdantes baculis seu fustibus in circuitu, quasi in furibus, ne fortassis evaderemus, quamplurimis affecerunt contumeliis et derisionibus in via, cantantes cantationes suas Hussonicas aliasque subsannatorias; et notanter in transitu nostro versus civitatem, portam primam claudentes, stare nos fecerunt, cecineruntque carmina sibi placita in nostrum dedecus et confusionem; quam mox aperientes, simili sicut prius deduxerunt comitatu per parvam civitatem usque ad valvam prope pontem, juxta domum quondam Ducis Saxoniæ, ubi pariter cantilenas suas frequentantes, nobiscum fecerunt stationem, ipsa valva ante nos paululum mox conclusa; rursumque reserata, nobis pertranseuntibus, quasi in medio pontis facientes morulam referuntur protulisse : « Faciamus hic eis sepulchra, » et nonnullos instrumentis percussionis nobis minabantur ictus.

« Unde amplius deducti usque ante Schatellaniam, spectaculum fuimus hominibus utriusque sexus, contrariique sensus et affectus in observantia Fidei; quorum plurimi Fidem tenentes orthodoxam, nobis compatientes, lachrymosos exhibebant cultus. A parte vero contraria, sectantes hæresim aut Fidei detestabilem errorem, quidam nobiscum pergendo de sua disputavere secta, conantes inducere ad abominandas suas observantias; alii autem a longe de domorum fenestris aut januis contuentes, cachinnatorias præferebant facies atque voces; nonnulli quoque perfidi sectatores suspiriis gemebundis, vocibus et aspirationibus, visi sunt nobis condolere miserabiliter sic tractatis.

« Cum autem staremus ante prætorium circumvallati plurimis latronum et prædonum turmis, clauso ante nos prætorio, referuntur dixisse : « Reducamus eos ad pontem. » Qua audita mortifera voce, scabini, ut nobis retulerunt, statim descendentes de prætorio, susceperunt nos de manibus eorum, et circumducentes inter institas, per

aliam januam minorem introduxerunt in prætorium, ascendentes quoque nobiscum ad locum suum præstantiorem in stuba consulari fecere commanere ; ubi Magister civium et scabini quidam, velut nobis cordialiter compatientes et excusantes se, quasi in talibus adversitatibus nobis illatis non fuerint sibi conscii, etiam inter cætera protestabantur se talia non ordinasse, adjicientes se non tenere nos in captivitate : quod autem suscepissent nos, dixerunt se fecisse hoc, ut nos redimerent de manibus turbæ popularis et concitatæ communitatis, quæ fortassis majora nobis intulisset, et crudeliter cruciasset, sive peremisset.

« Post plura denique verba consolatoria et excusatoria, dimiserunt nos ad pernoctandum in eadem stuba ; ubi pro lectis utebamur pavimento, habentes miseriam pro substractoriis, patientiam pro pulvinaribus, et charitatem, quantum Deus concesserat, pro coopertorio: quæ sicut operit multitudinem peccatorum, sic et defendit ab impetu inordinatorum motuum doloris et impatientiæ, et injúriarum caumatibus, et tribulationum imbribus provenientium et contingentium undecumque. Quapropter pluribus inter nos parum aut nihil dormientibus ista nocte, maturius surreximus ad dicendum Matutinas Horis cum sequentibus, et in tanto tempore prætorium versum est in Oratorium.

« Mane vero facto Schrobach, civis de principalibus scabinis nos visitans, post se vocavit dicens se velle nos reducere ad monasterium nostrum ; cui statim occurrens ante prætorium quidam famulus suus recenter reversus de monasterio, dixit ipsum non posse nos facere tutos in monasterio remanere, eo quod adhuc existentes ibi violenti nimis essent suffusi et inordinati, qui continue multiplicantes devastationes et damna nobis minime parcerent, quinimo ferocius trucidarent. Perduxit ergo nos in alium locum Ordinis Cisterciensis, ubi, quamvis nos Divina conservante clementia, mente et animo non fuissemus nimium consternati, tamen pacem minime vidimus externam, sed incussis terroribus auditisque damnis et succensionibus habitationum nostrarum , anhelavimus ad locum securiorem.

Transeuntes in propinquo ad domum Domini Ducis Saxoniæ in qua duobus diebus commorantes, diversos habuimus visitatores cum cæteris compassionibus et consolationibus, nonnullas res et libellos nobis restituerunt. Timentes autem nos diutius fore non securos in civitate, dum nec scabini possent nos assecurare nisi usque ad feriam secundam propter machinationes populi furentis, Dominica indiescente, sub salvo conductu prædicti Schrobach nobiscum equitantis extra civitatem ultra vineas, et in nobis accommodantis duos balistarios, perreximus ad Domum Wiebicenensem, et feria secunda ad Catoniam.

« Feria tertia quoque in Octava Assumptionis, procedentes pervenimus ad monasterium venerabilium PP. in Cedul prænotatum, sub hora prandii monastici; unde R. P. D. Abbas, Domnus Prior, totusque Conventus surgentes de mensa, alacriter nobis occurrerunt, compassione pia atque gaudio nos reverenter susceperunt, humiliter et devote deduxerunt nos ad ecclesiam, inde ad refectionem diligenter præparatam, et demum ad cellas decenter provisas et dispositas; assignantes nobis specialem pro divino Officio conventualiter peragendo capellam bene competentem extra ecclesiam prope nostras habitationes; et in ecclesia pro Missis privatis honestissima deputaverunt in capella altaria, cuncta nobis necessaria pro divino Officio diligentissime ministrantes. Huc usque autem de victualibus nobis abundantissime providerunt per plures septimanas, donec Dominus Rex commiserit nobis de suis pecuniis debere necessaria ministrari; qui si non intervenisset, huc usque et amplius cupierant nobis in singulis subvenire et impendere non solum necessaria, sed et alia convenienter requisita ad sanctæ Religionis observantiam pro benevola exulum consolatione. Nam et hodie pluribus ipsorum rebus et beneficiis gaudemus et fruimur in Domino consolati.

« Ideoque divina dispensatione nobis eductis violenter de monasterio nostro manibus perfidorum, Domus ipsa sublimis et gloriosa devastata est, exusta ac spoliata usque ad lateres et lapides inclusive, quorum etiam partem audivimus asportari. Sed hanc providam Dei permissionem aut gratiam specialem confidimus salubriorem effectum consequi finemque sortiri digniorem, quatenus igne tribulationis consumpta peccatorum nostrorum rubigo, probataque patientia Dei dono servos Dei disponat et efficiat ad ampliorem Dei gratiam susceptandam; temerariumque factum authores suos cunctis reddat magis odiosos, in dissipationem suæ miseriæ factæ et detestabilis erroris destructionem. Nam nonnulli, in aliis eis consentientes, hanc iniquitatem ipsorum juste damnant; in cæteris excessibus et malitiis aperto volumine malignitatis et hæresis, ac comperto reprobo sermonum ipsorum proposito et operum scelestorum studio, discedunt a via ipsorum malignantium, nobis pie compatiendo, victisque divinæ Legis zelatoribus digne maledicendo sceleratos et injuriosos, affectus et actus ipsis malignis rationabiliter improperando, vitam quoque talium merito detestando.

Hinc ergo speramus, quam plures eorum ad pœnitentiam adduci, et obstinatos pœnis et exterminiis concludi, cum jam Domini terrestres hujus regni cum Domina Regina et populo fideli confœderati in multitudine et patientia prævalentes, advocatis Principibus Silesiæ cæterarumque terrarum propin-

quarum Fidelibus stipendio competenti, conentur et satagant præmissos Fidei Catholicæ prævaricatores et obedientiæ Romanæ contemptores, dextera Dei cooperante, penitus destruere et eliminare, ut pax vera vigeat, fides sincera clareat, ac Fideles gaudeant suo jure, singuli pro suo statu vel ordine; ab adversitatibus et turbationibus erepti, fruantur suis libertatibus et locis, ad honorem et gloriam omnipotentis Dei cuncta misericorditer, utiliter et prudenter dispensantis.

Serenissimus Princeps Dominus Rex Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ, propter congregatam in regno suo ingentem Turcarum seu paganorum multitudinem forti brachio cœlestis auxilii repellendam, hactenus tardans accedere Bohemiam in brevi speratur adventurus, cujus votis et commissionibus hic jam agitur contra operarios iniquitatis, apostatas orthodoxæ Fidei, malitiose zelantes legem Christi. Quo regnante hoc in regno, divino nutu commenta falsitatis et opera malitiæ perversorum, charitatis sanctæque consolationis impatientium, invidorum quietem ac solitariam vitam Religiosorum reprobantium, speramus debere clarius detegi, efficacius destrui et finaliter annihilari; ut etiam deficiant peccatores ab hac terra, et iniqui, ita ut non sint amplius hujus modi dogmatizantes aut sectantes hæresim et perfidiam suadentes, dissensiones communitatum et populorum, ac odia nationum in executionem operum et actuum malignorum: sic quidem non sint, per pœnitentiam conversi aut per pœnam oppressi vel occisi, ne prævaleant in antea Fidelibus nocere per hæreticam perfidiam et operum suorum malitiam execrandam.

« Nos igitur interim in monasterio venerabilium Patrum Cisterciensis Ordinis in Zedelitz prope montes Cuthniz honorabiliter suscepti, ipsorum ac aliorum multorum bonorum hominum beneficiis et subventionibus benigne confoti, et jam per aliquot septimanas de pecuniis Domini Regis ex ipsius commissionibus sustentati, comparamus etiam..... præter victum cætera necessaria, quantum poterimus, Deo conservante; decrevimus simul remanentes in eodem loco præstolari Domini Regis adventum, sperantes ex ipsius verbis, dum audiisset nostri monasterii destructionem, prolatis nobisque relatis per fide dignos, et ex assertionibus quamplurimorum bonorum virorum Magnatorum, reverendorumque Episcoporum, videlicet Baronum, Prælatorum, aliorumque statuum et conditionum diversarum, quod velit et merito debeat magnificentissimus Dominus Rex noster prænominatus reædificare et reformare Domum nostram sic miserabiliter desolatam, ut post lapsum et ruinam machinationibus impiorum factam, gloriosius erigatur, stabilius reparetur ac firmetur securius, illustratione divina solennior quam prius remansura; si saltem Fratres ad ipsam pertinen-

tes, in humilitate et patientia se servaverint et in charitate perseveraverint, in omnibus quærentes Dei gloriam, sui ipsorum salutem, et aliorum quantum potuerint ædificationem.

« Hortor ergo vestram paternam Charitatem ex hujusmodi divina miseratione gestis minime contristari, quin potius congratulari nobis pro veritate Fidei et obedientiæ justitia sustinentibus persecutiones et tribulationes. Utinam habeamur digni aliquid pati pro nomine Christi! quatenus fidelis Dominus cum tentatione faciat nobis proventum victoriosum, ut amplius si acciderint similia, vel asperiora mortem ingestura, possimus constanter sustinere, fortius resistere et gloriosius triumphare, vestris etiam intervenientibus precibus coronam æternæ beatitudinis post hujusmodi militiam et agonicum laborem in præmio suscepturi.

« Nec quemquam vehementer conturbent damna rerum temporalium amissarum præter ædificia, quia inspiratione divina præmoniti, res nostras communiter meliores, scilicet libros et clenodia prius alienaveramus, mittentes ad custodiam securiorem. Quædam quoque sunt nobis restituta post spoliationem, ita quod adhuc de talibus, si Deus ulterius conservaverit, habeamus majorem copiam quam aliquæ aliæ certæ Domus Ordinis, etiam aliqualiter reputatæ. Nihilominus multa perdidimus.

« Verum non parum æstimo debere compati miseris, qui talia perpetrarunt malitiam suam exequentes, et nequaquam evadent laqueum æternæ damnationis nisi egerint pœnitentiam de commissis. Unde decet nos pro talibus secundum Evangelicam doctrinam fideliter orare, velut pro inimicis calumniantibus et persequentibus nos, ne moriantur in peccatis, sed magis ut convertantur et vivant in perpetuum.

« Super omnia non utique pro nobis sed pro Deo et Sanctis ejus censeo dolendum summe, quia templum sanctum Domini violenter invadentes polluerunt iniquis actionibus, crudeliter concusserunt imagines Christi et Sanctorum, et comminuerunt aram summi altaris projicientes Reliquias Sanctorum; illuserunt sacratis Virginibus, ludentes, ut fertur, cum capitibus earum ex arca raptis in terramque projectis; destruxerunt altaria, et Reliquias extrahentes perdiderunt aut asportaverunt sine honore; aperientes sepulchra Nobilium in ecclesia sepultorum, moverunt corpora destruendo marmora; et in omnibus et præ omnibus quod est dolore plenissimum, sacrati templi Dominum, Sanctum Sanctorum, Creatorem omnium irreverenter tractaverunt: Venerabile namque Sacramentum Corporis Dominici de suo loco indecenter transtulerunt, quod et postea perditum fuit, nescio quomodo, subtracta furtim pixide in qua detinebatur, quæ non est nobis restituta.

« Qualis utique turpis inhonoratio summi Creatoris cunctis Christi fide-

libus debeat esse summe lachrymabilis et maxime dolorosa! respectu cujus singula nobis illata sunt minime plangenda. Nam si direptionem rerum sustinuerimus, nullas tamen plagas corporis aut vulnera suscepimus, quæ si nobis sic innocenter tortis accidissent, cum hujus ærumnosæ vitæ termino per mortem pretiosam in conspectu Domini, foret hæc passio magis gaudiosa, cum esset magis fructuosa, majus incomparabiliter conferens præmium æternæ beatitudinis et inæstimabilis gloriæ; cum non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quam nos pie speramus per multas tribulationes regnum cœlorum intraturi, gloriose consequi, æternaliter possidendam : quam nobis clementer præstet ipse victor gloriosus, qui superans omnes inimicos suos, etiam debellatis aeris potestatibus, post carnis occasum potenter resurgens, regnat in Cœlis cum Patre et Spiritu Sancto, Deus unus in æternum benedictus; cujus salutari munere vestra paterna Charitas cum omnibus piis nostris oratoribus in Christo salutandis, clementer salvetur atque perducatur in vitam sempiternam. Amen.

« Scriptum anno Domini 1419, in vigilia Sanctificationis Beatæ Mariæ Virginis gloriosæ Dei Genitricis in Zedelitz monasterio supradicto. »

Quæ subsequuntur adhuc adjecta erant ad epistolæ calcem : « Præterea profani sacerdotes, infidelesque populi sexus utriusque cunctas in monasterio perpetrantes abominationes pro libitu suo, de hoc præcipua narrantur (dolendum vehementer) quod nos Religiosæ vitæ superstites abire reliquissent, tanquam in nostro sanguine se reputassent manus suas festivius consecrasse, obsequium ipsum putantes Deo in sui detestabilem exultationem. Quod si sic placuisset glorioso Deo, potuisset nobis inde coronam æternam comparasse. Quod dum aliter placuit dignetur cuncta concludere fine salutari.

« Præterea quantas et quales exercuerint crudelitates et inhumanitates atque damna, spoliantes ecclesias et monasteria, expulsis etiam Sanctimonialibus pauperculis, latius et expressius poterunt enarrare de Praga venientes ad vestram paternam Charitatem certius informandam. Rogo dignemini præsens scriptum vel principalioribus articulis, copiatum vel excerptum transmittere venerabilibus Patribus prope Rostok et prope Francfurt, quatenus de factis erga nos plenius informentur, necnon super competenti nostro statu dulcius consolentur in summo Consolatore et omnium Salvatore. »

Hactenus epistola nostrorum exulum, qui licet dicant nullas se in hoc tumultu plagas corporis aut vulnera suscepisse, nec ullam faciant mentionem coronarum spinearum, quas eorum capitibus impositas fuisse affirmant Hagecius, Pontanus et Zacharias Theobaldus hæreticus, haud facile tamen tam graves authores falsi arguere de-

bemus; maxime cum iidem Patres in eadem epistola fateantur « se innocenter tortos, multiformiter et enormiter vexatos, et quam plurimis affectos contumeliis et derisionibus. » Quibus verbis aperte satis indicant (licet nominatim non exprimant) se diversa injuriarum genera (quorum unum coronæ spineæ) expertos fuisse. At illud multo magis me movet, quod tacuerint penitus miraculum erga tres e suis patratum; dicunt quidem se tribus diebus detentos, prima in prætorio, duabus aliis in domo Ducis Saxoniæ; sed utrum aliquis e sociis disparuerit, non commemorant. Causam silentii vix ullam possum excogitare, nisi quod forsitan non miraculo, sed fugæ, Fratrum subtractionem attribuerint, atque ideo nullum de ea verbum fecerint, ne Fratres suos ignaviæ insimulare viderentur.

In quodam manuscripto Cartusiæ Erfordiensis hæc leguntur: « Monasterium Pragense Ordinis nostri, anno 1419 ab Hæreticis invasum, vastatum, monachos captos, spineis coronis illusos, incarceratos, ubi tres miraculose e claustro evanuere. »

Ubi Marquardus Prior Cartusiæ suorum adventum in Zedelitz audivit, eos statim conveniens, quantum potuit consolatus est. Quos Capitulum subsequens ut ibidem remanerent admonuit per Chartam anni 1420 his verbis: « Priori Pragæ non fit misericordia. Et conceditur ipsis licentia quam petunt; et hortamur eos in Domino ut religiose et patienter simul permaneant usque ad Ordinis voluntatem. » Mortuo paulo post Marquardo, Prior Brunensis Visitator quosdam Monachos, ne Abbatia nimis gravaretur, per alias Domos distribuit, quorum duo missi sunt in Domum Astheim per Chartam Capituli generalis anni 1421. Committitur etiam eidem Priori, ut collocet tres alios Monachos Pragenses infra vel extra suam Provinciam (quos quidem probabile est remansisse apud Cistercienses Zedelitz cum paucis aliis, quos ibidem Visitator reliquerat), ut commodius, si quando pax redderetur vel rebelles debellarentur, Domus suæ restitutionem urgerent.

Sed dum sic de terrena mansione incassum solliciti sunt, in æternis mansionibus locum, et pro coronis spineis immarcescibilem coronam parabat eis Deus. Eodem quippe anno, videlicet 1421, Hussitæ in Abbatiam irrumpentes, monachos tam Cistercienses quam Cartusienses interemere. Quot autem ex Nostris occisi sint, nullus Scriptorum signavit; constat solummodo non omnes qui ibidem primum se receperant tunc adfuisse, nam duo ad Domum Astheimensem, uti jam diximus, missi fuerant a Visitatore, quidam etiam alii alio migrarant, ut videre est ex obitibus monachorum qui diversis temporibus signantur in Chartis Capitulorum generalium. Facta est autem irruptio Hussitarum die 28 Maii, antequam Charta Capituli generalis (per quam a dicta Abbatia Cartusienses revocabantur) in

his regionibus propter nimiam distantiam posset recipi.

Horum Beatorum Martyrum multi Scriptores meminere : inter quos sunt Joannes Cochlæus, Chrysostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis et in suo Menologio ad diem 28 Maii. Paulus quoque Longius, qui eodem sæculo vixit, rem in suo Chronico Cizitensi sic narrat : « Anno 1421, Hussitæ rursus in furorem versi circumpositas Fidelium terras igne et ferro vastarunt. Et etiam in ipsa Bohemia Catholicos laicos et Religiosos eadem vesania exturbarunt, eorum prædia, villas, et oppida et monasteria flamma et gladio destruentes. Qua tempestate Cartusiam trans pontem subverterunt. Item circa Pentecostes festum, obtinuerunt montem Cuthniz, et honorabile cœnobium Ordinis Cisterciensis ibidem, Zedelitz nuncupatum, funditus diruerunt, in quo quidam Cartusienses præfati monasterii expulsi, fuerunt recepti ad tempus ut hospites. Quapropter Hussitæ excandescentes, ipsos monachos receptores cum omnibus interfecere Cartusiensibus. » Hæc Longius, qui tamen errat dicens Domum nostram destructam fuisse anno 1421, quæ tamen jam sesquianno in cineres fuerat redacta.

Balbinus quem jam sæpe citavimus, asserit etiam Nostros cum Cisterciensibus fuisse trucidatos. « Quod ad alia properans, inquit, omisit Hagecius, alii Bohemiæ Scriptores, Paulus Zidek vicinus eorum temporum et Bilejovius tradiderunt : Cartusienses Praga relegati et Sedlecium ad Cisterciense cœnobium progressi, remisere comitatum satellitum, ibique apud amicos Patres et Fratres consedere. Non multo interjecto tempore, alia Hæreticorum manus (qui postea Campestres dicti sunt) in Sedlecense cœnobium incurrit ; spoliatur rebus omnibus cœnobium ; Religiosi viri aguntur præcipites, alii exquisitis suppliciis necantur ; natant religioso sanguine pavimenta, templa et altaria sacrilegiis contaminantur. Ibi quoque Cartusienses nostri cum Cisterciensibus ab Hæreticis deprehensi, religionis odio pridem prædamnati, vitam profuderunt cum sanguine. »

ANDREAS

MONACHUS RUBI BEATÆ MARIÆ

Hunc cum alio Balbinus sacerdos Societatis Jesu refert ab Hussitis occisum fuisse anno 1425.

ALARDUS DE SCHOONHONIA

MONACHUS CAPELLÆ

Ante Ordinis ingressum, Instituti Cisterciensis monachus interfuit Concilio Constantiensi. Annos plusquam quadraginta apud nos exegit, ob mores reli-

giosissimos factus Novitiorum Magister, quos non solum verbo sed virtutum exemplis instituit ad omnem pietatem. Naturæ debitum persolvit, anno 1469, die 28 Maii.

Ex Chronico Cartusiæ Capellæ.

XXIX DIE MAII

B. PETRUS PETRONUS

MONACHUS MAGGIANI

Ejus Vitam anno 1619 edidit in lucem Bartholomæus Senensis, Cartusiæ Florentinæ monachus, quam inscripsit Cardinali Carolo Medici, cujus talis est Prologus :

AUCTOR CHRISTIANO LECTORI.

En tibi, amice Lector, vita factaque præclara B. Petri Petroni Cartusiani ; quæ mihi singulari Dei munere concessa, vel ex eo non imperitus rerum æstimator fateri poterit, quod cum jam inde usque a puero nosse cuperem quæ olim fuerit in terris tanti Viri sanctitas (cujus rei gratia ejus effigies ex vero sciteque antiquitus depicta passim spectatur in urbe patria) ; neminem tamen inveniebam qui satis tum mihi sciscitanti facere posset. Hac igitur cupiditate incensus, adolescens inde viginti quatuor annos natus, Cartusianam in Florentino cœnobio amplexus sum disciplinam.

In quo cum in dies magis flagrans animi mei studium erga beatum Virum exardesceret, nec quemquam apud Nostros etiam tum esse cernerem, qui mihi avidius percontanti hujus Viri virtutem et sanctimoniam aliqua saltem ex parte narraret, præter pauca quædam de admirabili ejus corporis inventione, vehementi quadam admiratione movebar ; nec facile adduci poteram ut crederem, ut quem iconicum christianæ pietatis veneratione universa Senarum civitas suspiciebat in templis, quemque inter alia eximiæ Religionis pignora gremio suo complectebatur, ejus illustria facta Scriptorum præteriisset industria.

Ergo dum hæc et alia id genus multa pro loco et tempore volvebam animo, Patrum meorum concessu Maggianam Cartusiam prope Senas constructam incolendam adeo. In quam vix pedem intuleram, atque ad peristylii locum, ubi auditione acceperam beatum Virum fuisse humatum, semel atque iterum desideriorum plenus accesseram : cum ecce tibi ad cœnobium ipsum, cum nobilitate tum virtute præstantes viri aliquot, mihi de facie penitus ignoti, ejus invisendi gratia, ut fit, adveniunt.

Quos ubi jussus ad colloquium recepissem, post mutui sermonis officia, atque alia de re monastica deque Cartusianorum vita et muneribus colloquia, unus ex illorum numero juvenis lectissimus, cui Actilio Beringherio nomen erat, hunc maxime in modum compellare me cœpit :

« Est mihi domi, Bartholomæe, pervetustus manuscriptus codex, in quo Capita rubricato pigmento pro sæculo eleganter conspiciuntur exarata. Quem codicem nuper e tenebris in lucem erutum, statim atque domum reversus fuero, libentissime ad te perferendum curabo; non ut illum perlegas modo, verum etiam describendum atque elegantius retexendum (sic enim loquebatur) suscipias; quod ut facias ipse tibi sum auctor. Non enim vereor, quin tibi pergratum faciam : quippe ea est illius inscriptio, isque titulus : *Vita,* scilicet, *gloriosi sancti Petronis Christi Confessoris* ex Ordine vestro atque conterranei nostri. In calce vero : *Absolvitur legenda venerabilis sancti Petronis Christi confessoris Cartusiæ monachi qui vocatur D. Petro.* »

Qui quidem libellus, quamvis admodum confuse incertoque ordine elucubratus fuerit, optima tamen fide atque integritate conscriptum, ac insuper patria felicis illius sæculi lingua exaratum legimus. Ipse vero, ut primum ad aures meas Petroni nomen insonuit, amplissimo exhilaratus gaudio oculos simul ac manus in cœlum sustuli; immortales Deo gratias agens quod in eam diem hujus cœli lucem lætus aspicerem qua me meo voto erga beatum Virum minime frustratum viderem; moxque ad Beringherium hilari fronte conversus, omnia illi pollicebar, omniaque (etiamsi jejunitatis atque ingenii mei inopiæ præclare conscius) in me recipiebam quæ essent ei in optatis, modo ille promissis suis staret; quæ perendino transacto spatio peregregie præstitit.

Interea exoptatum codicem tanta cum voluptate legeram vel potius avidissime devoraram, ut inter varios animi mei motus id unum sane nonnihil me momorderit interdum : nimirum quod proprii auctoris nomine in prima statim fronte careret. Cæterum totam rerum gestarum seriem paulo acutius intuitus novis repente perfundor gaudiis, simul atque Joannem Petri Columbini virum sanctissimum, atque Nicolaum Vincentum, Francisci Vincenti germanum, totius Historiæ nostræ auctores fuisse deprehendo. Quippe qui et genere et christiana pietate nobiles et clari, non modo æquales illius temporis fuerunt; sed quod pluris est ad rem nostram, ipsius Petroni ad arbitrium et nutum se componentes, illum in rebus spiritualibus tractandis ducem et moderatorem consiliorum suorum sequebantur.

Ergo tantorum virorum suffultus auctoritate, illorumque scriptis præsertim adjutus, statim animum ad stylum con-

verti : scilicet ut beati Petri Petroni nostri res præclare gestas Latinæ consuetudini traderem, plus oneris fortasse suscipiens quam ferre possem; suscepi tamen, non mei ingenii viribus, sed Divinæ gratiæ præsidio fretus, satis me honeste discessurum putans, si in Vita hujus beati Viri conscribenda, temeritas tantum mea non reprehenderetur ; quando quidquid mihi laboris in hoc opere vulgando suscepi, id totum in Dei gloriam inque nostri Ordinis hominum utilitatem cedere volui.

Verum ne quis ullus in te insideat scrupulus, quod nullis videlicet antiquitatis testimoniis, præter sui Auctoris, qui instar omnium tibi esse deberet, nostra fulciatur Historia, ac propterea totum integrum opus vel fide minuas aliquando, vel certe in suspicionem adducas : operæ pretium me facturum putavi, si totius scriptionis meæ ratio tibi constaret; quod ex ea facile animadverti poterit quo apparatu me instruxerim antequam ad scribendum accederem, quodve studium adhibuerim, ut quæ litteris consignare decrevissem a vero non discreparent.

Quanquam hoc loco objicies fortasse, ni fallor, hunc a me frustra susceptum laborem, propterea quod Columbinus ipse id suis præclaris virtutibus, suaque eximia sanctitate consequi apud omnes meretur, ut in iis quæ vel spectasse se de beato Patre nostro Petrono, vel ab aliis fide dignis qui spectarunt se audivisse testatus est, fides illi penitus habeatur. At mihi tamen deesse nolui quin me cupidum, ne dicam nimis religiosum, indagandæ veritatis ostenderem ; quandoquidem ii sunt ut plurimum nostri sæculi homines, ut nihil magis propositum habere videantur quam ut aliorum scripta passim carpant, iisque insidias struant, sic ut transiri nusquam sine periculo possit. Hac ergo mente ad pervolvenda omnia per me primo quæ in Cartusia Maggiana extant vetustatis Monumenta, atque omnes excutiendas tabulas, ac vetera mss. indaganda animum induxi; dein per idoneos viros, mei in primis studiosos, intra patriam sedem pervestiganda ex publicis privatisque Tabulariis curavi, quæ usui mihi et adjumento esse poterant.

Nec irritus labor, studiumque incassum adhibitum. Siquidem ea comperi, atque ea ad me mei detulerunt; ut dum totus cum tineis ac blattis versarer, Numinis providentiam in me magnopere suspicerem, eamque conatibus meis adesse certo cognoscerem : quandoquidem supputata temporum ratione, recognita personarum dignitate et conditione, cuncta inter se egregie convenire, cunctaque Historiæ nostræ astipulari, eique suffragari comperimus. Cujus studii mei fructus ut extarent, ad rerum gestarum veritatem maxime astruendam, constitui omnino, gravissimorum hominum in idipsum consilio usus, Animadversiones quasdam in calce operis attexere, quibus tempus, personarum

nomina atque loca cum Columbini nostri scriptis consentire, iisque fidem conciliare, haud ita difficili ratione quisque cognoscere possit.

Hæc habui, amice Lector, quæ te scire in præsentia volui, non ut studium meum industriamve, qualis eacumque fuerit, jactarem et quasi ostentarem, sed ut veritatem illarum rerum assererem, quibus fides tibi est habenda; cum has illorum esse partes haud ignorem, qui historiam aggrediuntur. Reliquum est, ut has nostras in res gestas beati Petroni lucubrationes ita accipias, ut eas cum aliquando legeris, scias non parum te debere Celso Cittadino viro et genere et virtute nobili : qui rerum antiquarum diligentissimus indagator permultum mihi contulit in conquirendis atque suppeditandis ex publicis civitatis archiviis vetustatis Monumentis. Habeo propterea quod Celso pro sua mirifica in me liberalitate gratias et ipse agam habeamque maximas.

Sed de Beringherio qui primus omnium auctor mihi extitit incensorque ad id opus aggrediendum quid dicam? Is enim eleganti juvenis ingenio et humanioribus studiis quasi quodam naturæ impetu deditissimus, paucis post elapsis diebus ex quo ad Cartusiam Maggianam adiit, meque in ea convenit, maximo cum mœrore omnium, quibus fuerat notus, hoc est plane omnium in patria, magno cum sensu pietatis decessit.

Hæc placuit appingere; cætera vero quæ promittimus quæque ad notas faciunt, in calce, ut diximus, habebis.

Quæ cuncta tamen accepta referas velim clarissimo viro Ludovico Accarisio, qui inter eximia ejus animi ornamenta, ea est in patriam urbem charitate præditus, ut studium ac operam suam lubens contulerit quo hæc ipsa typis mandarentur ; ratus enimvero exactæ prudentiæ vir non exiguam ex hisce admirandæ sanctitatis exemplis utilitatem ad veram pietatem excolendam Religionis percupidos esse capturos. Quod ut fiat Deum supplex oro, cujus unius gloriam nostra cui cuimodi fuit in hisce edendis elucubrationibus spectavit industria.

VITÆ
B. PETRI PETRONI SENENSIS
CARTUSIANI

LIBER PRIMUS

CAPITULUM I.
ORTUS EJUS ET EDUCATIO.

Petrus e gente Petrona, (quem veteres, a familia videlicet Petronum identidem appellare consuevisse legimus), apud Senas præclaram inter Etruscos urbem, anno ab orbe redempto tercentesimo undecimo supra millesimum nascitur, Patre Gulielmaccio, matre vero Agnete Malavolta, pro sæculi ac patriæ more *Nese* vocitata ; ambo ge-

neris nobilitate, opibus et gloria inter Primarios civitatis apprime florentes. Qui cum infantem, jam tum ab ipsis incunabulis ex se primo natum, aspicerent egregiam animi indolem præ se ferentem, quamdamque etiam illi divinitus insitam ad probitatem naturam, singulariter illum atque unice diligebant.

Quippe ejusmodi plerumque eorum qui genuerunt ingenium esse solet, ut filiorum virtus acriores in eis impetus cieat benevolentiæ et charitatis : quam sane parentum erga Petrum charitatem quis dubitet auctam, ad summumque perductam ejus non esse cum educatione, tum accessione ætatis simul et Christianæ virtutis ? Etenim cum alienis uberibus nutriendus traditus esset, paterna cœlestis Numinis providentia rem moderante, factum est ut tanto erga Deum incensam studio, tantaque vitæ sanctimonia præditam nancisceretur altricem, ut quoties ubera illi sugenda præberet, flexo in sanctam quamdam lætitiam ore, hunc in modum puerum alloqueretur : « Eia, fili, suge, suge, in nomine Jesu ; » sicque una cum lacte nutrix suo, suam pariter virtutem Christianamque pietatem infanti paulatim instillabat : eumque tenera adhuc ætatula uni Deo jam educabat.

Ex quo id vel in primis in eo suspiciendum, oppidoque admirandum jam tum fuerit, ut divino afflatus Spiritu cœperit innocens puellus re et verbis ostendere se ad præclara Religionis facinora a Deo electum atque inspiratum. Bimulus namque, prout exploratissimum fuit, vaticinandi dono fulgere cœpit. Mater enim ejus, cum iterum masculæ prolis cupiditate flagraret, apud se statuit pollicitaque est (modo benigne illi Deus annueret) filio nascituro Francisci nomen se illico facturam.

Nec irrita sane ad Superos vota. Etenim divina piis ejus optatis aspirante aura, contigit ipsam sui ipsius conceptus prorsus ignaram concepisse. Quod ut ad cumulatam absolutamque lætitiam præstanti mulieri cederet, effecit præpotens ipse Deus ut filiolus Petrus leni attactu quandoque parentis uterum demulceret, eique infans vix avulsus ab ubere, cujus lingua nondum sonabat eloquium, blando hoc indicaret affatu : « Est tibi, mater, ventre hic occlusus Franciscus. » Quibus mox pueruli verbis femina in stuporem acta, utpote quæ nulli hactenus mortalium cogitatum suum patefecerat, ipso concepti fœtus motu eodem temporis momento intra se jam perfectum esse cognovit, quod Petrus lumine collustratus divino præviderat prædixeratque. Quocirca ingenti Agnes voluptate perfusa exoptatum infantulum in tempus effudit, eumque Francisci nomine ad sacros Baptismi latices pro voto insigniri jussit. Qui cum postea Petro triennium dumtaxat superstes extitisset, suum a germano fratre divinitus prædictum exortum libenter, quemadmodum ab ipsa parente jam inde ab adolescentia acceperat, narrare solebat.

CAPITULUM II.

QUID RERUM QUINQUENNIS PETRUS EGERIT AD TERTIUM USQUE DECIMUM ÆTATIS ANNUM.

Infantili adhuc ætatula Petrus, quinque nempe annos natus, natum se, profecto eximiæ indolis infans (uti paulo ante diximus), ad beatitudinis opera exequenda reipsa commonstrabat. Siquidem divinitus agitatus, secreta ad orandum domi investigabat loca, atque domesticorum aspectum declinans, libero solutoque animo, diu multumque sacris precationibus vacabat. In quo quidem precandi studio, ita se serius gerebat puellus, ut senilis in eo jam maturitas appareret.

Interea primæ ætatis crepundiis depositis, præceptori octavum vix annum agens, una cum Francisco fratre sexenni, primis litterarum rudimentis traditur instruendus. Quibus ediscendis ea lege operam se daturum arbitratus est, ut nunquam pietatem a vulgaribus illis studiis sejungeret ; quin etiam id illi cordi fuisse constat, ut nihil prius aut antiquius sacris precationibus haberet : sic prorsus ut (quemadmodum eodem Francisco fratre referente vulgatum est) sub vesperam cubitum cum discederet, nocte dein concubia e lectulo vigil exiliret, atque flexo humi geniculo, divinarum rerum commentationi ante Christum Cruci suffixum totum se daret; ac lacrymarum salsugine plenus integras ferme noctes insomnis duceret. Quod si longa fatigatus vigilia, sopore quandoque deprimeretur, in storea intra cubiculum humi strata pronus ipse prostrata membra damnabat, parentibus provida solertique pueri circumspectione rei factique penitus insciis.

Exin cum jam decimum annum ageret, nihil eo amabilius, nihil comius; quippe qui sortitus animam bonam, eam gravitatem morum præ se ferebat, ut facta ejus ad divinæ legis normam sensu plane mirabili dirigeret; atque eo fiebat ut mens ejus in dies magis magisque illustraretur, et ad pietatis officia obeunda ita ferveret, ut inter orandum lacrymarum usus ei inoleverit, rerum cœlestium dulcedine delibuto.

Id ubi malus demon animadvertit, ejus perturbandæ quietis avidus dolis illum petere aggreditur, torvum in eum defigens obtutum, quod tantam adhuc tantillus puellus supernarum rerum adeptus esset cognitionem. Eo itaque acerrimo orantem odio prosequebatur: ad cœlestia illius animum inhiantem terriculamentis truculentus pulsare, lacessere, metumque incutere; ac eo denique impudentiæ nocte quadam devenit, ut vitreum lychnum e summo cubiculi tholo ad Crucifixi schema dependentem diffregerit; multas inde ei molestias creando, quo terrore expavefactus tandem aliquando ab incœpto desisteret. Cæterum tantum abfuit ut hisce nequissimi impostoris technis de sententia beatus puer deduci se pateretur, ut etiam obfirmato constantique animo, in arrepto uni Deo corpore et

animo vivendi proposito, in dies singulos se se iteratis studiis confirmaret : hanc vigilandi orandique normam ad septimum decimum ætatis annum secutus.

Interea dum in hæc religionis et pietatis studia quam intentissima cura Petrus incumbit, iis familiariter utebatur, qui cum provecta ætate, tum honesta morum institutione ac rerum spiritualium peritia, ad virtutes capessendas inflammare illum poterant. Speciatim autem magnus cum iis (quoad ejus fieri poterat) usus illi intercedebat, qui Christianam humilitatem et sensibus intimis colerent et moribus exprimerent ac vita; ultro etiam familiarius ob id ipsum se se cœtibus atque colloquiis egentium ac mendicorum quotidie inserens : ratus haud dubie hujusmodi sordidatorum hominum consuetudine suam in dies animi summissionem, ad Evangelicam disciplinam induendam cumulatius excultum iri.

Quod cum Gulielmaccius pater resciret, vel in eum quandoque, ut fit, inter pauperum ac pannosorum greges confertim versantem incurreret, dici vix potest quam iniquo id ipse ferret animo, asperrime hac eadem de causa Petrum frequenter accipiens : quippe qui ardenti humanæ laudis studio et quotidianæ nobilium virorum consuetudinis impetu abreptus, eum primarios inter ephebos comparere expetebat, qui munditiarum atque urbanitatis articulos tenentes, opibus, elegantissimo corporis vestitu, formaque præstantes, illius haud absimiles essent. At Petrus nihilominus non modo cum iisdem ipsis amicitiam instituere non induxit animum, sed si qua jam incepta conciliataque cum illis quoquomodo esset, eamdemmet dissuere, eosdemque pariter aversari non dubitabat ; videlicet veritus ne dum interim eorum lenocinia atque in moribus mollitiem sectaretur, profanos inde paulatim hauriret spiritus.

Amicitiarum etiam tunc scientissimus puer noster eximius, etiam si vim illarum et usum necdum per ætatem esset expertus : quandoquidem inter multa sæcularium amicitiarum genera illud unum verum, illud solidum, firmum, atque insolubile denique illud sit, quod sola virtutum similitudo devincit. Ergo sui ipsius despicientiæ amore incensus Petrus, atque veræ Christianæque humilitatis perquam studiosus, id in ore frequentissime habebat : nimirum ingenti sibi molestiæ atque adeo pœnæ splendida vestimenta esse, quod ea quidem pauperum ac miserorum consuetudinem sibi mutilam redderent, prorsusque labefactarent. Tantum aberat, ut de constantia graduque humilitatis ullo unquam tempore, per minas et convicia, seu per verba atque verbera, dimoveretur.

CAPITULUM III.

UT IN SODALITATEM INTEMERATÆ VIRGINIS MARIÆ IN XENODOCHIO, QUOD VULGO DICITUR DELLA SCALA, CONSTITUTAM NOMEN SUUM DEDERIT.

Hujuscemodi ferme cœlestibus institutionibus excultus Petrus, non sat sibi tamen fuisse putavit, nisi et alia quidem aliis religionis opera adjicienda curaret. Ergo diu noctuque illi animo versanti quo pacto id efficere exequique posset, in mentem venit in laudatissimam B. Mariæ Virginis Sodalitatem, sub concameratis fornicibus Nosocomii illius celeberrimi quod cognomento *Della Scala* appellant, constitutam, inscribi cooptarique. Quippe qui tot præstantissimos viros, e prima omnes fere nobilitate Senenses, ac sanctimonia vel in primis præcellentes, ex ea veluti præclara religionis lumina processisse sciebat : totque jam mente futuros præsagiebat heroes, qui ex hac sanctitatis palæstra prodirent armati, quo adversus teterrima vitiorum monstra, adversus truculentissimas inferni centurias prælia Domini inclyti præliarentur.

At quales ? nempe Andreas Galeranus, pater pauperum vocitatus; Petrus Pettinarius, Francisci Assisinatis mundi contemptus atque instituti sectator egregius; Ambrosius Sansedonius, ille e præstantissima sanctissimaque Dominicanorum familia, cujus illustria facta omnis sanctitatis affatim plena, jussu Honorii Papæ hujus nominis Quarti olim conscripta, nostra quidem tempestate in lucem revocari, eumdemque inter Cœlites quos universa Catholica Ecclesia in terris veneratur et colit, Clemens Octavus Pontifex Maximus constanti omnino voluntate adnumerari collocarique voluit. Quis exinde Bernardus Tolomeus, præstantissimarum artium gloria insignis, insignior vero religione et pietate ? Quis Franciscus Picolomineus, quisque Patritius e Patritia gente, Montis Olivetani Ordinis conditores iidem ac rectores?

Hisce proximus prodit strenuus bellator noster Joannes Columbinus, Congregationis Jesuatorum Fratrum institutor ac parens optimus, de quo plura Historiæ nostræ pro loco appingere est animus, una cum socio ac commilitone ejus Francisco Vincento ; quos eodem fere tempore secutus est, eadem in Deum pietate, hoc in Christianæ virtutis stadio Stephanus Maconus, qui deinde brevi post tempore Petrum nostrum æmulatus, egregie Cartusianæ familiæ divino plane admonitu nomen suum dedit.

Et qualis quantusque demum Bernardinus Albizescus, ille Assisinatis ardentissimæ in Deum charitatis eximius æmulator, universæque Franciscanæ labentis familiæ reparator et custos? Is nimirum Bernardinus dux et imperator fortissimus, ex quo jam inde ab suo tyrocinio in certamen descendit, semper in acie, semper in sole ac pulvere fortiter impigreque versatus, et summi cœlestisque Imperatoris memoria fiduciaque quasi galea munitus, acu-

tissimos quosdam cœlestis ac divinæ doctrinæ gladios vibrare; atque ut clypeum, sic fidem charitatisque constantiam hostium telis tamdiu opponere, donec post multa prælia adversus immanissimam illam ac infernalem belluam commissa, spiritum effunderet in victoria.

Ad hæc placet in horum fortissimorum numero bellatorum recensere strenuam bellatricem ac Seraphicam virginem, Catharinam Benincasam, Senensem ; quæ quanquam per sexum in hac palæstra se se exercere non potuit, potuit tamen in ipsis domesticis inclusa castris, velut in acie posita, cum harum tenebrarum potestatibus gravissima gerere bella; quæ cum victa prostrataque esse videbatur, tum victrix ipsa Christianæ vel maxime humilitatis constantia, uti lata insignique cincta lorica, stabat animo; et in quadam quasi precationum assiduarum vigilia stans inconcusse, de profligatis hostibus triumphum agebat: sic ut, cum malignantium spirituum certamina vicisset eorumque pariter superasset insidias, pulcherrimum ac jucundissimum Angelis atque adeo ipsi Deo spectaculum præberet.

Tu ipse per te intelligis, o nobilissimum Collegium (te nunc alloquor) quanto studio te bellatrix ista egregia incitaret, ut bella et tu fortiter gerenda susciperes cum harum rerum humanarum inconstantia et varietate, cum effrenatis cupiditatibus ac acerrimis hisce ducibus atque signiferis hostium generis humani; et quanto amore, quam sapientibus sententiis veræ pietatis ac sanctitatis plenis, et qua denique animi contentione acrique studio commilitones suos hortaretur, ut se dignos tantæ virtutis et fortitudinis viris exhiberent: quando ipsemet jam inde a pueris, aliquot hujus præclaræ Virginis epistolas, suo suorumve amanuensium ad majores tuos conscriptas chyrographo, apud te me legisse memini. In iis enim videre erat eamdem ipsam Virginem, non verbis tantum, sed etiam reipsa miscere hortamenta, modo hujus Sodalitatis Fratres, hujus, inquam, religiosæ palæstræ athletas, Patres carissimos appellare, modo Fratres, modo alias dulcissimos Filios vocare : nunc ductricis pariter et militis, nunc parentis simul et natæ partes egregie sustinens. Proinde facere non possum, ut verum fatear, quin ex animo inter tot præstantissimos viros principem locum clarissimam hanc heroinam sustinere dicam.

Macte igitur animo, illustris Congregatio, macte virtute. Age quod tui muneris est, cura ut pietas religioque in te consistat incolumis ; fac, rogo, exaudiam ego de gurgustiolo hoc meo, veterem sanctimoniæ disciplinam apud te incorruptam vividamque in dies magis magisque perseverare. Vix enim credas quantum ceperim animo voluptatis , cum ad aures meas pervenit, non modo alios quondam atque deinceps alios, sanctitate et innocentia vitæ conspicuos,

ex te prodiisse viros. Sed nostra quidem memoria præ cæteris extitisse militem illum tuum, spiritalis athleticæ egregie peritum, Matthæum Guerram dico, quem vulgo Patrem Teium appellabant, Congregationis Clavorum auctorem ac civem nostrum. Cujus eximiæ in pauperes charitatis excitus fama Summus Pontifex Clemens hoc nomine Octavus, Romam illum acciri jussit per litteras beatissimi viri Philippi Nerii Florentini, ad reintegrandam illius Nosocomii disciplinam, quod sacerrimus Catholicæ Ecclesiæ Antistes, olim Sixtus Quintus, generosa illa sui animi præstantia, ulcerosis ac mendicis per compita misere quiritantibus, velut unum in locum coactis extruxerat, alendis.

Non enim dubitavit Summus idem Pontifex Clemens, quin Teius noster misericordiæ operibus mire deditus, suam ad pristinam institutionem locum restitueret; ut brevi post tempore peregregie præstitit, non modo illa sua mentis alacritate studioque ingenti in eo munere obeundo, verum etiam singulari quadam vitæ sanctimonia : cujus gratia Principes viri amplissimique Cardinales tanquam virum Deo plenum impense amabant, ac magna prosequebantur veneratione. Ille tamen nunquam his mortalium honoribus elatus, utpote qui caduca omnia contemneret, jussa Summi Pontificis exacte cum perfecisset, nihil habuit antiquius quam Senas regredi. Quo ubi pervenit, morte non dissimili, brevis progressu temporis, ab ea quam sancte egerat vita sexdecim abhinc annis, diem clausit extremum.

Atqui longius provehor; proinde ne laciniosa mea incedat oratio, ad reliquas Alumni tui et Patris mei Petri actiones præclaras enarrandas redeo. Qui quidem Pater, adhuc puer et quartum decimum annum agens, nil puerile præ se ferebat; quod cum eximiam indolem ad virtutem haberet, omnia respuebat sæculi blandientis lenocinia; et carnis voluptatisque illecebras immaculati affectus pede calcans, illibatum suæ virginitatis florem ipsi virginum Sponso ac Deo consecrabat. Cernere erat adolescentulum, conversationis maturitate ac morum castitate senem, ad seria incumbere, templa venerabundum obire, sacris Mysteriis pie casteque assistere; integritatem, pietatem et animi summissionem, ut supra docuimus, sectari; parentes præcipuo quodam observantiæ studio prosequi; erga majores natu reverentiam ostendere ; mansuetudinem et lenitatem æqualibus exhibere; et quod longe difficillimum est, inter delicias ac domesticas opes paupertatem excolere; et severa quadam vitæ disciplina inediaque, virtutis amore, corpus suum innocens castigare. Et ut multa paucis complectar, in omni genere virtutis, supra ætatem, supra consuetudinem, supra vires, admirabili animi sensu cæteris per id maxime tempus in urbe patria præstare.

Itaque tanti jam tum ejus virtus rerumque spiritalium studia ab omnibus

fiebant, tantumque venerationis castissimi ejus mores illi conciliarant, ut ex externo ipsius corporis habitu, ex vultu atque oculis ad modestiæ religionisque significationem compositis, insitum ejus animo candorem ac mentis ornatum cuncti facile intelligerent, moxque præclare de eo existimarent. Quæ quidem eo magis in puero nobili genere nato suspiciebantur, quo contumacior atque elatior cunctis Gulielmaccius pater ejus habebatur.

Hisce proinde de causis permoti impulsique Primores, una cum reliquo cœtu ejusdem Sodalitatis B. Mariæ, non dubitarunt illum id enixe rogantem postulantemque sibi ipsis aggregare; etiamsi non admittebantur, nisi quorum ætas viginti ut minimum esset annorum, et integra forent existimatione præditi. Ergo candidatum excipiunt, admittunt, et gravi Præsidentis oratione animatum pacis exosculatione demulcent Confratres, et inter sacrorum hymnorum concentus in ejus amplexus incumbunt. Qui pius adolescentulus suo potitus desiderio, non committebat ut partes suas eo loci quis desideraret; quoniam cum prima spiritalis militiæ tyrocinia apud tantos viros tenera adhuc ætate ponere statuisset, ita se in officio continebat, ita se mature casteque gerebat, ut pro Sodalitii more sacras preces, corporis verberationes atque alia id genus religionis munia dies noctesque inibi libenter obiret; fecit sane ut omnes una omnino voce pronunciarent, *illum* decus aliquando ac lumen Sodalitatis futurum.

Nec eos sane fefellit opinio. Quantus enim et quam insignis evaserit sanctitate, apud posteros testatum reliquerunt qui eo loco superstites illi fuerunt: quandoquidem publico omnium consensu, ne tanti viri memoriam ulla unquam ex illorum animis deleret oblivio, atque ob oculos quotidie tum sibi tum posteris versaretur, ejusdem beati Viri Petri nostri, Cartusiana tunica induti, ac bacillo imbecilla sua sustinentis membra, effigiem qua monochromate in pariete, qua in icone egregio opere colorumque varietate pingendam post ejus obitum curarunt. Quam sane ad hæc usque tempora pie omnes venerantur et colunt.

Quadrata videlicet corporis statura, facie ad aspectum plena dignitatis, explicata fronte, magnis oculis, inque illorum albumine nigra pupilla; naso oblongo, et a summo leviter incurvo; labris nonnihil præeminentibus citra ullam tamen deformitatem; genis discreta confectis macie, colore inter cereum et album; breviter fusco capillo. Vellem faceret ille omnia contuens et regens Deus, ut beati Patris nostri faciem virtutis et gratiam decoris interni scribendo depingere possim. Sed quid ego, tanto viro muneribus aucto divinis non ingenio modo, sed vita simul et meritis impar? Aut quibus meis rudis depingam coloribus cœlestis ejus affectum animi, qui uno semper mentis

ardore erga Deum afficiebatur? Proinde exiguum plane esset, aut nihil omnino, quod impudens pandere ausim; quoniam quidquid divini candoris et venustatis, quidquid cœlestis pulchritudinis et dignitatis in ejus mente renituit, totum (ne quidquam scilicet humana mortalitas sibi decerperet) præpotens ipse rerum effector ac molitor Deus ipse penitus vindicavit.

CAPITULUM IV.

ÆGRIS ATQUE ELEPHANTIACIS MINISTRANDO IN PUBLICIS VALETUDINARIIS DAT OPERAM.

Per incrementa ætatis ac virtutis in dies singulos honorarius ephebus noster incedens, atque in Deum omnem curam suam, omnem affectum, actus, cogitationes, amorem denique omnem collocans, non poterat non amare et proximos quos ipse omnium Conditor et Opifex sapientissimus vult in se diligi. Ergo tanta in Petro adversus hominum ærumnas et calamitates inerat commiseratio, ut cum in languentes, extrema vel maxime pressos inopia, vel alio graviter affectos morbo, conjiceret oculos: ea ipsorum confestim misericordia frangeretur, nihil ut loci vel diligentiæ reliquum faceret, quominus illos, quantum in se positum erat, adjuvaret. Hinc erat ut nihil æque lubens ad illorum calamitates miseriasque sublevandas tum animo tum corpore agitaret, quam ut se totum illis ministrando traderet.

Hanc unam ob rem igitur nosocomia publicaque valetudinaria adibat; sed ad illud vel in primis, nullo adjuncto comite, intrare frequentissime consueverat, quod ad id tempus, divo Lazaro dicatum cernimus, quingentos supra mille amplius ab urbe Senensi passus. Id ille sibi præ cæteris diligendum duxit, in quo desiderium suum expleret: se totum nimirum in obsequium charitatis erga elephantiacos impendendi, propterea quod hisce curandis alendisque conditum fuerat. Videres itaque nobilissimum adolescentem Petrum, ut tradunt, languentes ipsos blande amiceque solantem; hos ad pietatem Christianam hortantem; illos mœrore animi confectos cœlestium spe bonorum erigentem; alios ad patientiam virtutemque excitantem; eosdemque lavantem atque eorumdem lectos sternentem. Videres, inquam, eorum plagas et ulcera contrectantem, tergentem, circumligantem, et modis omnibus opem ferentem: et, quod caput est in tanta languoris deformitate, cibum sibi potumque una simul cum illis, dum fercula linteatus ministraret, sumentem.

O magnam tui, Petre, charitatem! quod non tabes, non sanies fæculenta, non morbi denique evitandi contagia obstiterint, quin temet in ea miserorum ministeria totum effunderes: paratus etiam omnes subire casus, quos tetra illa lues se temere ingerentibus importare potuisset: perinde quasi nihil tibi carius nec jucundius esset quam inter eos do-

mestice versari; cum nullus ferme dies abibat (modo Columbino habenda sit fides, cui vecors plane esset illam qui abrogaret) quin ad id Xenodochium te conferres. Nec mirum sane, non enim in tantam humilitatem tantus juvenis se demisisset, ni prius ardentissimæ charitatis igne medullitus incaluisset. Nihil tam parvum aut tam vile est, ut eo se ducat indignum, qui perfecte diligit.

CAPITULUM V.

SUUM PETRUS IN CARTUSIENSIUM FAMILIAM DAT NOMEN.

Cum in dies juvenis noster angelicus divini amoris ardore æstuaret, secumque reputaret identidem, non posse se sua desideria suaque pariter studia pietatis ad voluntatem explere, tot inter hujus sæculi nequam discrimina positum : quandoquidem nihil sibi prius aut antiquius esset, quam ut sanctiorem perfectioremque degendæ vitæ cultum sibi sequi liceret, eumque ad extremum usque tenere ; cœpit secum ipse serio varias excogitare vias, quibus rem ex sententia ipsemet gereret. Ob id ipsum itaque mens ejus versatur crebro in ambiguo : et quid interdum consilii capiat, aut quo se vertat nescit. Nam cum plura, eaque subinde per speciem absolutissimæ sanctitatis, ad quam unam prosequendam omnes curas suas cogitationesque omnes conferebat, ejus animo obversarentur, eo plerumque adducebatur, ut summi Dei clementia fretus, difficillima quæque, ad novum vitæ genus victu cultuque in primis asperrimum instituendum, aggredi non dubitaret. At rursus eadem, quæ jam generosa alacritate in se ipso excusserat, ad calculos dum per otium revocat, liquido animadvertit, nequaquam solutam expeditamque sibi rationem esse, ad eum vivendi cursum tenendum, quem propensione, quin etiam voluntate quadam abreptus conceperat, sibique facillimum proposuerat ; ignarus adhuc noster adolescens earum artium, quibus ad decipiendas incautas mortalium mentes utitur dæmon, eorum potissimum, qui in rebus spiritalibus nimio plus sibi fidentes, suam voluntatem suumque duntaxat judicium sequi decernunt.

Quoniam admirabili quodam studio ad Christianam ex Evangelio paupertatem colendam concitatus, magno tenebatur desiderio longinqua terrarum petendi spatia, ubi nullis congregationis cœtusve legibus aut sacramento astrictus, inter infimæ plebis quisquilias lacernatus incederet inglorius, et Alexii sanctissimi viri patritiique Romani instar, sub dio vel certe in aliquo sacrarum ædium vestibulo noctes exigeret, omni humano solatio destitutus; sicque sine lare familiari mundus pro domo illi esset, pro tecto cœlum, pro lecto solum ; ac pauperum insertus gregi ostiatim precario stipem colligeret ; ut exinde libero solutoque animo, quidquid ab hujusmodi emendicatione su-

peresset otii, in templis sacris, effundendis precibus id totum insumeret.

Cæterum pii adolescentis consilia in tam ardenti rei expediendæ desiderio ad nihilum ut reciderent, unus ejus pater Gulielmaccius effecit, cujus videlicet insectationes maxime formidabat. Quippe cum illum dudum frementem ob sordidatorum in ipsa patria sede, atque adeo intra ipsos paternos lares, contractam consuetudinem puer esset expertus ; tum vel maxime temporis eumdem sibi magis tetricum asperiusque furentem concipiebat animo : ut qui potentiæ viribus ferox atque ingenio contumax, necnon augendæ in dies gentis Petronæ avidus, nullo pacto tanto dedecore clarissimum suæ familiæ genus, ex filii sordida atque contemptissima vitæ ratione, affici passurus esset.

Hisce igitur anxio curis Petro, et ad Christi Sanctorumque vestigia sectanda optima quæque expetenti, saniora consilia a Patre luminum submissa sunt, ut inde veluti efficaci salutarique remedio mentis suæ sollicitudini tandem aliquando consuleret. Quod utique fuit ejusmodi.

Quartus decimus jam tunc agebatur annus, cum amplissimus pariter doctissimusque vir Richardus Petronus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, titulique S. Eustachii diaconus cardinalis, Senensis, non minori munificentia quam pietate ac religione in rem monasticam, ex testamento quatuor cœnobia, scilicet monachorum Cartusiensium unum, Cisterciensium alterum, tertium monialium ex Ordine Prædicatorum, postremum vero Minorum divæ Claræ dicatum, a fratris filio Joanne, quem anno hujus sæculi millesimo tercentesimo decimo quarto, XVII kalendas Februarii, Genuæ hæredem dixit, ubi tum decessit, e pretiosa sua tantummodo supellectili atque grandi auri argentique magnifice cælati pondere, intra Senarum ambitum vel certe in ipso circumjecto territorio civitatis, extruenda legavit.

Quorum Cartusiense id nostrum cum principem obtineret locum, solum in areas descriptum Patribus Ordinis cœnobii ædificandi causa, in agro Maggiano, non longius ab urbe patria quam quingentos passus, attribuit, duobus post annis ab interitu præstantissimi testatoris, vir florentissimus Bindus, Bindi filius Falconisque nepos, Senensis ; qui, ut ejusdem Cardinalis consobrinus, ejusque supremæ voluntatis executor impiger fuit, ita opere sumptuque magnificentissimus extitit imitator : quando et ipse Pontinianam Cartusiam, edito gratoque ad aspectum tumulo sitam, ad tertium ab urbe Sena lapidem, anno post Christum natum 1343, a fundamentis excitavit ; ejusque monachis alendis proventus prædiaque assignavit.

Ergo Maggianum id cœnobium, ab sua familia constructum atque perfectum, adire frequenter consueverat Petrus : quo enim propius aberat ab urbe, eo facilius ad id excurrere se posse pu-

tabat. In quo degentium monachorum, cum in ecclesiæ odeo frequentando, tum in rebus divinis tractandis, admiratus erga cœleste Numen reverentiam, in eam mentem denique occulto quodam instinctu acriter se sensit impelli, ut patriis bonis focisque relictis, ad eos quam primum se se aggregaret.

Nec irritus plane hanc sibi divinitus instillatam mentem complexus est. Siquidem per multas preces consulto ac propitiato Domino, uti cœptis suis in tam ardenti divinæ gratiæ promerendæ studio perbenigne adesset, ad Cartusiam semel tandem profectus est, patria incunabula ultra non repetere fixum habens. Quoniam quidem per hanc plenam sanctimoniæ fugam in spem veniebat fore, ut voti compos effectus, qua parentes omnino desereret, qua se totum, pariter a publicis domesticisque actis segregatum, Deo dederet; et cum eo qui solus purissimus est, purissima, quoad humana mortalitas fert, consuetudine vitæ conjungeretur; atque ex jugi oratione, sacrarum rerum contemplatione, sacrorum librorum familiari lectione, splendorem veritatis hauriret.

Eo proinde consilio ad Patrum cœnobii pedes, divinum tum quiddam spirans, supplex provolutus Petrus, eos ut in suum contubernium admittant enixe rogat. Qui Patres, primum ejus annos ad munera Ordinis subeunda nimis teneros causati, subsistunt paululum; tum egregia in Deum ejus pietate, verecundia, summaque existimatione, atque eximia quam præ se ferebat indole permoti, eum, annos natum septemdecim, in suum Ordinem admittendum putant; quanquam Ordinis decreta viginti ut minimum annorum ætatem in suscipiendo exquirant alumno, ut juxta Domini præceptum ad sacra possit bella procedere. Tum demum excipitur, atque detonso capillo, quem tum pro sæculi more promissum impensius comere ac alere consueverant mares, regulari tunica, sacro monachorum agmine concinente, induitur; moxque, in Nostrorum gregem adnumeratus, regularibus itidem disciplinis præceptori traditur instruendus.

Tyrocinii autem anno de more circumacto, juravit Petrus, et solemnia Religionis vota, in Galgani Vannis (qui tum Domui præerat) verba, cœnobii Maggiani nomine castissime suscepit : plus utique splendoris sua eidem cœnobio sanctimonia allaturus, quam in eo condendo nominis attulisset Fundatoris amplissimi beneficentia.

Quanta vero dein sedulitate, quod Deo sanctissime spoponderat sacramento, reddere conaretur; quanta pietate, quanta religione, ad Christianæ perfectionis culmen ascendere niteretur; ut in obedientiam, castitatem, paupertatem, ut in taciturnitatem et solitudinem incumberet ; uti reliqua omnia quæ religiosum decent Ordinem, admirabili alacritate obiret, longum esset enarrare. Verum hoc unum in præ-

sentia missum facere sine scelere non queo : quod simul atque monasterium est ingressus, usque eo patrias opes omnes omniaque clarissimæ familiæ insignia ab se abdicavit, ut intra cellulæ parietes solitarius ex instituto latitans, nunquam vel parentum affiniumque congressum excipere voluerit ; quin cum ad eos gravi morbo correptos (qui morbus vitam hausit) officii causa adire quandoque potuisset, Patrum nimirum concessu, nunquam tamen adduci se passus est, ut carni daret et sanguini, quod virtuti debere se confitebatur. Atque eo factum est, ut nuntium de ipsorum obitu ita forti ac constanti animo tulerit, ut nullo doloris morsu perstrictum se se cunctis exhibuerit : satius arbitratus impietatis erga parentes insimulari,quam semel propter immortalem sui omniumque parentem Deum, arreptum solitudinis propositum temeratus violare.

Neque hisce tantum contentus, quin omnia quoque propinquitatis jura, sublimium appetens, aspernatus, ne contra Christi legem omnium sibi vel primam et antiquissimam,carnis assensum illis quandoque cogeretur præbere; nihil de rebus temporariis,quæ ad eosdem parentes et affines pertinerent, vel ipsis ille auribus haurire, vel sermonem coram inferri voluerit unquam; secum sæpissime reputans, nondum ex animo se Dei jussa fecisse, si, cum corpore propriam domum reliquisset, mente tamen eam incoleret, parentumque simul (etiam tum illorum cupidus) oblectaretur affatu : atque juxta Evangelii præceptum, si patrem, matrem fratresque jam volens ac lubens deseruerat, uti Christi dignus haberetur discipulus, adhuc etiam seu vexari induceret animum, quum seu domesticorum blandimentis delinitus, seu quadam humano generi natura insita mollitie adductus, ultro ipsemet illos admitteret colloquentes.

Qua pridem Petri erga suos severitate factum est, ut parentes tantam ejus animi firmitatem ægre molesteque ferentes, se penitus contemni putarent: eo maxime quod se suaque nihili ab eo fieri ac repudiari cernerent. Contra vero dici vix potest, quanta ille perfunderetur voluptate, quam solidos quotidie,ex hujusmodi gravitatis disciplina, tranquillitatis ac internæ pacis fructus carperet; haud ignarus, sui ipsius experimento apprime eruditus, non posse quemquam intra Cartusiana septa divinarum rerum delicias animis percipere, nisi præmissis omnibus instar Jacobi solus remaneat, ut facie ad faciem Deum videat, et benedictione simul et nominis in melius mutatione felix efficiatur; neque Moysis in modum Dei frui colloquiis in solitudine, ni prius hujus mundi excalceatus affectibus, carorumque nexibus expeditus, nudus ad nudum Christum accedat : quando, divo Hieronymo teste, nudos tantummodo amat eremus.

Hanc Petri affectuum in res humanas nuditatem omnino me posse clarius

demonstrare diffiderem, nisi auctores gravissimi planis ac disertis verbis, uti cætera, quæ hactenus demonstravimus, memoriæ illam tradidissent; quorum verba hoc loco vel præcipue referre libet, quo planius cunctis pateat, nihil Petrum in rebus humanis solatii nihilque præsidii ullo unquam tempore sibi constituisse. Si quando vero (aiunt illi) germani ejus fratres, parentibus e medio jam sublatis, aliique qui cognatione nomen ejus et genus attingebant, strenas, munuscula, atque alia id genus humanitatis xenia ad Cartusiam interdum benignitatis causa mitterent illi, nunquam Vir beatus, æque in illos ac in se ipsum graviter severus, adduci potuit, precibus etiam adactus, ea ut acciperet; sed obstinato prorsus animo rejiciebat; cum ut votivæ paupertatis religiosa professio constaret, tum ut reipsa ostenderet nullam se cum illis rationem habere : quoniam eatenus eos amabat, quoad et ipsi Deum charitate officiisque Religionis prosequerentur.

Id simul atque illis cognitum fuerat, aliorum nomine, qui sive quotidiana amicitiæ consuetudine ei intimi essent, sive alio quovis pietatis studio erga eum afficerentur, ea ipsi dona deferri curabant, rati nimirum haud aliter ac agebant ab eo eadem acceptum iri ; quæ nihilominus tamen nonnisi Christi nomine injecto accipienda censebat. Cæterum, ut primum prophetiæ spiritu manifestius clarere futuraque simul et longinqua divinitus prospicere cœpit, tantum abfuit, ut ei ullo unquam tempore imponere possent : ut etiam omnia acta factaque illorum, perinde quasi præter oculos ei essent, longissime puro mentis intuitu prospiceret inclusus.

CAPITULUM VI.

SALUTAREM SINISTRÆ DIGITUM NE SACERDOTIO INITIARETUR SIBI PRORSUS ABSCINDIT.

Petrum interim ad Evangelicæ perfectionis fastigium hisce gradibus, quemadmodum supra demonstratum est, ascendentem, majoresque quotidie in Christianæ humilitatis atque obedientiæ virtute efficientem processus, visum est cœnobii Præsidenti, ad Diaconatus ordinem jam promotum, ad Sacerdotii quoque apicem evehendum : quo per istiusmodi dignitatis munus magis idoneus evaderet ad cætera Ordinis ministeria exequenda.

Hæc ut primum ad aures Petri perveniunt, mirum quam graviter ac dolenter ea ipse acceperit : id unum tantummodo per id maxime tempus laborans, qua scilicet ratione tam honorificum munus effugere posset, indignum se prorsus existimans, cui tantum onus Angelicis humeris formidandum demandaretur : scilicet veritus, ne per hanc speciosam occasionem, ad aliorum regimen rerumque administrationem iter sibi aperiretur; cum et subesse perpetuo potius quam præesse fixum illi esset, simulque constitutum, quoad per eum fieri poterat, nunquam se rerum tempo-

ralium tricis involvere : in sermone quotidiano usurpare solitus, res temporarias illarumque curationes plurimum homini ad cœlestia anhelanti afferre detrimenti, ac majoribus pretiosioribusque muneribus eum expoliare atque nudare. Quocirca, cum id ipsum nosset præclare, facere non poterat quin omnem quo posset conatu obsepiret viam, qua cum honoribus pro Ordinis consuetudine tum rei familiaris administrationi aditus pateret, minime dubius hoc degendæ vitæ genere facilius se humilis magistri sui Christi vestigia persecuturum.

In hac itaque deliberatione obfirmato animo cum esset Petrus, Cœnobiarcham ultro convenit ; ejusque pedibus advolutus, suum illi aperit consilium, sibique fixum in animo exponit, nunquam se velle suscipere Sacerdotii dignitatem ; quoniam suæ ipsius imperitiæ conscius, negat se posse, salva religione, hujuscemodi subire munus : proinde eum vehementer obsecrare obtestarique per Christum Dominum, ne ad id onus suscipiendum cogatur ; munus longe suis viribus impar, dignioribus, doctioribus sanctioribusque demandandum ; se sua pernosse vitia, suæque licet imbecillitatis haud ignarum, paratum tamen esse pro viribus in cæteris Ordinis functionibus, quæ ad privatæ vitæ rationem spectant, omnia semper excipere munia ; in Sacerdotio vero suscipiendo, non esse eum se, qui ejus partes pro rei majestate adimplere posset : quandoquidem divinam pene virtutem, et omnibus numeris absolutam tum corporis tum animi integritatem exigit ; satis superque auctum se atque cohonestatum Diaconatus ordine, ad cujus dignitatis gradum eo se prorsus indignum ascendisse, si recte meminerit quæ Apostolus scribit, cum ad Timotheum Diaconi mores, integritatem et virtutes exponit ; denique nihil non facere, nihil non dicere, ut ejusmodi se munus declinare permitteret.

Nec incassum plane. Siquidem Cœnobiarcha, modestiam Petri atque animi summissionem satis admiratus, gratulatusque pariter illius mentis candorem, peramanter in ejus ruit amplexus (quippe nihil æque valet ad hominum benevolentiam nobis conciliandam atque summissio moderatioque), eumque adhortatur ad Ordinis consuetudinem se ut accommodet; quod per hanc, vel omnium primam uti et præstantissimam inter omnes monachorum functiones, majorem se liberius Dei conjungendi habiturus sit facultatem. At pius juvenis nihilominus, parendi longe quam imperandi avidior, rursus Cœnobiarcham precatur precibus quidem infimis, ne a suscepto proposito se patiatur abduci. Demum id in præsentia tenuit ægerrime, aliis quam plurimis excusationibus ad frustrandum allatis, ut multum intercesserit tempus, quo nulla sollicitudine de proposita sibi dignitate premeretur.

Interea loci Francisco olim Altoviti,

Domus Præsidenti, Franciscus Turæ Montaninus, Senensis, sufficitur ; qui cum Petri consilium nullo pacto probaret (ut qui præclare intelligebat, quantum ad Dei gloriam propagandam splendoris, ad mortalium vero salutem commodi, conferant per Sacerdotium, qui una cum morum integritate conjunctam habent innocentiam vitæ atque sanctimoniam), non modo aliquid eorum quæ ad Sacerdotii gradum detrectandum Petrus afferebat, ad animum non admittebat, sed ne ad aures quidem; quin etiam illum monet hortaturque ut oneri supponat humeros, et Patrum consilia volenti libentique animo amplectatur.

Et ecce tibi novum in Petro certamen sui deprimendi ac summittendi, ecce rursus angustiæ. Etenim quibus humilitatis studiis Cœnobiarchæ voluntatem ad suam flectere se posse putabat, iisdem ipsis vehementius multo eam inflammabat, ut se de munere obeundo ad arbitrium ejus totum componeret. Quapropter cum omnem præreptum precibus locum, atque nullum esse reliquum perfugium ad evadendum Petrus cerneret; ac propius jam abesset ut manus daret, quam optata ex sententia consequeretur; interiori quam antea cura excubat animo iis studiosius observandis, quæ potissimum eum voti compotem facerent. Sed primum omnium ad Numinis voluntatem explorandam, ejusque auxilium in rebus suis afflictis vocandum, per multas preces incumbit, ut in summa voluntate Christi consilia exequendi eam sibi injiciat mentem, qua et aditum omnem huic dignitati obstrueret, et sui pariter contemptum, non verbis modo sed reipsa, per omnem vitam persequeretur.

Nec in irritum fusa obsecratio. Nactus enim spatium per eos dies medicum alloquendi familiariter, quærit ab eo, utrumnam, si unus ex altera manuum digitus cuipiam omnino amputaretur, mortis ille discrimen adiret. Ex quo cum hoc tulisset responsum, nihil videlicet in ea obtruncatione subesse periculi præter doloris : vix credas lætior quam sit effectus, non desperans fore, ut ea maxime ratione, rem utique ex animi sententia ipsemet conficeret. Id quod ab ipso Physico, quem vocant, ea animi dexteritate atque adeo tortuosis quibusdam interrogatiunculis expiscatus est, ut nunquam cogitatione assequi potuerit, quorsum isthæc Petri oratio tenderet.

Quid multa? Igne humilitatis velut œstro quodam percitus Petrus, rem aggredi statuit omnino, omni spe videlicet in uno Deo rei bene agendæ reposita. Per summam itaque speciem quodam die cochlearia lignea conficiendi, salutarem sinistræ digitum putatorio scirpiculo sibi prorsus abscidit; atque usque adeo constanter in se ipsum sævire ostendit, ut generoso ac alto quodam sui contemptus spiritu concitatus, nihil doloris visus sit pati; quoniam nullo emisso ejulatu, nullo edito gemitu, ac si

omnino doloris vim non sentiret, fortiter sectionem illam tulerit. Neque tamen id egregium humilitatis facinus suo tum caruit præmio. Tanta quippe repente divinæ dulcedinis vi perfundi se sentit, uti, sicut sub mortis suæ tempus confessus est, nova in præsentia divinæ gratiæ luce ejus menti oblata, certum de futura in cœlesti patria felicitate et gloria consequenda pignus acceperit. Verum, ne quid hic deesset ad probandam Petri patientiam, factum est, ut experimento exin didicerit, valde sibi care illam, qualis qualis, dulcedinem stetisse; quandoquidem (uti chirurgus, qui ei medicinam fecit, quique illi superstes fuit, satis constanter asseveravit) Petrus inter curandum ex nimio dolore in terram sæpenumero corruebat exanimis.

Atque tandem hoc validissimo impedimento fecit effecitque, ut in omni vita dignitatem ullam inire potuerit unquam; itaque in sinu gaudens desiderium suum explevit, se scilicet omnium vel infimum cunctisque subjectum exhibendi pariter ac vocitandi; Franciscum Assisinatem, cujus in defugiendo Sacerdotii munere exemplum in intimis medullis sibi semper inhæserat, imitatus; dein Ammonium eremitam æmulatus eximie; in utroque vero altissimam Christi Domini humilitatem secutus, qui non ministrari sed ministrare se venisse, verbis simul et factis sane quam egregie, dum inter mortales immortalis ipse Deus ageret, ostendit.

LIBER SECUNDUS

CAPITULUM I.

HUMILITAS EJUSDEM ET OBEDIENTIA.

Jam vero enarratis quæ Petrus ad vigesimum quintum ætatis annum gessit, non ab re fore existimo, immo vero operæ pretium duco, si in cæteris deinceps rebus ejus gestis prosequendis, ab humilitatis animique summissionis virtute exordium cepero : quandoquidem hujusce præclaræ virtutis studium (ut quæ cæterarum est parens altrixque præcellens) ita in omni vita adamavit, ita complexus fuit, ita demum constanter ac perpetuo tenuit, ut in eo uno vel principatum sibi vindicasse videretur.

Etsi autem arduum nimis ac operosum esse tradunt singulas Petri virtutes recensere, partim quod innumerabiles propemodum essent, partim etiam quod quæque facta sua exteriora simul et interiora, quæ a Deo acceperat dona et beneficia, omni studio cæteros celare semper contenderit ; quin etiam viri gravissimi astruunt, Petrum jam tum a puero a Domino studiose efflagitasse, ut mortalibus omnibus esset obscurus, nemoque deprehenderet illius pietatis studia atque exercitationes : id quod beatus quoque Pater obtinuisse, sub mortem divinitus jussus aperire non dubitavit; et hanc potissimum extitisse causam, cur pauca admodum de occultioribus ejus rebus gestis litteris mandarentur ; nihilominus tamen non potuit

ut iisdem Columbini verbis utar, tanta lux sub modio latere, tantus thesaurus abscondi, nec pretiosus tantarum virtutum liquor in vasculo ejus corporis recondi, quin aliqua ex parte efflueret exundaretque: uti mortales post suavissimum odorem factorum ejus currerent, et quidquid inde sibi et animarum saluti profuturum ducerent, ipsimet carperent.

Aggrediar itaque ad ea de B. Patre nostro Petro narranda, quæ nobis præ oculis proponuntur, non admiranda sed imitanda; cum alioquin non ignorem, quæ a sanctissimis Viris divinis circumseptis præsidiis facta conspicimus, quæque naturæ vires excedunt ac hominum superant captum, non esse imbecillitatis nostræ ponderibus examinanda: sed in eis æternæ mentis Numen, quo præside ac duce, immo per sui ipsius afflatum imperante ea ipsi patrarunt, fide potius et silentio esse venerandum.

Nos vero homunculos ad ea veræ pietatis, veræ ac solidæ humilitatis, et in Deum proximosque charitatis exempla imitanda descendere æquum est: ex quibus discamus, quo vel nobis itinere gradiendum sit, ad eam si velimus beatam patriam pervenire, quo ipsi pervenere qui se sancte casteque gesserunt. Horum unus vel præcipuus fuit Petrus noster beatus, cujus eximias virtutes non admirari, sed imitari; cujus vitæ rationem non animo suscipere, verum etiam factis amplecti; et cujus denique acta et operationes felici ac beata immortalitate dignas, quoad possumus et aliquanto etiam amplius quam quantum possumus, in nobis ipsis exprimere debemus.

Quæ quo clarius pateant, ad animi primum humilitatem atque summissionem, ut dixi, veniendum arbitror, in qua plus negotii residere videtur: utpote quæ sine controversia ad cœlestem beatitudinem consequendam summum in homine obtinet locum. Petrus igitur abscissione digiti maximum in modum lætus effectus, quod per hujusmodi mutilationem, non modo omnem sibi aditum ad honores ex sacris Pontificum Patrumque sanctionibus egregie obsepisse, verum etiam ampliorem viam ad sui contemptum ac despicientiam aperuisse videbatur; totus sibi consors, intra carissimæ suæ cellulæ fines, Deum speculatum se liberius recipiebat, seque in ea libentius continebat, et in se tanto frequentius inibi descendebat, quanto longe omnium mortalium se infimum, atque auxilii opisque divinæ in primis egentem, ex animo putabat.

Hinc fiebat, qua erat animi humilitate, quod quanquam tantis naturæ et gratiæ adjumentis mirifice apparebat instructus, nunquam tamen neque sanctimoniam, neque prudentiam, qua eximie pollebat, neque scientiam pariter ostentare est visus; sed de se suisque de rebus ita demisse ac humiliter sentire, perinde quasi unus ex infima plebe vel maxime foret: quin potius se ipsum

semper abjicere, semperque dejicere studebat; cupiebatque convicia et ludibria in se ab aliis ingeri, verborumque simul contumeliis lacerari.

Non dico ut nobilissimum familiæ genus jam inde a pueris contempserit, honoresque fuerit aspernatus per omnem vitam; quoniam tantæ virtutis non esse cognosco, dignitates et honores in postremis habere, quam sui ipsius despicientiam appetere : plus etenim est ut male accipi negligas, quam honorifice tractari non cupias; at vero illud summæ perfectionis, ut a gravissimis sanctissimisque Viris traditum est, ut pessime affici exoptes. Id profecto beatus Pater noster expetebat, et ad hoc votis omnibus inhiabat. Sed enim probe noverat non sat esse ad Dei gloriam magis illustrandam, in mentis tantummodo recessibus virtutes abstrudere, nisi et in opus, ad aliorum vel utilitatem vel solamen aut certe ad exemplum, erumpant. Ob id ipsum igitur, ne prorsus vacuus ab onere vel potius ab honore esset, hanc dignitatem intra cœnobium est assecutus; atque reipsa sic effecit, veri honoris ac solidæ virtutis haud ignarus, ut infima quæque munia et servilia ministeria sæpe obiret, quæ relatu etiam sunt indigna : quæ vero splendida, quæve honorifica, repudiare et aversus manibus pedibusque refugere.

Neque hisce tamen contentus fuit; a Patribus enim efflagitavit ægrotantium curam sibi demandari, quam et obtinuit. Sane ex iis quæ consecuta sunt, nemo sanus, quæsivisse Petrum locum quo magis se abjiceret, quoque plus charitatis in eo munere exequendo ægrotis Fratribus exhiberet, liquido non perspiciat. Astabat enim ille diu noctuque pro ratione morbi ægrotantibus; ipse solus Valetudinarii curator cibos porrigere, in os inserere; ipse sedulo erigere jacentes, extruere pulvinaria; ipse cubiculum arrepto verriculo purgare; ipse hortari, monere, nonnunquam etiam rogare; nihil ei esse gratius, nihil carius, quam languentes Fratres Patresque suos omni qua poterat ratione juvare. Interdum item blandissime appellabat, assidebat, colloquebatur, et dolores corporis animique mœrorem, non oratione modo plena humanitatis et officii, sed etiam re ipsa atque opere multo magis mitigabat.

Neque porro hic stetit res. Alia enim mira quadam animi contentione meditatus atque factis ipsis est executus; quo per ea magis magisque semet contemneret, seque aliis in dies singulos dicto audientem præberet : nempe, ut obsoletioribus Patrum vestibus resarciendis præficeretur, extorsit potius quam impetravit.

O profundam, Petre, animi tui summissionem! præclarum quippe tui ipsius exemplo Cartusiani Instituti hominibus documentum statuisti, quantum videlicet externa prosint ad interna reformanda; reformanda in te non dixerim, quæ nunquam per lethalem noxam

deformata ac labefactata fuerant : hoc est, dicam cum divo Basilio, ad humilitatem acquirendam plurimum exteriora humilitatis studia atque exercitationes conferre ; ut in cultu externo humilitati studeatur, in vestitu, in cibatu, in domo, in lecto, in domestica supellectili, atque etiam in hominum usu atque consuetudine, ac demum in omnibus ; ut in omnibus opere pariter et verbis splendor hujusce cœlestis ac divinæ virtutis eluceat, ejusque simul studium Religionis cupidus perpetuo colat.

Nunc vero quoniam de mirifica Petri humilitate, animi scilicet et rei dictum est, restat ut de ea quoque verba faciamus, quam sermone præ se semper tulit, cum ad animi sui sensa aperienda, tum etiam ut alios ad virtutes generatim excolendas, subditis non humanæ sed cœlestis gloriæ facibus, inflammaret. Eam itaque Petrus humilitatem in loquendo ostendebat, ut non secus de se prædicaret atque sentiret. Et quoties cujusque de virtutis laude sermo illi habendus esset, proximos ad eam amplectendam exstimulandi studio accensus, nunquam in virtutem illam, quam tum maxime temporis ob mentis oculos sibi laudandam proponebat, orationem suam retorquebat, ne quis forsitan illam ipsi adscriberet dicenti : sed hac summa in ea extollenda moderatione animi utebatur, ut vel semper in virum aliquem ejusmodi virtute insignitum, totum negotii pondus ac dicendi vim inflecteret.

Sed si quando hominem hisce virtutibus excultum videre illi contingeret, confestim ejus de laudibus sermonem instituebat, atque de ipso verbis adornando nunquam deponebat memoriam : idque ad exemplum atque spiritalem eorum ædificationem illi factum tradunt, qui disserentem auscultabant. Contra vero si quis ipsum aliqua aliquando laude, vel virtutis præmio, vel honore verborum ornare voluisset, mirum, quam indignissime id pateretur : quippe qui animo obturbatus vehementerque permotus, videbatur sibi ea laudatione non ornari solum, verum etiam onerari. Proinde nunquam passus est se laudari ; quin etiam se suaque contemni ac despici cupiebat : nullius esse numeri se dicebat prædicabatque. Et ut hoc caput his paucis absolvam, testati sunt, qui Petro pro Cartusiano Instituto familiariter utebantur, nunquam se hominem vidisse qui ab humanis laudibus æque atque ille abhorreret, aut qui de se sentiret humilius. Quod quidem ex hoc uno vel præcipue conjici potuit.

Vir quidam fuit virtute præstans Petrique intimus, qui cum haud satis probaret ad infima quæque illum passim descendere, seque tanta humilitate dejicere, cum tamen alioquin facere non posset, quin ob rerum spiritalium præstantiam litterarumque peritiam dignus existeret, cui cæteri omnes præsto essent illique obtemperarent ; per liberalem jocum semel ipsum perstrinxit, majorem plane in rebus gerendis auctoritatem et gravitatem requirens. Cui mox

Petrus : « Frater, inquit, Dominus meus Jesus Christus exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem ; » nil amplius in eam sententiam effatus. Sapienter utique his verbis declarans Petrus noster, veram Christiani hominis nobilitatem niti in obedientiam, obedientiam vero in eximiam quamdam animi summissionem; sic prorsus, ut hominem homini propter Deum se subjiciat. Quo præclaro responso, amico homini, tum vocem inclusit, et singularem apud eum, quoad vixit, egregiæ cujusdam sanctimoniæ opinionem reliquit ; quam ille exin apud se sæpissime reputare et ad alios volens ac lubens narrare solebat.

CAPITULUM II.

EJUSDEM PAUPERTAS ET QUIDNAM DE EA SENTIRET.

Etsi non imperitus rerum æstimator, qui voluntariæ paupertatis spiritus Petro fuerit, et quo illius desiderio teneretur, quod ejusmodi virtutis amore captus mirabiliter patrio solo egredi et remotissimas orbis partes obire jam inde ab ineunte adolescentia expetiverit, ex iis clare nosse potuit, quæ supra docuimus ; tamen de ea singillatim exponere visum est, quæ litterarum monumentis tradita quondam fuisse comperimus : quandoquidem huic virtuti tantum Petrus tribuit, ut eam, divi Ambrosii sententiam secutus, ordine primam et aliarum veluti virtutum custodem existimaverit. Cujus ita studiosum, ita cupidum ac peramantem se præstitit in omne tempus, ut omnium pauperrimum illum fuisse dixisses, modo virtutem ipsam animo potius quam re, uti æquum est, metiri velis : quin etiam in hoc omnes sui ingenii nervos contenderet, ut Christum, cujus humilitatem sequi studebat, per tolerantiam quoque paupertatis, omni ope in seipso exprimere curaret. Quod tam insigne Petri studium adversus divinam hanc virtutem Deus ipse, pro sua singulari clementia, ratum gratumque sibi videtur habuisse : quando certis divinitus declaratis argumentis ostendit, quanti apud se meriti hæc Petri paupertas fuerit, quantumque in eo ad extremum usque illam ipsam adamaverit.

Neque solummodo Pater noster beatus hujusce virtutis appetentissimum se semper præbuit, verum etiam non mediocriter amabat quos in eamdem virtutem animatos nancisceretur ; egregiam operam utique pro loco dando, ut in ea colenda perpetuo sibi constarent ; crebris insuper ob id ipsum sermonibus singularem aureamque hujus virtutis præstantiam usurpare solitus ; sæpissime autem, hominem sublimium appetentem, hanc potissimum virtutem excolere ; pietatis studio deditum, et Christi amore flagrantem, hanc sequi, hanc amplecti, et plurimum omnium amare ac magnifacere debere. Quæ uti præcipuo est homini impedimento, quo minus rebus hisce infimis adhærescat, qui quidem fons omnium malorum

esse solet; sic vicissim præclaro adjumento, quo mens ejus æternitatis amore et studio contineatur.

Atqui, licet ex Cartusiana disciplina probe nosset, omnem sibi ereptam facultatem precario sibi victum quæritandi; uti re ipsa liberius, quemadmodum vehementer expetebat, desiderium suum explere posset; tamen omni studio, quantum viribus consequi poterat, in id vel in primis incubuit, ut, quod illi proximum esset, egregie præstaret: nempe ut, quod per sui Ordinis Statuta haud sibi licere cognorat, id ipsum per se intra ipsa peristylia persequi se posse nunquam diffideret; uti saltem vel ipso desiderio meritum denudatæ prorsus paupertatis apud Deum consequeretur.

Videres igitur Petrum nostrum, in ipso sui aspectu, in sermone, in incessu, atque adeo in ipsis attritis ac resarcitis vestimentis, atque domestico cubiculi instrumento, quod more nostro cellicolæ attribuitur Cartusiano, ita divinam hanc paupertatis virtutem referre, ut in eo uno eadem ipsa paupertas sedem statuisse videretur: quoniam quidquid supellectilis haberet in cellula, adhuc in humanis agens, et quod elato jam funere in eo resederat, vix viginti, ut summum, sestertiis nummis supputares; nisi si forte inter ea, vilissima scruta, certo loco seposita, Patrum videlicet attritis et laceris tunicis resarciendis, adnumerare velis.

Hæc non mea, sed Columbini sunt verba; quæ clarius ut pateant, hoc loco ex Hetrusco in Latinum conversa inserere volumus. Levis, inquies, dictu res! Levis plane, fateor et ipse: verum credas mihi velim, minime negligenda perfectionis Evangelicæ maxime studiosis. Et quidquid, ait ille, de re mobili usui illi erat ex Cartusianorum Instituto, non pluris esse ducimus, quam unius tantum floreni. Cujus quidem floreni summam, si ad pecuniæ hujus temporis supputationem inire velim, sesquinummum aureum non explere certum est: modo rationibus, atque illius sæculi adversariis fides sit habenda, quibus utique habendam prorsus judico; quia in ea re vestiganda fateor me ratiocinatorem fuisse, curiosum eumdem ac diligentem. Quæ omnia ferme apud se habere Columbinus profitebatur; et licet despicatissima mortalibus, certe non obscuro argumento, quo loco apud beatum Patrem nostrum isthæc virtus esset, quantique illam fecisset: quod ea tantam odoris fragrantiam etiamnum, ait idem Columbinus, ex se effundunt, ut nulla eis aromata vel opobalsami rivuli, si per ædes fluerent, comparari possent: cum nullus aut myropola, aut unguentarius ullus conjectare valeat, undenam ejusmodi odoris fragrantia effluere seu manare possit. Rem miram! Cæterum quid, quæso, effusi odoris suavitas, nisi corpus ejus, cui hæc in despicabilem usum adhibebantur, ab omni vesana turpitudine et corruptela dum viveret abhorruisset?

Atque hæc in præsentia de pauperta-

tis studio dicta sint. Cætera, quæ teneo, quæque ad hanc ipsam virtutem mirum in modum faciunt, ex iis quæ deinceps consequentur animadverti poterunt. Verumtamen pauca quædam hisce subnectere operæ pretium duxi, quo aperte quisque intelligat quemadmodum Petrus avaritiam, tanquam, ut ipse dictitabat, omnium virtutum virus pestemque teterrimam, semper fuerat detestatus; sic vicissim prodigalitatem sumptumque immoderatum nunquam probare ausus, quin etiam profligandum esse omnino perhibere : quippe quem aliud esse nihil affirmabat, quam quamdam incontinentiæ partem, turpitudinis ac sceleris interdum affinem. Quod cum homines profuse largiendo egere cœperint, alienis bonis vel manus plerumque inferre coguntur, vel sibi ipsi vesano prorsus consilio mortem consciscere meditantur, vel certe miserandum in modum extremæ suæ ipsos pudet inopiæ.

Proinde cum ad Petri aures perveniret, Nobiles eosque vel maxime religionis amantes patresfamilias, in urbe patria inconsulte effuseque rem familiarem profundere, ad id præcipue luxu quodam inductos, ut inde munificentiæ splendorem acquirerent, aut in construendis ædificiis templisque condendis religionis famam colligerent; extemplo æger animi mittebat, qui rem illis periculi plenam demonstrarent, docerentque ea effusione quantum in discrimen adducatur omnis familia, atque idcirco viderent etiam atque etiam quid prudentia in re domestica constituenda atque moderanda requirat, aut quo loco eorum res essent, ne se ipsos neve alios perderent : consulerent ergo sibi, prospicerent familiæ, et modum denique liberalitati statuerent. Quibus de causis fiebat, ut qui in iis profusis sumptibus suum vellent sequi sensum, nequaquam Petrum in consilium adhiberent : quoniam quidem jam passim vulgatum erat (quæ constans de ejus sanctitate apud omnes opinio erat atque nomen) id illum ægre ferre prorsusque abnuere.

CAPITULUM III.

DE MULIERE AD MAGGIANAM CARTUSIAM SUB FŒDO CADENTE IMBRE SICCIS VESTIBUS PROFICISCENTE, ET DE SIGNO CRUCIS IN PANE DIVINITUS EXPRESSO.

Interea cum in dies Petri virtus et nomen, domesticis effractis claustris, latius manaret, populi concursus ad Cartusiam fieri cœptus. Alii enim Petrum consulendi gratia adire, alii officii causa illum convenire, alii alio impulsi studio ad eum se conferre : sæpius autem, ut ejus incensis officio et charitate precibus apud Deum juvarentur, visere : sæpe alias, ut castissimis ejus de rebus divinis sermonibus ad pietatis studium et religionem informarentur, ejus subire vultum.

Quocirca silentio haudquaquam involvendum arbitror, quod per hujus rei causam femina primaria nomine Agnes, quæ uxor olim fuerat Angelo Ugolino, satis constanter affirmabat. Narravit

enim se quondam familiaritate esse conjunctam cum quadam muliere pietati eximiæ dedita : quæ mulier cum magno arderet desiderio Petrum alloquendi, utpote quæ de ejus sanctimonia præclara, tum fama, tum auditione acceperat, hanc potissimum sibi rationem ineundam putavit, quo liberior expeditiorque ad Petrum illi pateret aditus. Detulerat femina hæc religiosa munuscula quædam Petro largienda, inter quæ panis erat unus justæ magnitudinis et ad speciem concinne confectus, seque nutrice beati Viri, de qua initio mentionem fecimus, comitatam ad Maggianum cœnobium dat in viam. Quo simul atque pervenit, beatumque Virum ad fores Domus convenit, pro voto ea ipsa munera illi dedit.

Quæ sane, mulieris ille simplicitate mirifice delectatus, simulque ejus admiratus benignitatem, venerabundus excepit; quo per hæc sibi quodammodo voti compos effici videbatur, ut ex emendicato videlicet aliqua ex parte sibi vivere liceret; et cum per Institutum, uti supra demonstratum est, ad alienas januas sacculo onustum accedere stipem corrogandi gratia se non posse cerneret animo, ad fores sui saltem cœnobii inveniret, qui sibi, juxta ac si unus ex sordidato pauperum grege foret, eleemosynam in Christi Domini gratiam præstaret.

Id mulier illa conspicata, tanta repente religione erga Petrum ferri se sensit, ut mox eam incesserit cupido, eodem non iterum ac tertio, sed sæpius revertendi ; uti vel optato ei liceret sancti Viri frui conspectu, pariter et gratissimis ejus collocutionibus ad pie sancteque vitam traducendam incitaretur. Quæ quo facilius mulier pietati suæ satisfacere posset, rata nimirum pergratum Petro se facturam, constituit quinta quaque feria, eodem nomine et causa, unicum panem illius consimilem conficere, eidemque inter pinsendum signum Crucis exculpere; uti die exin Veneris beato Viro ipsamet perferret, quo die simplicem duntaxat panis cibatum purumque laticem, more Cartusiano, illi esui esse ac potui didicerat. Ergo dum femina desumptum jam sibi humanitatis hoc institutum tueri curat diligenter, illud accidit non indignum plane quod prorsus omittatur.

Siquidem persancte asseverabat eadem nobilis Agnes, se sæpenumero hanc mulierem conspexisse ad Maggianam Cartusiam cum decreto jam pane proficiscentem, fœdissimo e cœlo ruente imbre, ac undique inundantibus vicis et compitis, eam tamen rursus cerneret in ituredituque vestibus atque adeo siccis crepidis, nulla ex parte videlicet imbre perfusam, domum remigrare. Nec sane mirum. Siquidem tunc imber feminam tangere expavescebat ; quia mox ut flammam charitatis sentiret, ne injuriam faceret, gutta retorquebat se se.

Cæterum neque hic tamen stetit res ; aliud namque non minus admirabile,

eadem lectissima matrona referente, tradunt. Nam cum Veneris quodam die mulier illa ad panariam arcam, panem de more sumptura, perrexisset, ut illum inde ad Cartusiam deferret, ingenti perculsa stupore acutissimum clamorem edidit; quem cum Agnes exaudiret (utpote quæ, casune, an Dei nutu? apud feminam tum temporis degebat) eo confestim accurrit, ubi mulierem ipsam defectæ similem offendit; simulque, res mira! inspexit ita divinam apparuisse virtutem, ut in pane beato Viro apportando, contrarius color duas exprimeret Cruces, et varietas distincta duplex salutis nostræ signum monstraret: alterum nempe purpureo conspersum sanguine, alterum vero fulgentissimi auri instar eleganter elaboratum affabreque distinctum. Quo præclaro viso Agnes in admirationem acta, tantisper expectandum duxit, dum mulier suæ esset mentis. Quæ cum tandem ad se rediisset, palam testata est, alia se longe majori admiratione digna conspicatam, quæ in præsentia effari propalareque se posse constanter negavit.

CAPITULUM IV.

PETRI A CIBO ABSTINENTIA, ET DE CORPORIS DOLORUM TOLERANTIA PER OMNEM VITAM DECLARATA.

Cum primum jam inde a teneris supra ætatem Petrus sapere visus est, Numinis providentia illum dirigente, primum omnium certamen adversus corporis illecebras sibi instituendum duxit. Hinc in ætatis illo quasi tyrocinio et disciplina puerili protractæ vigiliæ, hinc somni parcitas incredibilis, hinc humi accubationes, atque cætera dein sordium amovendarum desumpta munia, uti supra demonstratum est, in lepra laborantibus curandis conspici poterant: ut iis videlicet exercitationibus valentior annis insequentibus, ad præstantissimas Christianæ vitæ virtutes comparandas illius exurgeret animus, atque uno eodemque tempore præclaros ejus mentis impetus ad rerum cœlestium contemplationem facilius ipsemet erigeret. Scilicet per vitæ degendæ duritiem, Christi nomine ac causa rite susceptam, perque corporis labores pro expiatione animi religiose casteque exantlatos, quis non cernit animo, vel pristinum ac ingenitum mentis candorem securius retineri, vel deperditum aliquando (quæ humanæ conditionis est fragilitas) facilius redintegrari; et, veluti sale perfricatam carnem, a corruptione totum spiritalem hominem, ne turpiter lasciviens in luxuriem diffluat, asservari?

Quod cum Petrus optime intelligeret, animum adjecit ad suum castigandum corpus, quo, eo mortificato atque in servitutem redacto, una simul cum apostolo Paulo, non sibi, sed Christo, et Christus viveret in eo. Ergo in hanc sententiam ingressus, statuit ad superiora Christiani animi doumenta non minus præclara adjungere alia, nempe inediam ciborumque abstinentiam amplexandam, et mordicus ad extremum

usque tuendam putavit. Cujus rei perficiendæ eo majorem in spem veniebat, quo acrioribus in dies stimulis ad Evangelicam perfectionem sectandam se sentiebat impelli; quam, stolidus ac amens prorsus est, qui sine hujus virtutis præsidio consequi se posse putat: quandoquidem tanta in hac ipsa abstinentiæ virtute vis est, tanta dignitas et splendor, ut sine illa cæteræ nec lucere quodammodo, nec cohærere queant.

Cujus sane virtutis sapidissimos fructus in singulos dies tanto avidius Petrus degustabat, quanto frequentius ad suavissimas orationis et contemplationis epulas accedebat; et eo usque illius exarsit amore, ut intra Cartusiana septa studiosissimus omniumConstitutionum nunquam non fuerit, quæ Patribus Ordinis ad singularem hanc parcimoniæ virtutem colendam antiquitus sancitæ fuerant: quæ et quales sint, quam prolixæ ac diuturnæ, ipsi per se intelligunt, qui Cartusiana Statuta aliqua ex parte se perhibent tenere.

Siquidem a die Sanctissimæ Crucis Exaltationis in Cineralem usque lucem, in die semel duntaxat exiguo victu vitam suam tolerabat; idem rursus ab eo tempore, hoc est, a capite Quadragenarii jejunii ad sacrosancta Dominicæ Resurrectionis solemnia ægrius multo asperiusque vitam transigere; idem tota hebdomada ante Sanctissimi Paracleti celebritatem; idem multis aliis deinceps diebus, quos ipse privata quadam religione propter certorum Sanctorum merita observare solebat, non pulte tantum aut lacticiniis (de esu quippe carnium capitale prorsus est in omni vita apud Cartusianos verba facere, nedum aliquid degustare) sed omni fere cibo abstinebat. Et in hoc tam aspero ac duro vivendi genere illud imitatione dignum,quod ad communem mensam, festis more nostro duntaxat diebus, in triclinio ipsemet accumbens, iis communibus semper est usus cibis, quibus eam instructam reperiebat: nihil inter edendum questus, nihilque singularitatis præ se ferre unquam visus. In cellula vero eam frugalitatis ac parcimoniæ rationem retinere, tantumque de potu et cibo sibi detrahere, quantum suum ipse corpus, tanquam lascivientem ac indomitum asellum, perdomare consueverat.

Magna profecto laus Cartusiani cellicolæ, omnes hujus salutaris abstinentiæ, quam sibi suus præscribit Ordo, explere partes. At Petri pietas eximia longe progressa est. Non hisce solum finibus ejus animi religio circumscripta tenebatur: quoniam incredibili pro Christo patiendi incensus ardore, asperiora et austeriora sui ipsius arbiter crudelis commentus est. Etenim acerbissimæ necis Servatoris nostri prosequenda memoria, per totum quinquennium in somno capiendo caput ejus, sive ab læva sive a dextera, ab humeris per cervicis confinium, nullum sublevavit cervical, nullo nixus ille tabulato, nulli denique parieti unquam adhæsit; sed

vel stantem vel sedentem somnus opprimeret.

Quid prius mirere nescio, an stantem ac interrupte dormitantem, an secum dimicantem seque pariter vincentem, vel demum densato, in ipso stratu, modo æstu caloreque pro tempore adustum, modo frigore rigentem. Cuncta plane dura factuque difficillima : nisi quod corporis debilitatem animus Deo occupatus minus sentire potuit : et si autem (quæ humana est imbecillitas) ea sentiebat, pro Christi tamen amore levissima ducere. Cæterum ad illustriora merita consequenda factum est, ut præ ejusmodi sui corporis negligentia diuturnum in morbum inciderit. Nervis enim colli diu multumque distentis,ejusque laxatis connexis, per omnem dein ætatem maximo cum cruciatu obstipus incessit.

Id cum primum cœnobii Patres animadvertunt, tanto malo omni studio succurrendum rati, mittunt medicum accersitum, ut ei medicinam faciat. Quod ubi Petrus rescivit, præclaro sui ipsius odio inflammatus, neque incommodi causam neque dolorem illi aperire constituit : veritus, ne dum remedia corpori adhiberentur, gravem utique meritorum jacturam faceret ; quin etiam in semet acri verborum castigatione usus, ita secum ipse loquebatur : « Poterisne, Petre, æternas flammas effugere? Poterisne supplicia cruciatusque innumerabiles in summa rerum omnium desperatione sustinere? Si poteris, accipe, et hæc humana adhibe remedia: sin, quorsus hæc ? Ad quid curationes? ad quid tanta mollities animi? Quid medentium auxilia ad æternam felicitatem comparandam ? Cur potius non omnes molestias devorandas, omnes miserias expetendas, omnemque difficilem ac bene longam in te ipsum dimicationem subeundam statuis ? Dejice proinde ac prorsus abjice hæc corporis solatia, excute secordiam, negligentiam procul repelle, et te virum præbe dignum plane Christiano nomine, dignum pietate ac religione. »

Pœnarum proinde cupidus Petrus, Christum Jesum suum liberatorem precibus quam intentissimis rogat, ne pro sua clementia eo ac tanto morbo illum unquam eximi patiatur ; quin potius alia aliis in singulas horas cumulet incommodis : uti vel adumbrata quadam specie, haud absimilis ipse creatura, in se sui referat Creatorem, propter illum in terris olim tanta atque immania perferentem. Nec in irritum missæ preces. Siquidem quoad vixit, cum capitis dolore, tum aliis corporis languoribus pœnisque acerrimis adeo fuit exercitus, ut quinquaginta fere annos natus cum esset, sexagenarium et eo plus duxisses : quas quam nihilominus pœnas libenter susciperet ferretque moderate, vel ex eo tum prospici potuit.

Laborabat aliquando Petrus ex laterum doloribus adeo acriter et acerbe, cum medicus nobilis ei admodum carus, cui Angelo Domini Colletti nomen

erat, ejus invisendi gratia ad Cartusiam veniret, eique graviter ægrotanti multa ac varia medicamenta ad pœnas propulsandas proponeret, ipse, dum se illis indignum (qua erat humilitate) ducit, repente magno lacrymarum imbre ex ejus oculis se se effundente, exclamavit, dicens : « Recordare, fili, quod recepisti bona in vita tua. » Nec plura in eam sententiam locutus; sed se naturæ duntaxat et tempori sanandum permisit, remediis quibuscumque ad morbum rejectis : tantum abfuit, ut de sententia graduque severitatis dejiceretur, in id solummodo pro viribus incumbens, ut magnam languoris molestiam majori virtutum consideratione frangeret, animo etiam fortior quam corpore debilior.

Ergo miretur nemo, si Petrus noster exterioris hominis curationes respuisse dicitur, quando ad interioris cultum tantummodo animum contulerat. Cujus rei causa neque horridum cilicium, neque laneam interulam, et asperam intortamque restim, quam ad lumbos Cartusianum in morem præcinctam ferebat, neque demum caligas reliquumque vestitum, nisi post longum temporis intervallum sibi detraxit unquam, atque ea tum potissimum squalore obsita ac sordida exuere compelli potuerit. Ita enim a vestimentorum deliciis nimiaque munditia semper abhorruit, ita a reliquo corporis ornatu alienum se præstitit, ut credam esse neminem, qui eam, quam per eadem appressa carnibus vestimenta in se ipsum exercuit duritiem, magnæ illi fuisse molestiæ certo neget.

CAPITULUM V.

EJUSDEM PIETATIS STUDIA, ET QUO MAXIME MODO AD ORANDUM CONTEMPLANDUMQUE SE COMPARARET.

Per languores assiduos et carnis macerationes, perque maxime ipsius virtutis pulchritudinem et amorem, quo in dies mirifice Petrus capiebatur, tanta mentis tranquillitate se perfrui sentiebat, ut omnia ei pacata cum essent, et in placidissimo quodam internæ pacis portu quasi securus consisteret; eum dictis factisque rerum suarum statum felicem atque jucundum tenere præ se ferebat, ut cum in terris esset, primitiis quibusdam frueretur cœlestis illius status, ubi ad summam et perfectissimam pacem, per æterni Numinis conspectum augustissimum, omnia rediguntur.

Hinc plane erat, quod, ut Christum vocantem sequeretur, Christumque qui eum jam duxerat in solitudinem, loquentem ad cor ejus audiret, totum quidquid habebat virium tum animi tum corporis, divinarum rerum meditationibus cœlestiumque bonorum contemplationi impenderet. Cujus quem teneret modum, in præsentia mihi scribenti, occurrit admirabilis illa precandi institutio, qua, divinitus dixerim, jam inde a puero in paternis ædibus fuerat imbutus : quam cum ipse reputo, magnam profecto rerum divinarum acces-

sionem intra Cartusiana peristylia illi factam fuisse dicam necesse est : ubi nihil cum sæcularibus rebus commune est, nihilque rerum humanarum hominem cœlestibus inhiantem perturbat, quin etiam omnem facultatem præbent orationi sine ullo impedimento vacandi; quæ, ut a vulgi consuetudine longe remota sunt, ita maxime accommoda ad mentem in supernarum rerum contemplatione continendam.

In his itaque peristyliis, tanquam in stadio quodam, per quod ad veram solidamque Christianæ virtutis perfectionem curritur, Petrus se se exercens, tantos progressus in rebus spiritalibus fecit, Christo magistro ac præceptore, tantosque in orando et meditando profectus habuit ; ut id unum in eo sane admirandum fuerit, inter præclara ac singularia dona et ornamenta, quæ Deus ipse in eum plena manu congesserat, quod adeo divinarum rerum commentationi deditus fuerat; ut nulla unquam res vel prospera vel adversa mentem ejus interturbare aut impedire posset, quominus Christo Domino, cui se totum dicarat, assidua meditatione frueretur, eique mira quadam spiritus dulcedine jungeretur.

Quapropter satis compertum fuit (uti qui in intimis ejus amicis fuerant litterarum Monumentis prodiderunt) id eum per hoc unum precandi studium assecutum, non modo ut mentem suspensam in Deum atque abstractam gereret, sive staret, sive ambularet, aut in cellula more nostro inclusus, vel una cum Patribus Domus, vel cum aliis qui ad eum confluebant colloqueretur; sed eo charitatis erga Deum devenit, ut vim sibi ipsemet inferret sæpenumero, ne de rebus divinis verbum ullum faceret; propterea quod verebatur, ne spiritus vehementia atque divini amoris ebrietate a sensibus mox abstraheretur; sicque de eo jam tum dici poterat, divina magis illum pati quam agere : tametsi, ut sibi suæque humilitati in omnes partes constaret, summa ope nitebatur, quantum revera solerti dexteritate studioque consequi posset, ut nemo prorsus hominum adverteret, quæ et qualia munera atque altiora lumina, tanquam divini amoris in se monumenta eximia, rerum omnium Opifex sapientissimus inter orandum illi impartiret.

Cæterum de tantis ornamentis ac beneficiis, in Petrum divinitus collatis in hoc precandi studio, fusius ut exponam, quæ sub idem orationis tempus ipse faceret, aut quo maxime modo ad divinum hoc opus quam castissime curandum se compararet, paulo mihi altius ordienda tota res est.

Joachimus Cianus fuerat juvenis, ortu Senensis, honestoque loco natus ; qui Petri virtute ac fama sanctitatis excitus, ad eum, ut erat pietatis sectandæ cupidissimus, se contulit, quo illi se se totum regendum ac gubernandum in rebus spiritalibus agendis traderet. Cujus egregiam juvenis ad studium pietatis ac

religionis indolem gratulatus Petrus, eumdem mirificos in dies progressus in virtute habentem adeo diligebat, ut dignum illum judicaverit, quem consiliorum suorum participem faceret; et eo tanquam peridoneo internuncio uteretur ad eos præsertim homines hortandos, rogandos, aliquando vero monendos, nonnunquam etiam objurgandos, quorum vel præcipue salus illi cordi esset; seu ad ea maxime negotia in rem Christianam gerenda, quæ per se, Instituti ratione præpeditus, conficere vel explicare non poterat. Quibus de causis factum est, ut cœnobii Patres, et Petro pergratum se facturos rati, et ipsius Joachimi precibus permoti, hominem in suam amicitiam et consuetudinem vocaverint, libera ei potestate facta ad Petrum suo arbitratu accedendi recedendique, nulla vel temporis seu loci habita ratione.

Is igitur Joachimus, cum magno in singulos dies desiderio teneretur cognoscendi quæ præcipua pietatis studia Petro essent inter orandum, quaque potissimum ratione in cœlestibus contemplandis se componeret, neque id ipsum apud Maggianos Patres consequi se posse cerneret, illorum cellulis in ipsum cœnobii peristylium omni ex parte septis; occasionem nactus migrationis Petri ad Cartusiam Belriguardi, duo ab urbe Sena millia passuum, quam anno hujus sæculi a partu Virginis 1341 condendam testamento reliquit Nicolaus Cinughus, prædives ac nobilis trapezita Senensis, eo beatum Patrem Joachimus secutus est: tempus videlicet advenisse ratus, quo voti compos tandem redderetur.

Nec eum sua fefellit opinio. Siquidem domunculis, Cartusianum in morem nondum in Belriguardi xysto per id tempus, æquato ordine atque discretis intervallis, extructis, cubiculum ad habitandum Petro domi attributum fuerat haud a cæteris disjunctum; ex quo facili negotio quid in eo solus faceret, quæ suspiria quosve gemitus ederet, ab sagaci scilicet exploratore cerni et audiri poterat. Qua in re loco usus in tempore Joachimus, sub vesperam primum, deinde a Matutina precatione (quo tempore, Vir beatus quidquid supererat otii ad lucem, id totum non somno et quieti tribuere, sed in rerum divinarum contemplatione insumere consueverat) in omnes actus operaque Petri excubans animo, ad quamdam ejus cubiculi januam suspenso vestigio adrepens, Petrum ipsum observabat, modo genua humiliter flectentem, modo lumina sursum tollentem, modo item toto corpore humi se prosternentem; aliquando terram illum cernebat exosculari, atque se totum Deo humiliare; aliquando pectus miserabiliter verberare, et singultibus gemitibusque cubiculum implere; nonnunquam autem Evangeliorum codicem in manus sumere atque sacræ lectioni ita studiose atque diligenter incumbere, ut lacrymarum profusione continuo oborta li-

brum largissime interlegendum dilueret; quem, ut membraneus erat, sic ex oculis imbre fluente crispum undique (uti Columbinus testatur) videres, perinde ut aquis immersum. Exin alias beatum Patrem Joachimus se conspexisse præclara testificatione firmavit, vestigio stantem, mox in genua iterum se excipientem, et corpore et animo immotum, non secus atque a se ipso alienatum. Interdum pansis brachiis divina quodammodo charismata cœlitus præstolantem; plerumque item post ejulatum ac mœstissimos fletus beatum Virum nostrum contemplabatur tanta gestire lætitia, ut oculis in cœlum defixis ac manibus sublatis, satis superque ostenderet, se non in terris mortalem inter mortales agere, sed in Cœlo quasi immortalem regnare.

Quis autem nunc dicendo consequi potest ejus animi ardorem, cœlestibus ignibus flagrantem? Quis oratione explicare ipsius divinæ mentis tacitos reconditosque sensus, e cœlestium rerum contemplatione delibatos? Quis gaudia, quis divinæ influxus auræ, quis denique cœlestis Numinis radios in eum immissos mente et cogitatione complecti potest? ad quæ omnia recipienda non tam laborandum illi erat, quam animæ sinus laxandus atque expandendus. Quoties se ipsum, quoties suos, quoties Rempublicam Christianam universam Creatori ac Parenti omnium nostrum commendabat!

Sed quid opus est alieno uti testimonio et opera, cum per se res ipsa loquatur? Ipsum, inquam, beatum Patrem nostrum audiamus, ac simul quæ jam Cœlestium inhabitans patriam, beata immortalitate cinctus, voluit indicare, in animum nostrum patulis nos auribus demittamus. Quæ plane eo majorem auctoritatem et fidem sibi conciliare, gaudioque simul lectorem afficere debebunt, quo longe præstantiora celsioraque divina sunt humanis; et ab eo nimirum ea se mortalis homo accepisse gaudebit, qui in terris olim cum esset, tota mente tamen sublime elatus, non humanam sed divinam quamdam vitæ rationem semper fuerat persecutus.

Petrus itaque cum post suum obitum cuidam viro, cœlesti radians luce, apparuisset, ac multa tum de rebus divinis cum eo misceret colloquia; de his inter alia (uti Columbinus qui hæc ipsa sacramento narravit, atque rem adeo testificatus est, ut æquus rerum æstimator facili conjectura consequi possit, eumdem ipsum fuisse, cœlestium rerum ignarum adhuc et rudem, cui hæc ipsa contigerint) vir ille sublimium appetens beatum Petrum percontari est aggressus: « Dic, amabo te, mi suavissime Pater, num qui se totum jam Deo dicavit deditque, percipiat, cum divinæ ac cœlesti contemplationi vacat, voluptatem, aut aliqua suavitate spiritus perfundatur? »

Cui mox Petrus: « Ea, inquit, afficitur ille voluptate, et ea capitur delectatione, ut intelligi percipique non possit,

nisi ab eo qui cum ingenti animi dulcedine solidos inde divinæ voluptatis fructus capiat : quin etiam tanta cœlestium gaudiorum copia, dum divinis meditationibus insistit, abundat, iisque divinis cumulatur donis, ut interdum exclamare possit, Spiritu se divino ad cœlum usque humo excitatum esse. Ita plane est. Quippe cum mortalis istius vitæ, tum cœlestis hujusce ac divinæ, mirabilem sibi notitiam comparat.

« Hujus rei gratia exemplum afferre libet de sanctissimo Christi Domini apostolo atque evangelista Joanne; qui cum ingentem vim aquæ divinæ contemplationis bibisset, protinus eas altissimarum rerum notiones obtinuit, ut oratione exorsus sit eloqui adeo sublimi, ut nullus unquam alius eam attentare antea vel postea ausus unquam fuerit, quando ipse Deo plenus intonuit : *In principio erat Verbum, etc.* Quæ sane verba, altissimis gravida sacramentis, nisi qui præcipuo munere sunt ornati, et madidi hujuscemodi perenni ac vera contemplationis aqua, intelligentia comprehendere nequeunt : ad cujus præcellentem eximiumque statum perpauci evehuntur, cum omni virtute ac perfectione sit refertus; nemoque ob id ipsum unquam fuit mortalium, qui cum vere de hac perlucida bibisset aqua, a Christo Domino descivisset.

Huc facit sane id quod apostolus Paulus de se ipso dicit : *Raptus sum,* inquit, *ad tertium usque cœlum,* hoc est ad thronum Sanctissimæ Trinitatis, ubi e largissimo ac purissimo fonte Christo Jesu bene potus redivi; ita ut, velut ebrius hac divinæ contemplationis aqua, nihil deinceps aliud præter ipsum Christum et hunc Crucifixum vellem : atque hoc loco sic exclamabat divinus Apostolus, ut semet totum in ipsum Christum transferret immutaretque, *Cupio,* dicens, *dissolvi et esse cum Christo :* a quo neque Angeli, neque dæmones, neque contumeliæ, non mors, non fames, non sitis, nec quidquam aliud me separare potest, usque eo me meus secum colligavit constrinxitque Christus.

« Magdalenam rogita, quæ quotidie statis horis Angelorum ministerio sublimis rapiebatur, Deum ipsum speculatum. Hic animo præsumas velim quantum hujusce divini ac purissimi laticis exhauriret. Percontare Franciscum Assisinatem, cujus in res divinas contemplatio præclarum sortita fuit effectum; quando manibus ac pedibus una cum lateris stigmate Dominicæ Passionis argumenta in se admodum insigniter repræsentavit. Jacoponum sciscitare Tudertem ex ejusdem Francisci familia, virum summa sanctimonia præditum; qui quo facilius spiritalibus invigilaret contemplationibus, sui in primis despicientiam atque contemptum adamavit peregregie, uti sæculo atque sibi ipsi mortuus, soli Deo per tantas rerum divinarum meditationes inhæreret. Nec incassum plane ; siquidem

mundana omnia, quæ cæca mortalitas præcipuo in honore habet, fastidiens, ac totus in Deum absorptus, tanta plerumque divina dulcedine perfundebatur, ut per plateas et compita velut amens pererrans, in ludibrium rerum humanarum, Insaniam, clamitaret, Insaniam! »

Mox tum iterum ab homine rogatus Petrus : « Ecquemnam saporem, adjecit ille, isthæc aqua divinæ contemplationis habet? » « Tot mirificos, respondit beatus Pater, refert sapores, ut apud mortales verbis exprimi nequeat. » « Quantum, quæso te, adjunxit, dulcissime Pater, de hac bibisti aqua, dum hujusce lucis usura fruebaris ? » « Tantum de ea mihi bibendum degustandumque traditum est, ut millies in die pro Christo mortem appetere non dubitassem; tantum, inquam, ut orbem terræ universum pro palea commutassem. Tantum præterea Divinæ intelligentiæ per hanc contemplationis aquam ebibi, ut aliud vellem nihil, nisi paupertatem sanctam, meique in omnibus despicientiam atque contemptum. Tantum de ea exhauriendum suscepi, ut omnium odia in me concitari, et in ipsam omnium mortalium invidiæ flammam conjici pro Christi Domini mei causa percuperem. Tantum plane hujusce aquæ perpotavi, ut per eam lacrymarum dulcedinem mihi comparaverim, erga peccatores ingentem commiserationem acquisierim, per eam discretionem, per eam fidem, et per eam martyrii desiderium fuerim consecutus. Tantum hujus divinæ aquæ servis suis Deus porrigit bibendum, ut per eam sigillum illibatæ virginitatis, quæ soror est Angelorum, ac alia quælibet virtus acquiratur. »

« Dic, obsecro, Pater, qui sermones quæve colloquia huic viro sunt ad id contemplationis fastigium elato? » « Eos habet sermones usque adeo suaves atque altissimos, respondit Vir beatus, ut his verbis Christum Dominum fidenter compellare posset interdum : « In viridarium floribus distinctum pomiferisque arboribus adeo consitum me perduxisti, ut præ ingenti suavitate odorisque fragrantia languere in eo ac prorsus deficere me sentiam; ad fontem, perennium aquarum copia exuberantem, ut summergar omnino ; ad amœnissimum quemdam secessum, in quo grata opacitate, purioris auræ dulcedine tanta cum voluptate fruor, ut inde pedem efferre nunquam vellem. »

« Atque hic ad omnem remissionem spiritus, laxato apertoque cordis sinu, dulcissimum otium agit; inque Christum figens oculos, cum eo sic amanter miscet sermones : « Pro te emori velim, pro te paratus sum ostendere me in omnem aleam, et ad quodlibet supplicium perferendum, quo vel tandem aliquando tecum ad istum egregie cultum hortum perducar, ubi miro colorum decore odorumque suavitate rosæ, flores ac lilia perennant. » Dein secum ipse loquitur, ex imo pectore mugitus

emittens compunctionis, singultus edens pietatis et animi ardoris, atque plangores eliciens satisfactionis, omnis dulcedinis sapore conspersos. Roga hominem ad cœlestia anhelantem, quidnam sibi principio sit in optatis? « Fletus, ait, et suspiria mœroris interni, dum orationibus ac divinis meditationibus insisto; qui quidem fletus in omne gaudium dein ac suavitatem convertitur. »

Hæc et alia quamplurima in eamdem sententiam rogitatus Petrus dixit : tanta videlicet vultus tamque divina oculorum pulchritudine et splendore refulgens, tantoque oris decore ac corporis totius habitusque dignitate conspicuus, ut mirum nec sane fuerit, eum, qui horum postulator et auditor fortunatus extiterit, extra se raptum et ab omni sensu corporeo in terram decidisse alienatum, ibique tantisper exanimem jacuisse, donec illum beatus ipse Pater excitasset, opemque ei, ut inde surgeret, attulisset. Qui quidem Pater beatus putandus est etiam (subdit Columbinus) nonnihil jam tum de suavissima hac contemplationis aqua fideli servo suo gustandum tradidisse, de qua eximio fulgore micans, verba illi fecerat; iisque peractis, Petrus, Beatorum lumine fulgens, cœlos conscendit.

Nunc vero ex hisce quæ modo demonstravimus haud absurda ratione cordato prudentique viro conjectare licebit, qui sensus rerum divinarum Petro essent; quosque divini amoris impetus in cœlestibus contemplandis, mortalitatis etiam dum mole prægravatus, sustineret; et quos denique ex hoc divino otio fructus internæ pacis et tranquillitatis in dies singulos caperet. Qui quanquam domestico affatu lætoque semper vultu omnes excipiebat, et inter omnes familiariter in cœnobio pro instituto ac tempore versabatur, tamen quoties vellet atque ubi se ferret occasio sui ipsius colligendi, protinus mente ac sensibus alienatis, totus scilicet divini ardoris vehementia abreptus, in Deum rapiebatur. O virum Dei plenum! O virum, inquam, cœlestem! Non secus de rerum divinarum contemplatione pro humanæ imbecillitatis captu te loquentem audimus, atque in terris corpore cum morarere, animo in cœlo collocatus, experiebaris.

CAPITULUM VI.

CHARITAS EJUSDEM ERGA DEUM ET PROXIMOS; ATQUE DE EXIMIA EJUS INNOCENTIA VITÆ ATQUE SANCTIMONIA.

Si quis animum cogitationemque intenderit in ea quæ paulo ante docuimus, nil dubium est, quin facilius ipse multo intelligat, qua charitate Petrus in Deum esset, quove illius desiderio in momenta singula æstuaret; quam ego, expers ingenii egensque virtutis, oratione persequi queam. Nam quid suavissimi ejus fletus in cœlestibus contemplandis? Quid tot labores, tot vigiliæ? Quid tam acre ac diligens precandi studium? Quid, inquam, illæ

fervidæ ad cœlum aspirationes, et ejulatus ex imo pectore missi? Quid denique vehemens illud pro Christo ejusque gloria illustranda patiendi desiderium? Ingens sane erga Deum amor, quo ille dies noctesque flagrantissime ardebat, hæc et alia multa his similia operabatur. Quippe cum in eo, quem toto mentis affectu amabat, cor et mens ejus confluxissent, facere non poterat quin divinæ Bonitatis suavitatem jucundissime degustaret; præsertim cum ei nihil omnia humana, ab omnibus hujus sæculi nequam sejuncto illecebris, essent præ ipso Domino et præ illius amore.

Quibus de causis fiebat, ut ob suavem divini amoris unionem suæ vitæ diuturnitatem assidue deploraret, et cum dolore hæc et alia id genus sæpissime repetendo vociferaretur: « Quousque miser, quousque hujus corporis curis distinebor? Ecquando aderit tempus illud, quo Christi mei optatis amplexibus fruar? Cupio, mi Domine, mi Jesu, mi dulcissime amor, dissolvi; ut tandem aliquando sim tecum, tibi jungar, et tecum vitam vivam Cœlestium. » Quæ quidem verba tanto cum sensu pietatis, tantisque animi motibus, incredibili studio Deo fruendi elatus, beatus Vir proferebat; ut pene sui oblitum, atque adeo plane oblitum, totum in Christi amore absorptum diceres.

Sane testantur auctores nostri, Columbinus nempe ac Nicolaus Vincentus, identidem se conspexisse Petrum nostrum, totum propter cœlestis æternitatis desiderium a sensibus alienatum: nonnunquam vero ad Deum ferventissimis aspirationibus usque eo conversum, ut præ suavissima divini amoris dulcedine prorsus liquescere, et mente et corde a se ipso deficere, et in Deum mox rapi videretur: idque illi usu venire tum potissimum solebat, cum rogaretur, cuperetne mori atque deposita terrena corporis mole ad cœlestia vellet evolare? perinde quasi in unius cœlestis patriæ recordatione securus acquiesceret.

Equidem (adjiciunt illi) publico testimonio confirmare non dubitamus, jam dudum nos Petrum ex ejus dictis factisque videlicet advertisse, minime dubia spe duci, quin etiam certo sibi constare, in Cœlo post suum decessum Beatorum spirituum se fruiturum consociatione: quod nihil magis expeteret in singulos dies, quam ut ad Superos quamprimum demigrare ei contingeret. Sed enim, ut id ad votum consequeretur minime solutam sibi voluntatem adesse certo sciebat: illud propterea pro viribus semper curavit, atque in id ipsum animum viresque omnes intendit, ut ea ipse faceret quæ gratissima carissimaque Deo essent, et in ejus voluntatem explorandam atque exequendam totus incumberet.

Ea re igitur tanto amore mortales omnes complectebatur: quippe quos pretiosissimo Christi Sanguine redemptos, ac propterea carissimos ei esse non ignorabat; ut die noctuque para-

tus esset pro illorum salute omnia subire pericula ; famem, sitim et ultima perferre; quo ad officium omnes traducti, omnes pariter ad Deum amandum, eique omnem cultum servitiumque præstandum se vicissim incitarent. Atque eo sane fiebat, ut plus sollicitudinis de proximorum salute, et eorum vel maxime quos ad bonam perfectæ virtutis frugem nanciscebatur, idoneos, susciperet atque ipsimet. Hos non facile dixerim quo charitatis ardore ad virtutes Christianas colendas inflammaret, summa ope contendens, ut eos quibus poterat modis adjuvaret, et in bonæ mentis cursu retineret.

Quos vero ex iis, quorum illi salus carissima vel præcipue erat, de recta regione deflexisse intelligebat, studiosissime dabat operam per idoneos certosque homines, seu per epistolas, ut detestatis erratis in se ipsos descenderent, et in viam virtutis et honestatis quamprimum redirent. Quos autem peccantes, opera, studio consiliove se adjuvare non posse cernebat, certe prece ac votis libenti animo illis succurrebat. Quam unam ob causam tradunt, neminem hominum vel mœrore confectum, vel duriori fortuna conflictatum, seu tentationibus appetitum, ad B. Patrem nostrum adiisse, quem ille mirifice non solaretur, ac dulcedinis quodam affectu amplecteretur. Idque non ea solummodo ratione ab eo factum est, quod suavissimis verbis et ad commiserationem compositis totum se illis mitissimum lenissimumque præberet ; sed, quod est longe majus, simul atque in ejus conspectum se darent, eumque propius aspicerent, tantis ac tam novis se pertentari gaudiis mox sentiebant, ut omnis angor molestiave ex illorum mentibus prorsus abscederet. Sed hæc et alia id genus paulo fusius suis locis persequi est consilium.

Ad sanctimoniam ejus transeo, ex ipso charitatis fonte manantem et vim inde et virtutem accipientem ; et ad ea potissimum quæ vel Dei gloriæ propagandæ, vel proximorum saluti procurandæ serviunt : quoniam quidem tantum quisque habet sanctitatis, divo Augustino teste, quantum et charitatis; cum ipsa charitas, ut ait Apostolus, plenitudo sit legis.

Ea igitur erat Petrus noster sanctitudine præditus, atque eam vivendi normam tenebat, tamque illustria patientiæ, sobrietatis, mansuetudinis, religionis atque omnium virtutum exempla præbebat, nihil ut in eo deprehensum fuerit unquam, quod quisque jure carpere posset. Quam sanctitatis disciplinam egregio ac publico testimonio vel inviti confessi sunt, eamque ratam probatamque habuerunt, qui immutata voluntate incesto ore illum quandoque lacerare, et per hominum ora traducere conabantur : eo maxime quod illorum perditos mores acriter, Dei zelo inflammatus, castigaret.

Quo factum est, ut, una omnium omnino constanti voce, speculum nitidis-

simum purissimumque probitatis, ac perfectionis Christianæ exemplar haberetur; quem quis intueretur, omnium virtutum admirandam consummationem inspiceret. Sed illud insigne ac longe omnium maximum, mea quidem sententia, testimonium fuit, quod illius sanctimoniæ et innocentiæ reddidit sacerdos quidam (nomen ejus Auctores nostri supprimunt, quia ipse suppressum voluit) eximiæ religionis et fidei, qui fuerat ei a Confessionibus. Is enim illustri testificatione firmavit, se non semel sed sæpius generales Petri Confessiones excepisse; necnon libellum quemdam ejusdem beati Viri chirographo exaratum, vidisse; in quem totius vitæ suæ noxas, quotquot jam inde a puero ad extremum usque fere admisisse meminerat, et ordine adnotarat; nec ullum tamen vel ex ore ejus exitiale peccatum accepisse, vel conscriptum unquam reperisse.

Proinde exclamat Columbinus noster: « Non est, inquit, quod quisquam miretur tanta, tam magna atque mira Deum per Virum hunc sanctissimum operatum, et etiam nunc operari; quod in terris cum esset, lethalis omnis criminis expers, vitam traduceret cœlestem. »

CAPITULUM VII.

EJUS PRUDENTIA, POPULI AD EUM CONCURSUS, ET FRUCTUS ANIMORUM PER EUM FACTI.

Jam vero de Petri prudentia nunc se dat occasio loquendi, quæ ut inter morales virtutes prima et veluti cæterarum lumen esse fertur, sic in Petro eximie enituit, ut nihil aliud esse meditatus videretur in vita, quam ut in negotiis suscipiendis ac transigendis, quæ vel ad Dei gloriam amplificandam, vel homines ad virtutis et honestatis studium incitandos et in recto vivendi cursu dirigendos pertinerent, totus esset. Optime sane a Viris sanctissimis traditum est, prudentiam non in sola ratione consistere, verum etiam magnam ejus partem ex appetitu recto pendere; atque idcirco per affectus potius depravatos quam per oblivionem labefactari atque corrumpi. Ex quo illud sequatur oportet, ut in homine peccatis obnoxio perfecta non possit esse prudentia.

Dicam proinde Deum Optimum Maximum servum suum Petrum tanta exornavisse prudentia, ut ea cum eximia illius sanctitate quamoptime congrueret: sic ut altera alteri ornamento præsidioque esset, utraque vero et Deo illum carum, et hominibus conspicuum pariter et augustum faceret. Etenim si in vita rebusque agendis laudatur vir prudens, quod quæ expetenda, quæque fugienda sunt cognoscit, et in hujusmodi prudentiæ actionibus humana felicitas posita est; cur hominem summa sanctimonia, summa continentia, justitia, integritate atque innocentia vitæ, uti supra docuimus, præditum, beatissimum carissimumque Superis non appellabimus? præsertim cum omnes curas suas, cogitationes, studia, conatusque omnes

in rerum divinarum contemplatione defigit; ut ea uno eodemque tempore, quæ cum singulari pietate tractat, prudentiæ munera in proximorum commodis tuendis atque illorum salute procuranda collocet.

Atqui, ne ab re longius labar, prudentiam Petri hoc loco vel maxime teneo, qua id nimirum assecutus fuit non modo ut æquales suos in urbe patria, sed etiam natu multo majores nominis splendore superaret. Sic enim sua tempestate, et in civitate per id maxime tempus multis referta viris sanctimonia præcellentibus, cum in consulendo tum in exhortando gloria excelluit, ut nulli eorum esset secundus.

Hujus rei atque sui ipsius exemplo locupletissimus ac gravissimus testis est Columbinus noster inter alios, uti paulo post dicemus : idipsum alii aliis de causis testati sunt, nempe ut sacrati viri atque recti studiosi. Hoc quamplures vitæ monasticæ cultores factitarunt, illustri sane testificatione, qui constanti Viri sanctitatis opinione permoti, ad illum tanquam ad divinæ voluntatis interpretem adibant; et de rebus dubiis pariter gravissimisque illum consulentes, ejus sententiam, ut qua nihil esset aptius, maxime probabant. Id quoque permulti, ut passim cives, privati, feminæ etiam atque exteri reipsa testabantur, cum ad Virum beatum ex longinquis partibus, virtutis nomine ac fama percelebrem, consultandi gratia accederent.

Qui Vir beatus, quanquam ex Ordinis sui proposito, solitudinis atque silentii appetentissimus, cupidiorque intra suæ cellulæ amicos recessus jugiter latitandi, quam ut se in cujusquam colloquium daret; tamen facere non poterat, quin stimulante maxime Patrum imperio, congressus ad se confluentium populorum exciperet, amicas illis præberet aures, simul et eis consuleret, et quacumque poterat ratione juvaret. Etsi autem honorificum doctrinæ munus, cum ingenii dexteritate conjunctum, sat eruditum, duplicato videlicet bono, id est naturæ et industriæ, illum redderet; nihilominus tamen, cum ad eum consilium quis petitum accederet, id consilii propemodum dabat, pro ea qua erat animi moderatione ornatus, ut ad alios nempe spectatæ religionis viros idipsum se petiturum conferret, quandoquidem illorum consilia suis meliora sanioraque putabat; quod tum potissimum ab eo factum tradunt, cum ad res temporarias ejusmodi consultationes spectarent.

Verumtamen ubi id oneris effugere se non posse circumspiceret, dabat manum, consultabat, decernebat; et urgente proximos adjuvandi desiderio, utilia et salutaria consilia impertiebat : nullum laborem declinans vel certamen defugiens (modo exaudiret, unum aliquem ex iis, qui ad illum adibant, vel piorum hominum studio ad Cartusiam adducebantur, laudabiliorem vitæ rationem instituisse, aut ex suis aliquando sordi-

bus emersisse, et ad bonam frugem, ut aiunt, se recepisse), nunc illos monendo, hos exhortando; nunc vero eos qui in luctu et mœrore jacebant consolando, atque animorum ægritudini sapientissima ratione medicinam faciendo. Quæ fugere docebat, docebat quæ amare, quæ sequi quæque amplecti quisque deberet; rectum consilium, rectum judicium, rectumque etiam præceptum eis accommodare, prout cujusque personæ status atque conditio exposcebat. Nec quisquam erat, qui Petri consilia jure reprehendere posset : ut quæ ad Dei gloriam spectabant, et multa discretione cum essent ornata, ab eo certe ea dimanasse lætabatur, qui Dei prorsus nutu dirigeretur.

Quod si de mutandæ vitæ ratione aut instituto ejus exquireretur sententia, uti si aliquis cuipiam sacræ familiæ addicere se vellet, haud levis erat (ut verbo ipsius Columbini utar), præsertim cum hominem laudabilem vivendi cursum tenentem aspiceret : nisi si tamen certa illi constarent de divina voluntate indicia, ut ex ea res ipsa omnino penderet. At ubi hominem prospiceret, lumine ipse collustratus divino, ad habitus, morum atque institutorum mutationem faciendam impulsum, eumque ratione maxime duci ad arctiorem disciplinam subeundam, ex qua vel in primis Dei honor consequeretur ; tum dici vix potest, qua sedulitate solertiaque ipsum opus promoveret, quove religionis studio ad solidas et veras Christianæ vitæ virtutes illum informaret, quo Deo in eo, uti par erat, honos vel maxime haberetur; ille vero salutarem cordis pacem ac mentis tranquillitatem perpetuo obtineret.

Et quod coram in idipsum agere per se non poterat, ad epistolas texendas protinus descendebat : in quo sane munere pro rei gravitate ita serius ac officiosus erat, ut boni facile intelligerent nihil sibi magis propositum esse, quam animarum saluti quoquomodo consulere; quando quidem ne pro summo Deo semel susceptum negotium distractum abiret neglectumve jaceret, ipsis conscriptis litteris adeo hominem urgere atque validissimis Christi amoris argumentis et rationibus in mentem ejus influere, ut salutaribus subinde institutionibus perpolitus, atque ad optima quæque intra religionis septa aggredienda sperandaque animatus, nullo prorsus negotio intra Dei castra se se reciperet.

Qui Pater beatus in ejusmodi litteris mirum quam integer quamque rursus religiosus existeret; quoniam quidem si Columbino credimus, (quis autem nisi veræ pietatis expers, tanto viro non credat, quem tanti ob eximiam illius sanctitatem facit Ecclesia ?) ea illis inerat Christiana perfectio, iisque religionis et cœlestis cujusdam prudentiæ luminibus illitæ erant, ut eas semel qui legerant, omni abjecta cunctatione, sapere viderentur, et mirificam quamdam morum institutionem mox aggredi non dubita-

rent. Et ut in epistolis Petrus, sic et in quotidiano sermone, nullis verborum calamistris uti, nullisque orationis lenociniis oblectari; sed quæ ex ore ejus fluebat oratio, lenis in primis erat et suavis, nullo videlicet clamore exasperata, et (quod pluris est) ad pietatem et veram animi devotionem mirum in modum composita : cum præsertim in quibusvis collocutionibus, ejus semper vox summum erga Deum amorem atque summum sui ac mundi contemptum sonaret.

Tradunt præterea nunquam beatum Patrem nostrum Christiana aliqua virtute aliquem instituisse, quin eamdem ipsemet virtutem egregie calleret, eamque re factisque ostenderet; optime eruditus quantum ad permovendos animos ad virtutem facta dictis antecellant. Ad hæc, vitam, mores, acta, gestus denique omnes ejus pro concione ad illum accedentibus semper fuisse ; plusque ex ejus illos factis quam verbis sanctitatis excerpere. Semper item eos qui ad illum adibant, ab eo prorsus lætos discessisse : non ex hoc solum quod illum fuerint allocuti, sed aspexerint tantum. Nullum unquam ad Cartusiam se contulisse beatumque Virum convenisse, in cujus ille animo vel virtutem aliquam non defigeret, vel vitium ex eo certe non extirparet. Quod ii consecuti, dum apud eum fuerint, longe alii domum remigrabant atque ad eum accesserant : pura in Deum pietate atque amore mire succensi, et ad novum quoddam rectiusque vivendi studium sectandum animati. Eos qui ad arbitrium ductumque Petri vitam suam moderabantur, nullo unquam tempore a recto vitæ itinere deflexisse, neque per vitiorum salebras aberrasse. Quamplurimos quoque, Petro auctore ac duce, asperum et durum vivendi genus pro flagitiorum expiatione arripuisse, atque ejus dein præceptionibus, vitam ad extremum usque pie casteque transegisse.

Huc accedit, quod non pauci omnino se perdidissent, quos ille magna prudentia singularique simul rerum moderatrice discretione, qua Deus illum mire ornarat, regebat, moderabaturque. Præterea mortalium, qui flagitiis obnoxii essent, tanta tradunt illum frangi misericordia, ut cum eos intuebatur, aut ad eum illorum deferebantur scelera, vix ac ne vix quidem se continere posset quominus multas profunderet lacrymas, internæ ipsius in proximos charitatis præclarissima testimonia : omnia ob id ipsum studia et omnem industriam suam, quoad ejus fieri posset, ad miseros et perditos homines e peccatorum cœno extrahendos et ad sanitatem mentis revocandos conferre paratus.

Verum enimvero, quos intelligeret, omni conscientiæ magisterio exuto, in omni scelerum genere impune volutari; et quos omnis timoris et officii repagulis perfractis, nullam pene Dei atque Ecclesiasticarum sanctionum rationem ducere, sed pertinaciter obduratos cor-

rigi nolle; nihil cum iis commercii habere voluit unquam : cum alioquin intimis excruciaretur sensibus, animas pretiosissimo Christi Sanguine redemptas ad interitum ruere voluntarium. Qui vero, spretis aliquando Petri monitis salutaribus, ad ingenium redierant; hi sane intima postmodum icti religione, vereri quodammodo videbantur beati ipsius Viri amplius subire vultum. Erat enim Petrus noster, ut bonis rectique amantibus ad virtutem incitamentum, et in officio iisdem ipsis continendis apprime diligens; ita vicissim, ubi per summam impudentiam et nequitiam quidpiam flagitii commissum resciret, idipsum apertissime detestari, et hominem proterve peccantem ardentissima orationis acrimonia castigare non dubitabat; uti verborum pondere objurgantisque constantia permotus, se ipsum respiceret et a flagitioso conatu desisteret.

Nec ad eximiam sancti Viri laudem prætereunt silentio, qui hæc memoriæ prodiderunt, ejus cum in retinenda bonorum consuetudine constantiam, tum in iisdem ad virtutem erudiendis officium simul et dexteritatem, quamdam animi sanctimoniam vel præcipue redolentem. Nec quisquam illum tetricum vidit unquam, aut paulo acerbius loquentem audivit, aut vehementius commotum aspexit; nisi forte in Dei causa; pro qua si severiorem personam induere quandoque cogeretur, ita vehemens ac rigidus apparebat, ut nemo non loquentem timeret, qui ei astabat. Hisce vero sublatis nominibus, hilaritatem, mansuetudinem ac festivitatem quamdam præ se semper ferre, et ab omni indignatione se prorsus alienum præstare.

Hujuscemodi igitur admirabilis prudentiæ artibus, aliisque permultis humanæ salutis studiis, quæ illi cœlestis Spiritus suggerebat, tantam sibi suorumque civium et exterorum ad se confluentium conciliavit benevolentiam, tantosque animorum motus effecit, licet (quod mirandum est magis) Cartusianis circumseptus parietibus, ut ejus cellula assiduo virorum usu tereretur, qui non ex plebe tantum sed ex prima Nobilitate, atque adeo ex variis Religiosorum familiis, ut diximus, frequentissimi ad eum, tanquam ad Christianæ sapientiæ magistrum confluentes, ex illius ore atque præceptis pendebant: illum communem parentem in rebus spiritalibus agendis vocabant; cum eo arcana cordis communicare, et ad Cartusiam (sive ad securum perfugium tutissimumque tranquillitatis portum) in rebus adversis et tentationibus excurrere, atque beati Viri cubiculum, gymnasium ac veræ sanctitatis scholam appellare.

At in re aperta ne sim fusior, ipsius Columbini verba juvat hoc loco adnectere, qui post multa alia in idipsum commemorata, hæc ad extremum adjecit : « Eos, inquit, Petrus animorum fructus lætos atque uberes tulit, ut jam per multum tempus sit, cum in proxi-

mis ad æternæ beatitudinis studium verbo et exemplo incitandis neminem superiorem, vix etiam æqualem habuerit; tamen etsi complures nostra quidem ætate intra ipsam natalem sedem essent, qui ob eximiam vitæ sanctitudinem admirationem propemodum obtinerent. » Hæc ille; quæ divino prorsus consilio facta fuisse, per virum maxime, non in sole et pulvere, sed in umbra et in ipsis virtutis castris se se exercentem, nemo sanus negabit, modo animum ad ea diligenter intenderit quæ jam hinc a nobis dicentur.

CAPITULUM VIII.

JOANNES COLUMBINUS AD ARBITRIUM NUTUMQUE PETRI TOTUM SE COMPONIT; EOQUE MAXIME AUCTORE, EVANGELICAM PAUPERTATEM SUSCIPIT EXCOLENDAM.

Etsi quæ hactenus enarravimus, sane quam luculenter amicitiam consuetudinemque declararunt, quæ cum Petro intercesserat Columbino, qui inter spiritales ejusdem Petri alumnos priores obtinuit partes : tamen haud absurdum fore arbitrati sumus, ea quoque Historiæ nostræ intexere, quæ gravissimi Auctores, ejus temporis æquales, de eodem Columbino Litteris consignata reliquerunt; quæque ipsemet Columbinus, qua erat animi summissione, silentio præteriit, dum egregia Petri facta una cum Nicolao Vincento conscribenda suscepit.

Is igitur Columbinus ab admirabili sui ad Deum conversione occultis virtutum facibus agitatus, gravi coquebatur cura, quod necdum sciebat in præsentia, quemnam potissimum pie sancteque vivendi cursum institueret; cum multa specie religionis vel præcipue ejus animo quotidie observarentur, quæ summam sanctimoniam summamque pietatis laudem præ se ferre videbantur. Quamobrem varie distractus, modo salutares incruenti Sacrificii hostias litandas curare, modo sacratos cujusque Ordinis viros, qui vel Christiana pietate cæteros antecellerent, consulere, modo sacræ Theologiæ peritos doctrinave præstantes consultandi gratia adire, et alia id genus obire : quibus propitiato Numine mens ejus illuminaretur, simul et suam ipsemet voluntatem ad solidas virtutes Christianas adeo excitaret, ut mirificum sibi traditum divinitus suæ conversionis munus non modo perficeret in dies, sed etiam amoris in Deum studiis expoliret, atque in momenta singula magis gratus memorque tanti beneficii extaret.

Ex quorum virorum responsis, multa licet eximia, vel pietate conspersa, vel prudentiæ laude plena monita atque consilia eliceret, non tamen iis contentus erat; quippe ut generosus, nihil vulgare aut exiguum jam tum agitabat animo, sed egregia quædam et ardua ad Dei gloriam propagandam, ab ipsis conversionis initiis, mente atque cogitatione conceperat. Quæ sane ita hominem diu noctuque exstimulabant, ut ei ad præclara tendenti tale, haud ob-

scura Dei providentia, consilium peropportune oblatum sit.

Jam per ea maxime tempora Petri nostri virtus et nomen sanctitatis in sermone hominum quotidie versabatur; et ad eum, uti paulo ante docuimus, magni hominum concursus fiebant subinde, uti tanquam Virum sanctimonia maxime præstantem atque Deo carum consulerent. Ad hunc itaque Columbinus, ancipiti cogitatione distractus, cum accessisset, talem primo eum consiliorum rationumque suarum moderatorem nactus est, qualem dudum optarat. Cui cum conversionis originem et seriem, atque dein sui animi sensa aperuisset, in hanc fere sententiam Pater beatus, ubi divini amoris igniculos in viri pectore insidere animadvertit, de rerum humanarum contemptu disseruisse dicitur :

« Non est, Joannes, cur animi pendeas, num id vel aliud vitæ degendæ institutum deligas, quo per Apostolica vestigia Apostolico insignitus spiritu liber atque expeditus incedas. Ex iis enim rebus primum tibi pie religioseque vivendi initium sumendum est, quæ tibi hactenus fuerunt impedimento, quominus tanquam excæcatus, verius quam rerum humanarum sensibus delinitus, cœlum aspexeris, hoc est ad cœlestia anhelaveris atque tui ipsius salutem neglexeris.

« Tecum ipse perpendas velim, quas sollicitudines, quos labores, quas prope dicam miserias ingentiaque pericula et mala in hanc diem subieris, ut mundo et ejus voluptatibus deservires, ut dives efficereris, divitiisque auctus et locuples iter tu tibi ad cœlestem felicitatem ipsis divitiis obstrueres, et uno eodemque tempore multiplici te malo repleres. Nam quid, quæso te, illud Servatoris nostri oraculum sonat : *Væ vobis divitibus,* nisi quod hoc uno verbo *Væ,* omnia mala omnesque bene longæ calamitates divites manent ? Nonne satis malum, et ingens quidem malum, difficultas illa, quam idem Dominus divitibus esse dixit intrandi in regnum cœlorum ?

« Cujus nimirum difficultatis causas si scire velis, conscientiam tuam discute, tecumque parumper ad calculos voca, qui coacervandis divitiis multa et gravia expertus es adhuc. Num inficiari poteris, quæ emendo, vendendo, quæ contrahendo negotiandove peccandi impendent pericula ? quæ sane evitari ægre atque vix possunt, præsertim cum prava habendi libido humanæ menti semel insederit. Ergo constitutum vel certe aliorum exemplo tibi omnino esse volo, homines, qui cupiditate maxime duce in quæstu colendo multi sunt, multas subinde incurrere mali dæmonis insidias ; id quod Apostolus planissime tum videtur expressisse, cum dixit eos qui divites fieri volunt, incidere in tentationem et in laqueum diaboli, atque desideria multa et inutilia quæ hominem mergunt in interitum simul et perditionem.

« Hæc sunt ergo, Joannes, pericula

quæ divitiæ afferunt. Verum tantumne? Alia quidem atque alia connumerare possem, nisi mihi verendum putarem, ne tibi nimius in dicendo viderer. Sed enim quando jam tecum familiarius loqui cœpi, silentio haudquaquam involverim, quæ peccandi quoque discrimina subeunt, qui ipsas jam coacervatas possident opes iisque sibi utuntur; quæ et qualia sint, te testem præclarissimum appello, quando ex tuis ipse verbis liquido animadverto, meam tibi sententiam in re haud ita obscura probatum iri. Dicam proinde, num expertus sis aliquando, quantopere divitiarum usus earumque administratio atque possessio, ipsius Dei recordationem memoriamque disturbet? quomodo omne virtutis studium extinguat, omnium rerum cœlestium cogitationem desideriumque dissipet omnino atque depellat?

« Nonne magna et deploranda sunt hæc? Magna profecto, quæ ex cura et sollicitudine custodiendi, quæ quisque possidet, effluunt atque emanant. Ad hæc quis recensere unquam potest, quæ jurgia, quas lites, quasque incommodas suspiciones, et noxias simul appetitiones odiaque, et ut semel dicam, inexplebilem illam habendi sitim, quæ omnia ex eadem divitiarum sollicitudine manant, quæque per se hominem pecuniæ amplificandæ avidum distrahunt, ac multas in partes dividunt, ejusque animum in dies obtusiorem ad cœlestia speculanda reddunt? »

Hæc et alia Petrus de rerum humanarum despicientia atque Christianæ paupertatis laude, inæstimabili spiritus dulcedine, in præsentia dixit. Quibus certe verbis atque adeo ardentibus sententiis statim ut finem dicendi fecit beatus Pater, ita affici impellique Columbinus se sensit ad Evangelicam paupertatem amplexandam, ut nova tum divini luminis copia illustratus, non adeo cupide atque ardenter pecuniarum lucris antea inhiarat, uti postea ex animo ea ipsa contempserit. Namque detestatus, tanquam teterrimam animæ pestem, pravam illam habendi cupiditatem, qua in quæstu faciendo, in dies magis ac magis rapiebatur, cœpit paulatim avocare animum ab novis contrahendis commerciis, quæ vel nobilis mercator negotiando tractabat, vel mensarius in occupanda permutandaque pecunia gerebat.

Etenim ubi primum divinarum rerum epulas a Petro sibi expositas degustare cœpit, tantum abfuit ut humanas negotiationes ultro amaret, ut etiam quodammodo cuncta illi sordescerent; se ipsum identidem incusans, quod in rebus gerendis atque subinde curandis negotiis, pecuniarum studio ductus, ab studio virtutis castoque Dei timore abduceretur. Quoniam quidem in repræsentanda pecunia nimia cupiditate abreptus, aliquid ex conventis solebat nonnunquam detrahere; quod piaculum ut expiaret exinde intima religione tactus, evidenti mutatione declaravit quantopere ipsemet cuperet, frequenti videlicet

restitutione, non solum quidquid ab se subtractum fuisset in duplum rependere, sed etiam et pecunia condonata interdum debitoribus, et re domestica atque Christianæ humanitatis officiis erga egentes promptus ac lubens eluere. Quod ubi per occasionem ei liceret re factisque abunde præstabat; fremente nequicquam conjuge, illique sæpenumero reclamante, etiamsi viri avaritiam et cupiditatem haud ita multo antea perstringeret, utpote quæ inexorabilem miseris nimiumque tenacem olim fuerit experta.

Neque hisce tamen contentus. Siquidem cum majorem in dies a Sole justitiæ lucem sibi accuratis precibus imploraret, eo adducebatur plerumque, ut qua mortalibus commodis nuntium remittere, qua etiam Evangelica consilia amplecti apud se statueret. Sed incitatos jam generosi pectoris impetus unus ejus filius Petrus, haud adulta jam tum ætate, retardabat; integrum nondum sibi per eum esse ratus, ut omnibus se fortunis momento exueret. Verumtamen quid in summo desiderio rei expediendæ salvo officio se posse facere arbitratus est, per eum non stetit quin libenti volentique animo executioni mandaret; quod cum ingenti alacritate faceret quotidie, haud ita difficile postmodum illi fuit se totum Petro exercendum excolendumque in rebus spiritalibus committere.

Ergo tanti Viri Columbinus captus sanctimonia atque consuetudine, earum rerum divinarum intelligentiam adeptus esse videbatur, eodem Petro duce et moderatore, ut ad cætera pietatis opera atque incommoda voluntaria, quæ ipsemet anteactæ vitæ luxui expiando sponte susceperat, hæc volens lubens adjecerit, nimirum ut in orandi meditandique exercitationem toto pectore incumberet. Quæ sane animi studia ne in eo refrigescerent, ac Cartusiam ventitare consueverat frequenter; ubi apud Petrum, una cum aliis eximia pietate viris, non modo spiritales agitare cœtus, et crebra cum eo de rebus divinis instituere colloquia, sed etiam alios atque subinde alios, quos ad Christianam pietatem propensos nanciscebatur, eodem adducere.

In quibus Nicolai Vincenti (cujus mentionem sæpissime adhuc usurpavimus) nobili genere viri religio maxime enituit: quem cum in arctiorem quam antea necessitudinem Columbinus recepisset, præclaros certe dixerim ambos in spiritu habuisse progressus; quando pia illorum inter se conspiratio atque consensus magno utrique fuit adjumento, cum ad ardentes omnium virtutum in suis animis excitandos amores, Petri nostri verbo simul et exemplo mire incensis; tum etiam ad ejusdem Petri mores atque virtutes cognoscendas penitus atque observandas, ut eas deinde ad posteritatem Litteris proderent.

Et hunc vivendi cursum tenuit Columbinus ad obitum usque Petri: quo rebus humanis exempto, tantum abfuit

ut de inita vitæ ratione quidquam remitteret, ut etiam ad asperrima quæque Christi causa subeunda, recentem quamdam alacritatem in se momento diffundi senserit; quin dein postea (uti supra demonstratum est, et alias multo lucidius demonstrabimus) ipsius beati Viri visis et recreabatur identidem, et ad omnem sanctitatem erudiebatur : quo per ea ceu per monita quædam cœlestia perspicue conjiceret, Petrum in Cœlo suis etiam adesse cœptis, suique patrocinium et curam gerere beata circumvestitum immortalitate.

Interea, dum hisce divinis adjutus præsidiis ad perfectionis culmen gradum accelerat Columbinus, Petrus ejus filius, plena nondum pubertate, haud porro ab ipsius Petri nostri decessu, excedit e vita. Cujus orbitate eam optimus parens animi firmitatem ostendit, ut doloris tristitiæve nullum præ se tulerit indicium ; quin etiam maximas Deo gratias egerit, quod per mortem carissimi nati, illum sibi obicem sublatum aspiceret, qui sibi ad id tempus obstiterat, quominus se totum Deo dederit, omnibus vitæ præsidiis exutum, prout fuerat ei in desiderio. Ergo simul atque Columbinus mascula se orbatum prole animadvertit, majorem Dei amorem animo concipiens , tum omnia negotiandi commercia dirimere, ac simul trajiciendæ ac permutandæ pecuniæ deponere studia prorsusque abjicere, tum fluxa presentis vitæ commoda penitus deserere, atque humanas quas possidebat opes in pauperes dividere statuit.

Quam in sententiam ingresso, non mediocre attulit adjumentum Franciscus Vincentus, Nicolai Vincenti germanus. Qui Franciscus, dum tacita quadam admiratione Columbini vitam pariter ac mores in melius commutatos apud se reputat, in eam mentem intimo Sancti Spiritus instinctu se sensit impelli, ut socium se ad eum in nova spiritali militia instituenda adjungeret ; quod et peregregie præstitit, eodem Columbino ad Christianam laudem et decus illum adhortante. Tali ergo commilitone aucto Columbino nihil longius erat, quam virginem filiam, quæ tredecim annos nata reliqua illi fuerat, antiquissimo ac nobili sacratarum virginum gynæceo sanctorum Abundii et Abundantii, quod inclytus Italiæ rex Pipinus, Caroli Magni filius, divinitus extruendum curavit, vulgoque Sanctam Bundam appellant, ipse traderet.

Quod ubi ingenti cum religione fecisset, eumque in idipsum pari animi propensione Franciscus esset imitatus, extemplo egregii Christi milites, omnes quas habebant facultates, in ejusdem Christi Domini gratiam, partim in pauperes erogarunt, partim piis locis atque xenodochiis attribuerunt, anno a partu Virginis millesimo trecentesimo sexagesimo tertio. Atque tum, ad solida Christianæ humilitatis fundamenta in se jacienda, vicatim cum stipem emendicare, tum in ea quoque, quæ cæteri

velut abjecta minimeque speciosa fastidiunt, descendere cœperunt. Quorum deinde facta miranda, Columbini vel maxime, cum a pluribus fuse atque Italice perscripta sint, inculcari hoc loco necesse non est. Et hæc tantum nos in medium adduximus, quæ ad Historiam nostram omnino facere existimavimus.

CAPITULUM IX.

PETRI SOROR AMITINA, HORTATU IPSIUS ET MONITIS, SANCTIMONIALIS VITÆ CŒLIBATUM AMPLECTITUR.

In iis, qui ad Maggianam Cartusiam Petri conveniendi gratia adibant, fuerat quædam nobilis mulier, Joanna Petrona nomine, Catarini Petroni filia, beatique Patris nostri soror amitina, quam thalami consortem olim habuit vir primarius Joannes Bandinellus. Quæ cum præclaram ad Christianas virtutes colendas jam inde a teneris indolem haberet, non exiguum dein sibi lucrum fecisse re factisque præ se tulit, cum matrimonii necessitate soluta, liberius ac durius multo quam antea, in pietatis opera, viduitate æque ac religione venerabilis, incumbebat. Cujus feminæ honestissimæ tam excellenti animi propensione adeo Petrum delectari solitum tradunt, ut singulari benevolentia eam prosequeretur.

Non enim Petrus noster beatus affinitatis jura respiciebat, quemadmodum natura comparatum est, uti propinquos et affines amaret; sed virtutis studium, officium et honestatem ab eis exposcere magis quam generis propinquitatem, ut eos vel in suam reciperet amicitiam, vel si in ære illius ipsimet esse vellent: secus vero persuasissimum haberent, non alium atque exterorum locum apud eos illis obtentum iri. Ergo ut femina lectissima suam in dies insitam animo virtutis præstantiam retineret, eamque pietatis studiis quotidie excoleret, nullum Vir beatus diligentiæ atque hortationi relinquebat locum.

Eo itaque ipso semet ille ad cœnobii fores mulieri accedenti in colloquium dabat (cum monasticus Canon non det feminis ut aditus illis pateat in monachorum cœnobia) spiritalibus exercitationibus ad verum Dei cultum ac servitium eam informabat, ad orationis studium rerumque cœlestium amorem excitabat, atque rerum humanarum contemptum subinde illi inculcabat. Et quidem vano nequaquam eventu. Eas enim beati Viri consuetudine in rebus spiritalibus progressiones habuit, ut illius præceptionibus perpolita suasuque potenter adacta, et rebus humanis nuntium remittere, et gaudens ac triumphans intra monasterium divæ Marthæ, ubi sub signis S. Augustini nobilis virginum ac feminarum cœtus militat, se se recipere non dubitaverit.

In qua quidem femina non possum non admirari invictum vere Christiani animi robur, quod in ea tantopere potuit ipsius, qua mirifice capiebatur, virtutis pulchritudo (pulchritudo autem, immo vero etiam unius Christi amor) ut

nihil pensi habuerit, non modo opes amplissimas relinquere, paupertatem colere, in infima quæque humilitatis ministeria se se demittere, et pullam horridamque tunicam circumjicere membris suis; sed, quod caput est, potuit et ipsa dulcia ac cara pignora quæ jam tulerat, magno et excelso animo linquere. Commemorabilis plane fortitudo, et plus quam virilis animi magnitudo! At quid non potest aut non efficit castus Dei amor in eo qui se totum illi dedit dicavitque?

Naturali ergo ac tenero illo affectu adversus carnem et sanguinem (quem divus Hieronymus arietem pietatis appellat) ab nova ancilla Christi superato, facile secundo loco illi fuit ad Crucis vexillum siccis oculis evolare, et secundum castimoniæ gradum, ad pedes Domini cum Maria domi sedens, arripere; solum pietatis genus esse existimans, in hac re esse crudelem. Cujus certe crudelitatis egregius Dei beneficio fructus deinde constitit. Quippe cum Petro superstes illa fuisset, summa vitæ sanctitate, qua eximie pollebat, quam maxime clarum testatumque apud omnes esse voluit, haud sine causa simul Christi consilia, simul et beati Fratris monita quondam amplexata.

CAPITULUM X.

PROPHETIÆ DONO FULGET.

Inter præclaras Christianæ vitæ virtutes ac divina charismata, peculiari Dei munere Petro impertita, prophetiæ donum ita in eo insigniter enituit, ut nihil proprius ei esse videretur, quam ut passim in rebus agendis, quæ vel ad ipsius Dei cultum obsequiumque propagandum, vel mortales ad cœlestis beatitudinis studium incitandos facerent, ipse multo post futura nunc certissime prædiceret, nunc abdita panderet, nunc vero longe a conspectu remota monstraret. Quarum rerum etsi multa suppetunt exempla, miraque in hoc genere a Petro gesta fuisse non ignoramus, nos tamen, habito delectu, ea tantummodo Historiæ nostræ inserenda putavimus, quæ nobis utilia, et ad Viri sanctitatem illustrandam in omnes partes visa sunt necessaria: cætera vero consulto rejecimus, partim ne nimis in longum nostra traheretur oratio, partim autem ne gravi tædio lector afficeretur. At vero quæ in idipsum nobis exponere visum est, suis aptata locis explicabuntur: quod cuncta hic recensere non est operæ pretium, præsertim quod alia id genus alium deinceps locum necessario requirunt. Age jam veniamus ad rem.

Præsenserat divinitus Petrus Cucullatum quemdam, notæ probitatis ac magni nominis virum, sibique in primis egregie carum, vehementer anxium esse de quadam maximi momenti offensione dirimenda. Sed enim noverat Pater beatus, divino perfusus lumine, in amici videlicet exitium conspirari. Protinus hominem acciri jubet, accitumque sic alloquitur: « Id causæ fuit, ut te accer-

sirem, ut admonearis, ne de offensione illa tollenda sollicitudinem ullam capias, nec in eam ullo te pacto interponas : quin etiam omnem ejus curam abjicias rogo, propterea quod non me latet, ultimum ob idipsum te vitæ discrimen adire, altera scilicet partium insidias tibi instruente. »

Re inopinata ille perculsus, quod, nulla re alia nisi divinæ gloriæ studio et salutis animorum adductus negotium hoc susceperat, hæsit stupenti similis. Cum vero ex pavore se collegisset, animum confestim adjecit, ad rem æque caute ac dissimulanter explorandam. Hoc dum agit, comperit eodem temporis momento, quo Petrus admonitum illum voluit, nefariam in se jam conflatam esse conspirationem, ut de medio tolleretur : processissetque haud dubie fraus, ni beati Viri monitis insidias mature præcavisset. Ipse vero præsentissimo periculo liberatus, vitam secundum Deum uni maxime Petro acceptam referebat, ejusque sanctitati immortales apud omnes gratias agebat : non dubius beatum Patrem rem omnem divinitus odoratum. Factum ejusmodi, addunt Scriptores, consulto suppressimus, ne nova ex eo graviorque oriatur offensio; et hanc fuisse causam pro certo habeo, quamobrem viri nomen pariter et ordinem haudquaquam prodiderint.

Vir quidam fuit, re et nomine Bonus, Ticinensis, Religioni addictus (incertum tamen ex qua familia), qui cum ex Liguria in Hetruriam per agrum Florentinum iter faceret, comitem nactus est Blasium quemdam a sancto Miniate quod vulgo *al Todesco* appellant ; quocum variis de rebus, ut fit, Bonus sermonem instituens, inter alia, « Si mihi, ait, Blasi, nummi suppeterent, œnophorum, Vernatici vini plenum (ea est in Tuscia prænobilis ac honoraria potio, quam Nostri *Vernacciam* vocant) Senas ad Virum sanctitate insignem perferendum quam libentissime emerem. » Cui mox Blasius effuso cachinno beatum Patrem nostrum cavillatus, « Obstupesco, inquit, sane, qui fieri possit, ut Sanctus Vernacciam bibat ? » Ad quæ Bonus respondit : « Ostupescere desinas, Blasi, oportet, quando is est Vir ille, ut valetudine magna ex parte utatur adversa : atque eo id ipsum vel maxime cuperem, ratus nimirum illi pergratum fore. »

His Blasius auditis, illico tantum pecuniæ Bono numeravit, quod satis esset vino coemendo : inde mox Miniate castrum ascendit, apud patria incunabula mansurus. Bonus vero, lagena exoptati vini potitus, Senas iter intendit : quo statim ut pervenit, Petrum adiit, eique vinum dono obtulit. Qui Pater beatus, divinitus jam edoctus quæ in eo comparando acciderant, alteri ingustatum muneri remisit; indignum viro Religioni nuncupato existimans, solatii aliquid inde ad firmitatem corporis tuendam exhaurire, unde quidpiam incommodi in alterius animæ salutem emanasse cognorat.

Interea duodeviginti effluxerant menses, cum idem Blasius instinctu plane divino Senas venit : atque celeberrimo Xenodochio, quod (ut supra dictum est) a Scala cognomen sumpsit, se se, patriis bonis focisque relictis, religiose addixit, ac Fratrum ejusdem Hospitalis domus institutum et habitum sumpsit. Ubi dum officii sui pensum accurat diligenter, subiit ejus animum ad Petrum consultandi gratia se conferre, de cujus sanctimonia jam præclara inaudierat. Nec irritus ille Cartusiam petiit, Petrumque convenit. Siquidem, ut primum Vir beatus hominem ad se eminus venientem vidit, mox illum ita compellare cœpit : « Salve, Blasi, salve, faustusque sit tuus adventus. Scito me non modo non bibisse, sed ne gustasse quidem Vernaticum vinum illud, cui coemendo pecuniam pependisti, sed alteri muneri dedisse; » rem totam ita aperte atque diserte explicans, perinde ac si præsens adfuisset.

Blasius porro in mentem sibi redigens quæ a beato Viro audiebat, præ pudore stetit attonito similis; et humi defixis luminibus, tacitus volvebat animo, quo pacto eum Petrus nominatim inclamasset, quod neque ille beatum Virum, neque Vir beatus illum de facie noverat unquam. Re postea studiosius explorata, omnia Dei admonitu Petrum cognovisse intellexit ille , palamque enuntiavit. Qui quidem Blasius eremiticam dein vitam amplexus, Petrum tanquam Virum sanctum Deoque carum veneratus est; et eo, quoad vixit, magistro ac moderatore in rebus spiritalibus agendis usus, vitam pie et religiose ad extremum usque traduxit.

Monachus quidam fuit, qui, etsi Cartusiæ Maggianæ alumnus, aliud tamen cœnobium Ordinis incolebat, domesticæ rei Curatorem gerens. Qui Petri constanti sanctitatis fama permotus, illum adire constituit, benedictionem ab eo petiturus. Quem Pater beatus, nixum ante se genibus seque ab eo benedici efflagitantem, contracto vultu et ad severitatem tristitiamque composito intuitus, cessim ire cœpit. Dein seorsum vocato in aurem insusurrans dixit : « Non e monastica Cartusianaque paupertatis norma, fili, vitam tuam colis : propterea quod indignis cupiditatis nexibus te misere irretitum cerno; » iisque prolatis, aversus item Petrus retulit gradum.

Ille ubi hæc audivit, intima religione tactus, mœrore simul et tristitia contabescens, loco cessit. Dein brevi interjecto tempore, iterum ad Petri pedes monachus accedens, instat, orat, rogatque infimis quidem precibus, ei ut bene precetur. At Vir beatus rursus abnuit, rursusque iterata objurgatione hominem castigat. Miser tandem contemni se ratus, lacrymis ad solum usque fluentibus, cellula Petri egreditur, ac ejulatu et plangore xystum complet. Quem tam acerbe lugentem unus ex Patribus conspicatus, hunc in modum alloquitur : « Facile adducor ut credam, te voti

compotem futurum, modo apud te statuas firmiterque retineas illud exequi, quod Petro noveris esse pergratum. »

Nec mora : manibus ille ad sidera sublatis, in has prorupit voces : « Polliceor tibi, Domine Jesu, operam me daturum, quoad per me fieri poterit, ut isti Patri audiens dicta sim, et in officio fideque monastica ad extremum usque perstem. » Hisque sane quam fidenter prolatis, tertio monacho beati Patris cubiculum ingresso, ejusque pedibus advoluto, verbis ex Evangelio desumptis, ac Unius Trinique Dei nominibus fidenter invocatis, bene precatus est, ac caros pariter Petrus dedit amplexus. Is vero fausta precatione auctus, lætus inde non minus quam stupore oppressus, quod pectoris sui latebras divinitus patefactas animadvertit, ad cœnobium suum reversus est : modum nullum faciens Petri sanctitati illustre reddendi testimonium.

Accidit aliquando, ut Petro ægrotante Crescentius, medicæ rei peritissimus, quem Columbinus patrio sermone Magistrum Sensum vocat, obvium haberet primarium quemdam virum, cujus nomen idem Columbinus silentio præteriit. Cui percontanti quomodo Petrus se se haberet, ac num aliqua in re opera sua illi usui esse posset, utique suum omnibus in rebus studium officiosissime polliceri; « Bellariorum si quid haberet, ait Crescentius, ad vires deperditas refovendas, nihil iis gratius cariusque illi arbitror futurum. » Quibus ille auditis, extemplo exerta crumena, « Hos accipe, Crescenti, ait, duos aureos florenos, et his bellaria compara, quæ Petro magis profutura, et ad voluntatem judicaveris gratiora, tuoque ipsi nomine illi amanda. »

Tum Crescentius, beato Patri gratificandi percupidus, exceptis aureis scitissima sacchari condimenta emit, emptaque per certum nuntium ad Petrum suis verbis misit. Qui nuntius cum Crescentium prævertisset, subiissetque jam Petri vultum, sic eum ex composito compellat : « Hæc tibi, Pater, Crescentius medicus mittit. » Cui mox Petrus, amaritudinem fraudis sub sacchari dulcedine divinitus subodoratus, « Refer, ait, refer, fili, gradum; et isthæc illi reporta, nolo munera pecunia male parta coempta. » Lator vero in urbem regressus, Crescentio, quæ a Petro acceperat, renuntiavit : qui stupore simul attonitus, aureos florenos nobili Patritio remittendos curavit; et exin de suo pensa pecunia partem mediam ejusdem tragematis redempta, Petro ex integro remisit. Quam porro illustri gratia ita excepit, ut in hæc verba confestim proruperit : « Compenset Dominus egregiam hanc in me Crescentii benignitatem. »

Haud absurdum visum iri arbitror, hisce subnectere id quod Columbinus noster sibi accidisse Litteris mandavit, scilicet eo prorsus anno et mense, quo Petrus noster beatus rebus excessit humanis. Rem gestam brevibus enarro.

Cum magno quodam die tuberum de-

siderio Petrus teneretur, ad Columbinum conversus, « Hem, Joannes, ait, affer mihi, obsecro te, paululum tuberum; acri enim illorum cupiditate rapior. » Cui mox Columbinus : « Scis, Pater, inquit, nusquam locorum, Maio præsertim mense, qui nunc agitur, tubera inveniri. » Ad quæ mox Petrus, paterna cœlestis Numinis providentia fretus : « Abi, inquit, in bonam rem. »

Insequenti vero luce iter cum capesseret Columbinus, una cum Joachimo, Cartusiam versus Petri invisendi gratia, propter pannariam ejusdem Columbini tabernam ambo præteriere, ibique juvenem quemdam ejusdem tabernæ administrum, magnum chartaceum involucrum tuberum plenum manu tenentem offendunt; qui protinus idipsum dono obtulit Columbino. Tum ille miraculo attonitus, gaudioque simul perfusus, tubera ad Petrum mox perferenda accepit : seque Oduardo, Nicolai Stricchæ Marescotti viri nobilis filio, comitatos, dant in viam; apud animum suum in itinere sine fine reputantes, quam videlicet pius pariter ac clemens sit Dominus erga eos qui ex animo illi deserviunt; quamque illorum amans (quod vel ex eo tum aperte conspici poterat) ostendat illorum æque vota atque salutem ei esse cordi.

Ad Cartusiam ubi ventum est, a salutatione variisque de rebus divinis ultro citroque habitis collocutionibus, ab Oduardo rogatus Petrus, « Ecquando, Pater, inquit, Interdictum, quo nunc temporis notatur civitas nostra, tolletur ? » « Intra quinque, respondit Vir beatus, dies hoc publico tristique malo cuncti eximemur. » Nec abfuit dicto fides : siquidem intra prædictum tempus Justitium omne atque Interdictum sublatum est, Azzolino Malavolta Senarum episcopo.

Audivimus modo Columbinum de se scribentem, audiamus et eumdem de filio suo Petro non minus mirum, quam de se ipso referentem : quando per idem fere tempus, quo Petrus noster beatus vitam cum morte commutavit, rem contigisse ex eo cognoscimus. Convenerant in Petri cubiculum simul aliquot e Patribus Domus, simul et alii pietate nobiles viri, ad beatum Virum audiendum de rebus cœlestibus disserentem; cum repente orationi finem facturus ille subintulit dicens : « Expectate, quæso, paululum, Fratres. Non longe enim aberit, quin ad nos veniat Joachimus, una cum puero Petro Joannis Columbini filio, qui munuscula quædam mihi, utputa amygdala, papavera, atque unicum cepe deportat; quin etiam ædibus nostris jamjam prope astantibus, papaverum unum puer ipse hoc articulo temporis mandit. » Hæc ubi astantes audiunt, subridere illico cœperunt. Cæterum vix hæc atque alia in eamdem rem Petrus dixit, cum extemplo affertur, ad cœnobii fores Joachimum et puerum Petrum astare. Quos ut aspiciunt monachi, discuntque, puerum sciscitati, papaver in itinere

comedisse, uti beatus Pater paulo ante prædixerat, ingenti admiratione protinus afficiuntur.

Cumque mox Petri cubiculum essent ingressi, ad puerum conversus Petrus, observantiæ ergo poplitem ante eum flectentem, ait : « Concine, fili, cantiunculam illam, cui est initium : *O diva nobilis Magdalena ;* nam prius eam quam absolvas ad nos huc adventabit sacerdos Marianus, Ecclesiæ apud Marmorariam Plebanus. » Nec verba beati Patris in ventum jacta ; res enim ita prorsus evenit uti prædixerat. Siquidem, jucunde valde puero canente, adfuit Sacerdos, vir eximie pius ; quem qui aderant intuentes, majori quam antea stupore opprimuntur; et beati Viri eximiam sanctitatem agitantes animo, illum tanquam humano fastigio celsiorem, sibi in dies magis ac magis colendum observandumque putabant.

Pene fugerat, quod hoc ipso loco principatum vel in primis sibi vindicare videtur, simul ad Petri precationum vim et efficaciam aliqua saltem ex parte in medium afferendam, simul etiam ut prudentissimus fere quisque vel ex hoc uno cognoscat, hanc prophetiæ gratiam ac donum in beato Patre nostro sic effulsisse, ut et absentia non secus atque præsentia longissime intueretur.

Conflictabatur Petrus levi principio quidem morbo, sed paulatim invalescens, extremus tamen illi fuit. Ea proinde re cum Crescentius medicus, cujus paulo ante meminimus, quoque eo tempore Maggiana Domus utebatur, ad illum officii causa adiisset, post mutui sermonis officia beato Patri, arteriarum pulsu explorato, « Ad multum tempus, ait, te nobiscum fore conjicio; ita sane te bene valentem comperio. » Cui illico Petrus : « Nolit, inquit, Christus Dominus, te in me, Crescenti, miracula patrare. » His verbis divinitus indicans, futurorum optime conscius, extremum sibi adesse tempus nostræ mortalitatis exuvias relinquendi. Nec vana fuere prædicta. Siquidem paucis post elapsis diebus, ex corporis vinculis, lætitiæ ac jucunditatis plenus, ut suo loco dicemus, Cœli regiam conscendit.

Dein sciscitanti Petro de Fratre Bartholomæo Mini, qui Senensium tunc temporis Dominicanorum apud Campum Regium Priorem agebat, ubinam gentium esset; « Apud Fratres, respondit Crescentius, domus Hospitalis Castellionensis moram ducere puto. » « Ita plane est, ait Petrus : verum in reditu, adjunxit, magnum vitæ periculum adibit. At vero Christum Jesum enixe precor, illi ut opem ferat ; laturumque, certo scio. » Ab hisce dictis, Crescentius inde se recepit et ad Senensem urbem properavit.

Postridie vero idem ipse Crescentius, de Bartholomæi incolumitate mire sollicitus, recta ad divi Dominici contendit, de eodem Bartholomæo interrogatum. Quo simul atque pervenit, ad ipsum, quem jam tum revertisse cogno-

rat, accessit, eumque pro amicitia hunc in modum compellat : « Ea mente, Pater, huc accessi, sollicitudine videlicet de te plenus, uti quærerem quinam tuæ vitæ esset status : heri etenim in Cartusia cum essem, a Petro accepi, magnum in reditu te vitæ discrimen subiturum. Etsi autem nihil esse aiebat quod verearis; egoque in præsentia illum in cœlum manus tollentem, ac Deum pro te rogantem conspexi; certum ille utique animi illæsum te inde abiturum; non potui tamen ipse non angi animo, quoad de te deque tui sospitate certior factus essem. Sed cum te incolumem recteque valentem offenderim, vix credas, qui meus in te amor, quibus efferar lætitiis. »

Hæc ubi de se Bartholomæus audivit, obstupuit vehementer. Ast, ut primum se collegit, in hæc verba respondit : « Nunquam, Crescenti, (credas mihi jurato velim) in tantum me vitæ discrimen conjectum adverti, præterquam hodie. Iter enim Senas versus habens, via certe teterrima ac confragrosa, accidit ut asellus, cui insidebam, vestigio fallente, corruerit; egoque ex eo jam tum excussus, minimum quidem abfuit, quin ad prominens quoddam ac præruptum majoris formæ saxum caput alliderem, ita ut fœde ad terram afflicto, ibidem hærere omnino necesse esset. Sed eo puncto temporis, itineris comite, qui pedes mihi præstabat officium, festinabatque animo mei ob casum consternatus suppetias ferre periclitanti, genu idem in saxum impingente, incolumis inde vi prorsus divina confestim evasi. »

Et hæc se accepisse testatur Columbinus, non modo ex eodem Bartholomæo, cujus oratio ob insignem hominis religionem magnum pondus habebat; sed a Crescentio item, viro sane gravi et certo, cui quantum idem Columbinus tribueret, ex eo vel in primis potest animadverti, quod in litteris, quas paucis deinde post annis ad Blasiam Cerretanam conjugem dederat, dum plenus Apostolico spiritu Hetruriam peragrabat, verbum Dei disseminans, atque e peccatorum veterno mortales excitans, hæc inter alia legimus ei in mandatis data : « Matthæum Aromatharium salvere meo nomine jubeas velim, quem meis item verbis rogabis, ut Crescentio medico Patri meo (quem Magistrum Sensum vernaculo idiomate, uti supra diximus, appellat) millies salutem dicat; aperiatque, et servum me illi et filium esse, cupereque magnopere ejus apud Deum precibus adjuvari. » Et de his hoc loco conscripsisse sufficiat.

CAPITULUM XI.

PETRI VIRGINITAS ET CASTIMONIA.

Non ab re mihi contigisse puto, ut de virginitate Petri conscripturus, hoc loco eam collocandam susceperim. Atqui rursus cogitanti mihi, qua id potissimum de causa factum sit, in mentem venit, satis apposite hunc locum præ cæteris eam

obtinere debere. Namque, ut ea cum Petro suum habuit ortum, et cum eo simul accrevit, ita pariter eumdem ipsum beatum Virum, ad extremum usque spiritum, ab omni impura corporis contagione intactum illibatumque servavit, et illius vitæ cursum confecit incorruptum.

Quamobrem satis mirari nequeo præclaros Petri conatus et studia, quæ jam inde a pueris tanta cum cordis munditie ac morum honestate contulit, ad Angelicam hanc virtutem excolendam; quandoquidem memoriæ proditum est, Petrum ab ipso ineuntis ætatis flore Divinam clementiam, per summum sanctitatis ac pudicitiæ studium, exorare frequenter solitum precibus quam ardentissimis, ne pateretur in lubrica sui ipsius ætate, atque deinceps annis insequentibus, quotquot videlicet inter mortales vitam agere illi daretur, ulla se prorsus impudicitiæ labe aspergi; sed integrum impollutumque uni sibi castissimo virginum Sponso custodiret, quo magis nimirum divinæ Majestati suum obsequium atque servitium gratum existeret atque jucundum.

Nec fefellit pii adolescentuli fidem Divina benignitas. Namque (ut sacerdotes egregia probitate et fide, qui pro tempore generales Petri Confessiones exceperunt, sacramento firmarunt, quique idipsum Columbino atque Nicolao Vincento asseverare consueverant) nunquam non modo beatus Pater noster turpi facto, vel gestu, aut inhonesto verbo, virginalem integritatem contaminavit, sed ne impuræ quidem cogitationes ejus animum subierunt. Idipsum porro testatur Columbinus de Joachimo audivisse, cui Petrus sub mortis suæ fere tempus, ex præclara sibi data divinitus occasione, illibatum virginitatis florem ad eam usque diem se retinuisse aperuit.

Ergo tam excellenti eximioque integritatis ac pudicitiæ dono a Deo exornatus Petrus, eo augustior apparebat, quod virginalem castimoniam inter spiritalia ornamenta amplissimam ac præcipuam existimari oportet; cum in iis qui eam colunt, nescio quid non decorum tantum atque formosum, sed certe divinum majusque quam humanum eniteat; quod gravissimis verbis Basilius indicare visus est, ubi de vera virginitate disserens, ait : « Magnum quiddam revera ac præclarum est virginitas, quæ, ut omnia uno verbo complectar, hominem incorruptibili Deo simillimum facit.

LIBER TERTIUS

CAPITULUM I.

OBITUM SUUM PRÆDICIT, PRÆCLARAS VISIONES SIBI DIVINITUS OBJECTAS INDICAT. CHRISTUS SE SE ILLI VISENDUM OSTENDIT. MIRA CONTEMPLATUR, MENTIS RECESSUS PENETRAT, ET CORDIS PENETRALIA RESERAT.

Hisce atque aliis virtutum præsidiis divinisque præditus ornamentis Petrus noster beatus, et quinquagesimum fere annum agens, uti supra demonstravi-

mus, aliud nihil die noctuque volvebat animo, quam ut vitæ Dominum et auctorem Deum supplex oraret, quo a mortalis hujus corporis custodiis illum liberaret; ut soluta terrena ac concreta mole, ad excelsum illud plenum stellarum domicilium sibi quam mox evolare contingeret. Hinc cœlesti quadam dulcedine delibutus, ac miro incensus studio Deo fruendi, videndique sacros illos Beatorum cœtus, illud Apostoli dictum subinde habebat in ore : *Quis me liberabit,* inquiens, *de corpore mortis hujus?* Aliquando vero : *Quando veniam?* mi Jesu, mi Creator! *et apparebo ante conspectum tuum?* et alia his similia. Quibus studiis, amore scilicet in Deum ac desiderio erga res cœlestes, ita se se effundebat atque suum animum excitabat, ut nihil ei dulcius saperet, quam de Deo deque discessu ab hac fallaci et mortali vita assidue verba facere.

Sic nimirum tantum in eo sensus et quotidianus moriendi affectus potuit, tamque vehementer in momenta singula urgebat, ut per quamdam calvariam quam in cellula ante oculos sibi semper habebat propositam, eadem se conditione recordaretur esse natum (illam animo et oculis contemplando) qua et moriturum certo sciebat. Quin etiam id ea salutari commentatione præstantissimus disciplinæ ac perfectionis Christianæ Philosophus noster assequebatur, ut non modo quotidie mori perdisceret, quod et Paulum apostolum fecisse legimus, ubi se quotidie mori dicebat; sed etiam rem ipsam, ut Sapiens ait, amaram, quin potius ejus memoriam durissimam, consuetudine quadam, quasi cum eadem morte familiaritatem contraxisset, adeo leniret, adeoque in omnes partes se se ad eam excipiendam pararet, ut venienti mox obviam procederet intrepidus; nec ut incognitam horreret, sed jucunditatis ac lætitiæ plenus amplecteretur : quandoquidem non copias, non honores, non opes et potentiam, non generis claritatem, non regna, non insignia majestatis, aut repellere mortem aut retardare posse non ignorabat; omnia, quæ hominibus magna videntur et honorifica, esse nihil, somnia delirantium et umbrarum effigies inanes; id tantum manere semperque mansurum, quod recte quisque honesteque fecisset. O virum beatum ac felicem! cui nihil aliud agere, nihil loqui, nihil cogitare libuit unquam, nisi quod in hoc supremo certamine esset præsidio futurum.

Tandem cum sentiret, divino agitatus Spiritu, tempus illud jamjam adventasse, quo tempore reddendus esset animus a quo illum acceperat, misit quindecim ante diebus quam de statione vitæ decederet, qui Joachimum suum ad se accersiret, accersitumque et sibi proxime considere jussum, in hunc modum, sub horam post solis ortum tertiam, aliis remotis arbitris, affatus est :

« Noli, Joachime fili, mirari quæ in præsens tibi duxi aperienda; et quamvis magna sint, eaque pariter supra naturæ

vim audias, omnia tamen certissima firmissimaque esse, tibi omni asseveratione affirmare non dubito. Ea hactenus nemini ausus sum mortalium aperire, neque posthac aperiam ultra, nec etiam in præsentia patefacere auderem, nisi æternum Divinitatis Numen ad id memet impelleret urgeretque.

« Ergo scire te volo, carissime fili, ab incunabulis in hanc diem, me meo deservivisse Christo; ipsumque me deduxisse, ac per omnem vitam, tum mente tum corpore, integrum impollutumque servasse, nulla videlicet vesanæ turpitudinis labe coinquinatum. Et, quemadmodum illum jam inde a prima pueritia impense rogavi, uti tantum mihi impartiret gratiæ, quo fideliter omnibus in rebus meum illi servitium carum gratumque existeret; ita contra eumdem multa prece exorare atque obsecrare non destiti, uti quam occultissime ad extremum usque spiritum id ipsemet efficerem, prorsus ut nemo homo in terris me nosse valeret unquam : id quod pro sua erga me clementia peregregie mihi præstitit, qua meas preces, qua vota pariter, sane quam benigne exaudiendo : sic inquam, ut sexdecim jam sint anni, cum nihil unquam a Christo Domino orando postulavi,quod pro voto cumulate non impetraverim. Cumque quasi aliud interim agere simularem, ita studia mea measque pariter actiones omnes occulere sum conatus, ut e mortalibus quidem nullus me cognitum habuerit. Nunc, quando jam mihi mortem imminere sentio, hæc tibi, fili, cogor patefacere, divino prorsus nutu ad id impulsus.

Proinde cum superioribus diebus deterius haberem, Christi videndi percupidus, nocte quadam a sacris nocturnis excubiis fusus in preces, Christum ipsum Dominum etiam atque etiam orabam, ut pro singulari sua in me charitate ex hac vita ærumnarum plena extrahi me pateretur, meamque animam in paterno suæ benignitatis sinu exciperet, corpus vero terræ ejusque putridis vermibus mandaretur. Tum vero illum exorabam, uti certos homines, mihi eximie caros, commendatos haberet, eosque per rectum vivendi cursum dirigere tuerique dignaretur.

« Hæc ubi a me peracta, extemplo vocem quamdam auribus ipsemet meis sic eloquentem percipio : « Exaudita est, Petre, oratio tua. » Ipse vero hæc intelligens, pavens simul ac tremens, fidem illi habere nolui : haud ignarus ab Apostolo dictum, nequaquam omni spiritui esse credendum. Deinde eamdem vocem clare aperteque intellexi dicentem : « Ini hortulum tuum, ibique signa a Deo habebis, quamobrem te exauditum cognoveris. » Quo ut me recepi, oculis ad astra repente sublatis, cœlum mirum in modum stellis illustre luculenterque serenum aspicio; moxque illud perinde atque fœdum, ingentem vim imbrium effundere, quibus hortulum atque me ipsum bene madidum deprehendi. Tum ego, « Per

hæc, aio, adduci tamen non possum, ut credam.

« Tertio reiterata vox, « Tolle, inquit, sursum caput : signa quippe intueberis præter naturæ cursum. » Id ubi factum, ut imperarat; ecce solem et lunam inter se cohærentes video. Ad hæc nihilominus in sententia persto, nec ea de mente dimoveri me patior, mali dæmonis illusionem ac præstigias veritus : quippe qui astu ille præclare instructus, ita oculorum aciem mihi perstringere potuisset, ut alia atque essent aspicerem. Quamobrem, « Nec sic quidem credam, adjicio, nisi æternam Sapientiam illa loquentem mihique indicantem cernam, quæ Satan ipse nec loqui, nec quacumque alia ratione ostentare valet. »

« Tum porro, ut cubiculum repetam, eadem quarto vox imperat. Parui simul. Ecce tibi protinus Christus Jesus clarissima in luce per speciem mihi se se augustissime obtulit videndum. Quem tremebundus intuitus, cernuus continuo ad pedes ejus ruo, ferre non sustinens eximium illius fulgorem, et ad arbitrium nutumque Majestatis illius me totum compono. Ille vero ad me conversus, his verbis me jam manu prehensum, unaque secum assidere jussum, benignissime affari dignatus est :

« Velim scias, Petre, orationes et preces ad me tuas, jampridem mihi exauditas, teque in terris, alterius instar Moysis, apud me pro populo isto semper fuisse. Atqui scelera et immania illius flagitia abominatus, quam citissime te ad me traham necesse est, ne pro eo amplius ad me fundas preces : non enim illum ultra sustinere possum, ita sane ejus proterviam odio habeo, meamque faciem ab illius salute aversam retineo : quin etiam in eum animadvertere statui, ob plurima, ut dixi, infanda ejus crimina, speciatim vero propter cupiditatis et avaritiæ scelus, quod orbe toto ita debacchatur, ut nullum sit malum quod per idipsum non admittant mortales : quoniam quidem magis in monasticæ Vitæ cultores, inque viros Clericali dignitate fulgentes grassari cerno, quam in cæteros homines rebus sæcularibus inservientes. Olim, Petre, homicidium detestatus sum, deinde fœdas carnis obscœnitates, atque postmodum improbas voluptates adeo stomachatus, ut dira illa totius orbis terrarum eluvione genus humanum deleverim ; in præsens vero pravam illam habendi cupiditatem sic detestor ut cum maxime, propterea quod per eam vel in primis Filium perditionis fatebuntur mortales, mei ipsius nomine posthabito. »

« His dictis, Servator Christus Dominus sermonem instituit, de sui primum conceptu atque ortu ex Virgine ; mox de suis in patiendo dirissimis cruciatibus ; exin de Cœna una cum Apostolis transacta, uti panis in Corporis sui substantiam converterit, hoc est transsubstantiaverit ; tum de nece pariter et Resurrectione ; postremo vero de Ascensione in cœlum verba

fecit. Posthæc autem : « Accede, inquit, Petre, ut omnia hæc ipse cernas. » Tunc a sensibus ego mox abstrahi, meusque spiritus in Deum rapi transferrique mihi visus est, ignorans an in corpore vel extra corpus id factum fuerit; præterquam quod in Deo cum essem, meaque itidem anima ejusque simul vires et potentiæ exundantia majestatis et gloria Divinitatis absorberentur, illud sane in præsentia sum consecutus, ut cœlesti prorsus ac suavissima beatitudine circumfundi ac repleri me senserim.

« Porro divina ea munera et beneficia, quibus, cum divinæ claritatis abyssum contemplabar, auctus fuerit spiritus meus, sentiri quidem animo et intelligi quoquomodo tunc poterant; verbis autem nunc exprimi, perinde atque sentiebantur, minime possunt : cum mortalem naturam in omnes partes exuperent. Per admirabilem et divinum hunc raptum perspexi cognitaque habui omnium cœlestium spirituum agmina, necnon beatarum animarum cognitionem perspicue dilucideque sum adeptus. In eo Divinitatis pelago natans, infernas animas vidi; et qui nondum ad purum expiati purgatoriis excruciantur pœnis. »

Atque hoc loco, quemadmodum Joachimus retulit, nonnullos apud inferos existentes, Petrus nominatim expressit; negans se prorsus scire num inferna loca in terræ centro collocata sint, necne. De multis item mentionem fecit, quos torqueri cernebat; et quæ supplicia, quibusque pro meritis paterentur, aperuit. Alios quoque nomine appellavit infernis pœnis addictos, quos olim cum erant in vivis, secunda cum pietatis et religionis admurmuratione suspexerat mundus, et propter flagitia detegens id commeritos.

Id quod mirum omnino nobis cum videretur (aiunt Auctores nostri) tantos nempe talesque viros, in teterrimum illum ac putentissimum hiatum detrusos; alta cogitatione defixi nobiscum reputabamus, qua probitate, quaque sanctimoniæ laude præstantes haberentur, dum in humanis agerent; et animo suspenso mireque sollicito, causas inquirere animum induximus, quare Petrus judicaverit ad sempiterna supplicia temeratos discessisse. Quod cum anxii nos, partim secreto, partim palam agitaremus, plerosque nos comperisse affirmamus, iisdem nominibus, iisdemque de causis atroces illas pœnas dirissime sustinere, prout beatus ipse Pater, divinitus manifestavit. Quapropter satis superque constat, alia Dei atque hominum esse judicia.

Inferorum porro cruciatus indicavit Petrus adeo esse immanes, ut humanum si caderent sub aspectum, vel eos cogitatione satis complecti quis mortalium posset, omnes profecto ad officium et sanitatem redirent : quando quidem is ignis, eaque ibi moles pœnarum est, ut nobis vix exprimi possit. Ad hæc, quemadmodum cœlestes cœlestis do-

micilii Cives, insigne quidpiam ad suæ beatitudinis accessionem expetentes, suaque cupientes explere desideria, extemplo exoptatis potiuntur votis; ita contra devoti ii atque maledicti in inferis subsidentes, pœnam suppliciumve aliquod cum excogitant, (seu nimirum Dei justitia id exigente) tormentum præ aliis atrocius appetunt, confestim ferali in se ipsos rabie horribilem in modum voti compotes efficiuntur. Nullum præterea in illis miseriarum locis esse, qui tam exigua pœna torqueretur, quin persuasum infixumque habeat, neminem se uno vel miseriorem esse, vel acerbius discruciari. Super hæc multo plures ad ima tartara damnari, quam quod hominum fert opinio.

Porro de igne purgante sermonem habuit Petrus, easdem scilicet pœnas et cruciatus eosdem esse loci, atque in inferis; præterquam quod magno afficiuntur solatio, fore non desperantes, qui ibidem moram dolenter trahunt, ut ad cœlestia regna tandem aliquando evolent Beati; dum interim re ipsa sentiunt Deum pro sua clementia magnum eis afferre levamen atque refrigerium. Hi sane juvantur orationibus, pietatis atque misericordiæ operibus, Missæ insuper sacrificiis, Pontificiis condonationibus, ac aliis demum viventium hominum suffragiis.

De Limbo item beatus Pater locutus est, quem pueri incolunt sacri Baptismatis expertes; qui quamvis nulla premantur molestia, nisi quod Dei perpetuo carent aspectu, attamen infernos stridores exaudiunt, dirasque tartari despectant acerbitates. Et quoniam hujusmodi privantur malis, præclare secum agi existimant, et grates propterea Deo sine fine agunt.

Ad hæc se vidisse, Christum videns narravit Petrus, omnia omnium mortalium opera, intimaque cordis penetralia, ac mentis recessus penetrasse. Cujus rei id Joachimo certissimum tunc fuit indicium, ut scilicet cunctas illius secretas operationes et pectoris arcana ei aperuerit, hunc in modum secum in præsentia locutus. « Eam et hujusmodi virtutem, fili, ex quo me tibi in id colloquium dedi, apud animum tuum amplecti statuisti. An non ita est ?» Cui, cum procul dubio id quidem esse, stupore plane attonitus Joachimus respondisset, institutum sermonem prosequi beatus Pater perrexit: multorum hominum occultos cogitatus detegendo, plurimorum item corda penetrando, atque illorum cogitationes patefaciendo, quas præter Deum sciebat nemo; multa insuper singulatim Joachimo in mandatis dando, in diversas ac remotas orbis partes, variis diversisque hominibus renuncianda : iis speciatim, quos nunquam de facie noverat, neque ullam ipsorum mentionem vel nomen audierat. Ex quo factum est, ut complures nos ipsi audiverimus (addunt Auctores nostri) qui ea sibi Joachimum denunciasse aperuisseque testantur, quæ nemini prorsus mortalium, nisi Deo, qui

est cordium inspector et judex, ac sibi duntaxat patebant.

Quæ autem renuntiari indicarique Vir beatus jussit, in Dei honorem et gloriam redundare inque proximorum salutem, nemo est qui ambigat, nosque id ipsum pro comperto habemus; diversa ille et varia, varie ac diversimode inculcanda præcipiens : nempe hunc hilari facie blandoque sermone conveniendum; illum leniter comiterque rogandum; reprehendendum graviter ac severe alium; alium vero alia ratione objurgandum. Et sane operæ fructus egregius Dei beneficio constitit; siquidem optime secum actum existimarunt, qui illi dicto audientes fuerunt. Contra vero, Dei permissu pessime acceptos constat, qui salutaria Petri monita amplecti neglexere; ut ex his satis evidenterque appareat, non unius mortalis hominis jussa ac præceptiones eos respuisse, sed Dei prorsus mandata temere contempsisse.

Sed quo magis magisque Joachimus de rebus hisce certior fieret, ne qua scilicet hæsitatione in re tanta ejus animus fluctuaret; de viris deque illorum vita, moribus factisque præclaris dixit, qui per id maxime tempus Senis atque alibi pietatem cum laude sequebantur : quibus modis, quibusve rationibus Deum contemplarentur, degustarentque suavem atque possiderent, aperiens. Quo loco ea vi ac dicendi vehementia ardoreque animi elatus, de rebus divinis disseruit Petrus, tam veris gravibusque sententiis, tam ardenti vultu oculisque, ut divini amoris ignem undique spirare videretur; prorsus, ut res miraculi similis indicari facile potuisset : quandoquidem nullo pacto, teste Joachimo, hoc fieri potuisse crederes, nisi per illum, qui solus perfectus est, Deum; aut certe per hominem, cui id ipsum æterna illa Sapientia e perenni fonte illo atque altissimo Divinitatis gurgite haurire, et cum hominibus communicare dedisset.

Rursus ita exorsus est Petrus : « Sane Catholicæ Ecclesiæ obtemperandum est, ejusque scita sacrosancta atque decreta oppido formidanda. » « Summum Pontificem, adjecit, ac totius Romanæ Ecclesiæ corpus, eam auctoritatem ac potestatem a Christo sibi olim relictam habere atque exercere posse. Episcoporum autem atque Antistitum, etsi vitam et mores ad rectam vivendi normam haudquaquam dirigi exacteque traduci interdum aspicimus; non tamen idcirco cassam esse et inanem, collatam illis auctoritatem. »

Perstrinxit insuper omnes pollicentes ac jurejurando se se ultro obstringentes ad voluntariam ex Evangelio paupertatem sectandam, postea vero, omni officio atque timore posthabito, haud stare promissis. Diris maledictisque eos defixit, qui in se ipsis magis ac rebus temporariis omnia vitæ præsidia constituunt, quam in Christo Domino, quo uno tantum niti, unique adhærere omnino deberent. Væ! væ!

dolenter admodum in divites imprecatus, egenis ac pauperibus benigne facere renuentes.

Pœnitentiam exin (ne nimis longum faciam) summis laudibus ad astra tulit: super omnia vero noxiis appetitionibus frangendis, voluptatibus repudiandis, ac passionibus superandis operam dandam; atque spiritum denique mortificationis, quem vocant, plurimum adamandum. Ad hæc, dæmonem, adjunxit, eos irridere, eorumque conatus parvipendere solitum, qui pœnitentiæ nomine in suum desæviunt corpus, ac dira a semetipsis supplicia exposcunt; dum interim, nullo eorum regente studia, lethalis noxæ cœno hærent; nec inde, qua una re idem ipse dæmon vehementer gaudet, extrahi patiuntur. Proinde bellum in primis cum vitiis gerendum esse, deinde operam sane quam egregiam ponendam, cum ad excellentem virtutum suppellectilem sibi comparandam, tum ad gratiam a Deo simul ineundam.

Postremo vero dicendi finem facturus Petrus : « Scias, inquit, Joachime fili, hanc omnino Dei voluntatem esse, ut tridui interjecto spatio, novum loquendi genus usurpem, quo quorumdam hominum crimina manifestem ; palamque ea, uti præsentissima eorum animorum vulneribus remedia adhibeantur, faciam. Quapropter, non deerunt ex monachis qui dictitent, me mentis errore affici ac aliena loqui : quod, cum quæ dicam capere non possint, carpere conabuntur.

« Ego igitur te atque Columbinum, statim ut Senis aderit, apud me esse volo, ubi nullus quinque dierum spatio vobis erit impedimento, quominus hic tuto commorari liceat; utrique vestrum cuncta per otium interpretaturus, quæ ex me sciscitabimini. Cui item Columbino communicari speciatim mando, quæ in præsens duxi aperienda; quem, licet ad fretum cogitet, brevi tamen ad urbem patriam venturum haud ignoro: alioqui non dubito, quin si hujusmodi itineris subeat aleam, supremum expleat diem exitialis noxæ piaculo obstrictus. Verum Christum Dominum quam propensissime rogo, ne in id mali incidat; præsentioque jam haud in irritum meam (quæ Dei summa est clementia) fusam precationem. Ei igitur mox regresso, omnia ex ordine, ut dixi, referas velim; quibus quo magis fidem habeat, cuncta ejus mentis cogitata atque sensus, prout a me accepisti, pandas item volo; deque illius uxore Blasia Cerretana indices quæ patefacere libuit, et mecum una, ut mandavi, ambo eritis. » Atque hunc in modum Petri sermo in præsentia exhaustus est.

CAPITULUM II.

FUTURA ITEM PRÆDICIT, CŒLITUM FRUITUR COLLOQUIO, ET OCCULTAS COGITATIONES HOMINUM VIDET.

Interea cum nihil prius aut antiquius Joachimo esset, quam Petri exhaurire mandata, traditam sibi provinciam,

cœlestibus utique dignam promeritis, statim suscipiendam duxit. Atqui rem aggredi meditantem hæc una vel maxime coquebat cura, quod nildum certi tunc habebat de reditu Columbini; tametsi ex verbis beati Patris in maxima expectatione esset, brevi in urbem patriam rediturum; ut quæ a Petro acceperat, cum eo mox quoque communicaret. In hanc itaque conjectus sollicitudinem Joachimus, hac vel præcipua ratione ex ea liber evasit.

Convenerant post condicti tridui spatium apud Petrum, una cum Joachimo ac cæteris Domus Patribus, viri aliquot eximie pii, spiritalis cœtus agitandi gratia; cum repente conversus Petrus ad Plebanum ecclesiæ Marmorariæ, cujus supra meminimus: « Perge, porro, perge, ait, simul mecum de rebus divinis miscere colloquia; nam antequam peroratum fuerit, præsens nobis aderit Joannes Columbinus equo insidens. »

Id ubi Joachimus cæterique qui astabant audierunt, vix credibile prorsus putarunt, secum tum ipsi reputantes Columbinum per eos maxime dies ad prædia sua prope Castrum S. Joannis ad Assum flumen, duodeviginti millia passuum ab urbe Senensi, moram agere; nec diem in præsentia adeo provectam, ut id longinquum iter commodum esset emensus. Quid plura? Ecce tibi, loquentibus illis, ut præsentioni responderet eventus, ex insperato ad cœnobii fores equo vectum, allatum est, Columbinum adesse. Quem cum ex eo degressum aspiciunt, stupore simul et gaudio illico complentur: atque ex eo percontantibus, quonam pacto tam mature tantum itineris confecisset: « Ego, inquit, satis exputare nequeo, quod id sane modo mihi factum sit, ut nulla urgente causa, magnam noctis partem quam citatissimo gressu equitaverim, quod jam diu plane est cum tale nunquam mihi contigit. »

Dimisso dein cœtu, Columbino ait Petrus: « Joachimum convenias volo, auditurus quæ illi tecum communicanda mandavi. » Inter hæc ipsi Columbino retulere Patres, uti Petrus ejus adventum divinitus prænoverat; illum miris Sancti Spiritus donis decoratum, omnique virtute ac sanctimonia eximie exornatum. Cujus rei illud sane quam præclarum tum proxime esse poterat argumentum, quod paucis ante diebus ab ostio ipsius cellulæ identidem exaudierant diu noctuque suavissimas voces atque cantiones; ubi cum aliquandiu avidissimis auribus auscultando hæsissent, tandem (ut est mortalium cupiditas occulta quæque cognoscere) impulsa janua, in cubiculum irrumpentes, neminem uno excepto Petro invenerunt; cujus vultum tam divina circumfusum luce conspexere, ut jucundissima oris forma Angelicam quamdam majestatem præ se ferre videretur; sic, ut instar Moysis ex Dei consortio divinus ille splendor ex illius facie radios mitteret pergratos.

Quem tot divinis circumseptum præsidiis unus ex Patribus, vir virtute præstans, conspicatus, confestim rei novitate vehementer attonitus, in has prorupit voces : « Eligerem, Deus tu scis, jamjam adhuc spiritum ducens, eodem loci sepeliri, ubi Petrus jam fato perfunctus esset humatus, modo certum mihi esset eo meum quo suum evolare spiritum. »

O Virum cœlestes delicias jam degustantem, inter mortales adhuc versantem! O Virum, inquam, Deo plenum ! qui, quamvis omni arte conatuque te tuaque occultare contenderes, irriti tui tamen conatus in id ipsum ut redderentur interdum necesse erat; quia id vel præcipue per se habet sanctitas, ut quo plus occulitur, eo latius præter mortalium ora delata elucescat. Sed cœpta prosequamur.

Joachimus itaque inopinato Columbini adventu tantopere delectatus gavisusque est, ut diutius comperendinandum non duxerit, uti per occasionem Petri imperata quam mox facere aggrederetur. Ergo ambo in patriam urbem cum se recepissent, Columbino cuncta ex ordine pandit ille, ut a Petro acceperat : nempe de cogitatione ad pelagum, suscepta, serio verba illi fecit; itemque de conjuge, quæ ipse in mandatis habebat : quæque ille de prædio coemendo agitabat animo aperuit; et alia quidem aliis occulta, illi uni cognita tantum atque explorata indicavit detexitque.

Cumque Columbinus omnia sui penetralia pectoris, ac animi consilia sibi nudari animadverteret, stabat stupore defixus : propterea quod id hominum captum in omnes partes sibi superare videretur; ipsumque Petrum, tanquam virum humana specie augustiorem sibi magis magisque in dies singulos suscipiendum putaret; quod tantum illius sanctimoniæ tribueret, ut nihil sibi dubium esset, quin Deus per eum, uti quondam per alios suos carissimos servos, ardua quæque ac mira prorsus in genus humanum efficeret.

« Interim vero nos, adjunxit Columbinus, adibimus, simulque videbimus, quæ in Cartusia beatus Pater eventura prænuntiavit; dum te, Joachime, nihil negotii moretur, quominus reliqua Petri jussa pro loco et tempore perficias diligenter. »

His ita constitutis, Joachimus Andream, Taurum cognomento e præcipua nobilitate virum, atque per id tempus Xenodochii Beatæ Mariæ ad Gradus, cujus jam crebro mentio habita est, gubernatorem pariter ac rectorem adiit; eumque officio comprehensum, primo graviter in hunc modum appellat: « Quæ, (malum!) te, mi Domine, ratio impulit, ut aliter vitam tuam instituas, atque abs te officii ratio pietasque Christiana exigit? Hoccine est vivendi genus, quod loci gubernatio exposcit? Nescisne, hanc Domum illam apud nos esse, antiquitate primam, augustissimam religione, et in egenis sublevandis beneficentia celeberrimam?

præteritne, in tutelam patrociniumque Christi Parentis receptam? Quæ cuncta si comperta tibi atque explorata sunt, uti plane omnium maxime sunt; cur præclaram occasionem tot promeritis, totque pietatis simul obsequiis atque officio Deum ejusque Genitricem intemeratam, ne dicam homines ipsos, demerendi negligis?

« Hæc, non ego, mi Domine, sed per me tibi renuntiari Petrus Cartusianus jubet ex Dei mandato. Qualis Vir, quaque sanctimonia præditus, apud omnes constat. Is te per Christum Jesum, perque tuæ salutem animæ, locique simul dignitatem ac commodum rogat, ut castigato veteri luxu, mores induere velis rectiores præpotentique Deo te humilies, atque subjicias. Id quo facilius libentiusque efficere possis, formam tibi ponit, eorum videlicet quæ tibi sunt peragenda. Quandoquidem si animum induxeris illius parere mandatis, non modo officii et religionis te laudes relaturum, verum etiam magnam a Deo gratiam initurum pollicetur : sin (quod Deus avertat), mortem tibi intra trium mensium spatium prænuntiat, misereque interminatur. »

At verba in ventum jacta. Andream siquidem ab tauri (unde cognomen et familiæ suæ insignia habebat) feritate atque lascivia haud abhorrentem, aspernantemque cum beati Viri monita salutaria et preces, tum truci ore immodicos gerentem spiritus, adversa valetudo intra præfinitum illi tempus ita prostravit, ut temeratæ suæ proterviæ pœnas ipso interitu lueret. Sed veniamus ad aliud.

Præviderat Petrus Abbatissam, quam vocant, divæ Marthæ cœnobii, tum sibi tum iis pariter, quæ in Dei gloriam inque animarum salutem renuntiari illi sæpissime mandarat, fidem penitus abrogaturam. Ad hanc itaque mulieris pervicaciam frangendam, Joachimo, eo ipso die quo cum eo sermonem illum divinum habuit, sic ait: « Cum audieris, fili, Abbatissam divæ Marthæ monialium fidem mihi omnibus in rebus habere, scito in proposito constantiam illi defuturam ; quin potius de sententia graduque feminam dejectam aspexeris, prorsus ut pristinæ in me fidei ac roboris in ea animi vestigium nullum appareat ; tunc eam continuo convenias volo, meisque verbis enunties, ni priori in sententia egregie sibi constet, capitis se ac laterum doloribus intra mensem quam acerrime correptum iri. »

Nec vana cecinit Vir beatus. Etenim cum eadem sacra femina in Petrum mirifico animi studio esset affecta, plurimumque omnium illi tribueret; accidit, ut improbis, quorumdam depravata consiliis, fidem omnem exueret ac pietatem omnem abjiceret, qua erga beatum Patrem ob insignem ejus sanctimoniam affecta esse videbatur. Id cum primum ad aures Joachimi pervenit, feminæ miseratus insaniam, ad eam protinus advolat, eique mandata quæ habuit a

Petro exponit : simulque adhortatur, videat etiam atque etiam quid agat; caveatque ne vesano consilio, salutaribus servorum Dei præceptionibus ac piis monitis, inanes hominum ac mulierculárum sermones anteferat; secus vero persuasissimum habeat eo se duplici malo corripiendam esse.

Hæc feminæ audienti ita incredibilis visa res, ut per ludibrium cachinnos mox tolleret; deinde nuntii dicta elevare, atque ad extremum prorsus negare. Verum nondum abierat mensis, cum magno illi stetit cavillus. Siquidem, uti Petrus ipsi prædixerat, sævissimi capitis ac laterum dolores ita illam arripiunt atque usque adeo discruciant, ut nihil unquam se acerbius in vita perpessam meminerit; tametsi summa ope contenderet, quoad per eam fieri posset, intima vel præcipue religione icta eos ipsos supprimere. Sed divinitus factum est, vellet nollet, ut id quam plurimis satis vulgatum compertumque esset.

Senis Frater Franciscus Guastellonus ex Ordine Minorum erat, vir genere nobilis, sed longe nobilior summa probitate vitæ atque candidissimis moribus; cui cum Petrus noster, Christo Domino revelante, præsensisset perennem ac immarcescibilem coronam in Cœlum, ob plurimos quos in vinea Domini excolenda exantlarat labores, esse paratam; per internuntium Joachimum renuntiari illi mandarat, ut ad pie sancteque mortem obeundam se se compararet : haud dubius Vir sanctus, e vita illum trium mensium interjecto spatio cessurum et ad cœlestia regna transiturum.

Quo quidem nuntio vix credas, quanto gaudio Franciscus fuerit delibutus, ita ut temperare sibi neutiquam potuerit, quin cœnobii Custodi cæterisque Franciscanis sodalibus rem totam, ut erat, palam aperiret; uti tot Petri nostri præsensio oculatos testes haberet, quot eodem tecto viventes, spectata religio pietasque Christiana dignos efficiebat, quibus crederetur in omnibus. Ergo Franciscus intra constitutum tempus, Sacris, quæ ad expiandum animum pertinent, per otium rite procuratis, ne quid ad pie decedendum omitteretur, in Fratrum corona, lætus et gaudens certa spe felicitatis æternæ, ad eam perfruendam discessit.

Inter eos qui Petrum nostrum precipua quadam veneratione prosequebantur, fuerat ejusdem Joachimi parens, eximie pia eadem ac honorata femina, ac jure quidem optimo : quippe quæ præclare sibi conscia, quanti Petrum facere teneretur, quod eo, apud cœli terræque Opificem clementissimum Deum, auctore et deprecatore, magna et singularia a Deo dona acceperat et beneficia. Sed nullum majus, mea quidem sententia, in eam extitit beneficium, aut gratiori munere apparuit exornata, ut tradunt, quam eamdem ipsam studio Evangelicæ perfectionis sectandæ incensam aspicere, et bonis suis fortunisque omnibus divenditis, pretioque in Christi Domini gratiam erogato, ægrotantium

miserorum subire ministeria, illis servitii officia præstare, quæ interdum ab infima quaque famula exigi solent : et ipsam egentem postmodum ac quæstuariam, mercede laboris sui et manu (eo sibi tantum lucello ex opificiis reservato,quod satis esset ad vitam ægerrime tolerandam) inopes juvare; atque orationibus dies noctesque insistere.

De hujus igitur feminæ obitu beatus Pater, quem propediem affore prævideerat,Joachimum, haud degenerem parentis filium, certiorem sibi faciendum ratus, hunc maxime in modum cum eo locutus est, ubi de divino illo viso verba fecit : « Id unum tibi postremo, fili, inculcandum, teque admonendum censeo, nimirum, ut moderate comiterque, uti par est, erga tuam te matrem geras; propterea quod ad breve utique tempus una tecum illam fore scio, cœlestem in patriam migraturam. Cæterum de illius æterna salute ipse sollicitus, illi renunties velim meisque verbis præcipias, ne diutius moretur, id taleque piaculum per Confessionem eluere, quod proximis hisce diebus contraxit. »

Tamdiu hoc pensum Petrus ab ea exigere erat solitus, statim atque mente illa sua, divino perfusa lumine, quidpiam eam peccasse noverat, quoad ille fuit in vivis : ut videlicet, partim salutari lapsus detestatione, partim sacra Confessione ab omni peccati labe expurgata, felici tandem discessu læta potiretur cœlo. Nec incassum plane hortatio adhibita. Matrona enim castissima, leni castigatione monita, confestim sacris religionis studiis expiare non destitit quidquid deliquerat, Petro per filium gratiis actis.

Sed enim de hac femina alias dicturi sumus : est hoc vel maxime loco quod Joachimum, reliqua Petri jussa persequentem, nos quoque sub sequamur; idque adeo parce, ne plus tædii quam gratiæ lectori afferre videar. Nam si per singula ire velim, quæ ille in beati Patris mandatis curandis fecit gessitque intra natalem sedem, multus profecto fuero; proinde modum in hac re adhibebo; dicamque, haud sine causa illum hanc de Deo deque hominibus bene merendi provinciam suscepisse acerbis illis temporibus, quibus in urbe patria exitialis illa pestis civilium discordiarum, cum ab solida lucri cupiditate, tum ab effrenata regnandi libidine profecta, dominaretur.

Quandoquidem per ea maxime tempora civicum odium (quod ad mutuam perniciem præceps et ad publicæ libertatis tutelam effrenum atque incautum semper esse solet) adeo discordes infensosque inter se cives ipsos efficiebat: ut bellum inter socios et amicos, inter affines et cognatos luctuosum ac diuturnum excitaret; atque uno eodemque tempore portam externo aperirent hosti. Hinc passim impetus insani ac cruentæ popularium invalescebant seditiones; hinc turbulenti motus atque repentinæ Magistratuum permutationes oriebantur; hinc proditiones; hinc par-

tium oppugnationes fœdissimæ, atque alia id genus multa, quæ sine lacrymis commemorari vix possunt, proficiscebantur.

Ast ut primum Joachimus factionum ac partium capita petere aggreditur, ad quorum tela retundenda præcipua a Petro habebat in mandatis; utpote Vir beatus atroces apud inferos persolvere pœnas aspexerat, qui ejusmodi fovendis dissensionibus operam dederant in vivis; extemplo nonnullos videres posita ferocia in bonam gratiam eorum redire, quibuscum immortales gerebant inimicitias; alios fracta protervia animum ad reconciliationem inducere, et junctis dextris, pacis in omne tempus inire fœdus; complures e lethali flagitiorum veterno se se excitare, et ad bonam frugem mentisque sanitatem semet recipere; quam plurimos vero ab ipso Joachimi congressu, ad sacerdotum pedes, magna cum suorum detestatione facinorum, illico se se confitendi gratia abjicere, et meliora aggredi consilia, novamque vivendi disciplinam subire.

Aliis autem idem ipse Joachimus de justitia, temperantia, et animi summissione serio præcipere; aliis male parta reddenda inculcare, condonandas esse injurias, libidines aspernendas, scorta relinquenda, simultates dirimendas aliis; aliis quidem alia modo amice comiterque e Petri præscripto, modo graviter atque severe denuntiare. Hunc, virtutis amore captum, ut in fide officioque se contineat, amicissime adhortari; illi, in suscepto Deo serviendi proposito nutanti, ne ad ingenium redeat propter fidei imbecillitatem, animos addere et beatitudinem cœlestemque felicitatem polliceri.

Alios (qui quamvis ad studia Christianæ pietatis magna cum laude incumbere viderentur, tamen perverso cognatorum et affinium suasu infatuati, domesticos motus atque civiles dissensiones fovebant) Joachimus accessit; eosque officio præoccupatos rogat ex Petri verbis, hortaturque quam amicissime, uti tam periculosam curam abjiciant, videantque ne, dum carni et sanguini intemperanter tribuunt quod, publicæ salutis causa, communi utilitati dandum esset, seipsos perdant ac simul Deum sibi irritent magis quam concilient : quando grandis in suos pietas, impietas est in Deum. Aliis autem qui refractarii sæpe conscientiam spernunt et Numen, ni tandem aliquando sapere constituant, ærumnas, calamitates, ac divinæ demum Justitiæ gladium ex ejusdem beati Patris mandato minitari non dubitabat. Cujus quidem dictis, quo majorem fidem haberent, liberius multa pectoris illorum arcana reserare, atque animi sensa patefacere, prout fuerat illi imperatum; ut rubore quodam saltem perfusi, si recenti minus animi motu permoti, ab amentia revocarentur.

Neque vero Petrus in mandatis Joachimo suo dandis veteratorum præstigias reliquit, sagarumque atque lamiarum veneficia fascinationesque præter-

iit; quin Dei zelo quo mire exedebatur incensus, inter cætera illi mandavit, ut tam pravam tamque nefandi cultus execrabilem nequitiam ac diabolicas artes, si qua ratione dissolvere ac funditus evertere non posset, at acriter certe coargueret; nunc hortando et monendo, nunc eas detestando, atque cœlestes iras iis potissimum intentas denuntiando, qui ejusmodi nefariis fascinationibus operam dabant, nisi ab illis abstinerent. Neque id sane frustra. Siquidem ad cætera mala, quæ per id maxime tempus Senis, ut modo diximus, quotidie gliscebant, hoc omnium maxime execrandum accesserat, ut quam plurimi plus fidei sæpissime maleficis hisce ludibriis accommodarent, quam sacrosanctis divinæ legis mysteriis; sic ut apud perditos homines cum veritate mendacium, fabulæ ac dæmonum simul et hominum artes cum recta fide propemodum ex æquo contendere viderentur.

Hæc recensere placuit, quo Petri nostri merita singularia in rem carissimæ patriæ clarius aspiciamus.

Sed quid dicam in patriam, quando non unius alteriusve civitatis, sed provinciarum atque regnorum salutem animo complexus fuerat? Utinam vel Joachimus scriptis mandasset, quæ ille Romæ, quæque deinde Neapoli cum Joanna Regina gessit; quæ tum cum Summo totius Ecclesiæ Romanæ Pontifice, Avenione per eos dies una cum sacro purpuratorum Patrum Senatu commorante, fecerat; quæ mox cum Joanne Galliæ, atque inde cum Eduardo Britanniæ, Regibus, ad quos inter se atrociter dissidentes et gravissima subinde bella gerentes, Joachimum vicarium suum Petrus legavit, uti reconciliatis voluntatibus, de pacis fœdere præpotentis Dei imperio ageret! Equidem ipsius Servatoris generis humani ac Dei et Domini nostri præconio illustri, atque adeo divino prorsus testimonio, una mecum diceres, Petrum nostrum alterius instar Moysis in terris apud Deum pro omnium mortalium salute extitisse; dum precationibus ac lacrymis, atque aliis id genus pietatis studiis erga viventes, Christum ipsum infensum hominibus placatum reddidit.

Quamobrem hic vel in primis animos mentesque adhibere velim eos, qui non minus inepte quam temere obloqui non verentur, monachos nimirum, intra sacra septa degentes, nullius esse frugis, nihilque utilitatis et commodi in rem Christianam inferre; sed potius ceu pondus inane super terram Endymionis somnum dormire.

Hi sane, velint nolint se prorsus allucinari confiteantur necesse est, modo inter alios atque alios Vitæ monasticæ studiosos viros egregios, Petrum nostrum ejusque res præclare gestas ob oculos sibi proponerent inspiciendas. Si enim ex umbris nunquam emersus ille, tantos animorum motus excivit, quid, quæso te, in sole, in campo, aut in

acie positus, vel in arenam si prodiisset? Ergo disce vel aliquando tu, qui ejusmodi temeritatis tabe infectus es, quantopere Reipublicæ Christianæ unius hominis Dei cari, vel in solitudine degentis, vel intra monachorum claustra cellulamve castum otium agentis, orationes et crebræ ad Deum pro salute mortalium impetranda lacrymæ possint.

Enimvero longe uberiorem hos dixerim afferre utilitatem mundo, quam si medii inter hujus sæculi nequam tricas atque perturbationes versarentur. Tunc enim illorum animus ad Deum puro mentis intuitu contemplandum purior efficitur, cum nullis rerum fluxarum curis interturbati, nullisque sæculi desideriis aut improbæ cupiditatis fluctibus jactati, Deo immortali sic adhærent, ut unus cum eo spiritus efficiantur; atque cum eo ita se conjungunt, ut ardentibus orationibus ingentia mala, calamitatesque multas, atque incommoda a mundo depellant, eique tot simul beneficia et dona impetrent.

Quarum rerum, etsi maxime præclara nobis suppetunt exempla; illustriaque in Sacris Litteris habemus testimonia, utputa de Moysis, Eliæ, Elisæi atque Danielis ac cæterorum Sanctorum veterumque Patrum vi precum et virtute, ut recentiores silentio premam; hicque locus nos quodammodo admonere videtur, ut omnia omnino minime prætereamus, ad impudentiam vel maxime obtrectatorum retundendam : attamen quia non apologiam texere principio aggressi fuimus, sed Petri vitam litterarum Monumentis utcumque tradere fuit consilium, ea idcirco in præsentia missa facimus, et ad Petrum ipsum, ne a proposito nos aberrare dicas, revertimur; præsertim cum Joachimum, suo fungentem munere, alio etiam prosequi sit animus.

CAPITULUM III.

UT PETRUS, SEXAGINTA HORARUM SPATIO, SUPPLICIA AC PŒNAS INFERNALIUM INSTAR PRO CUJUSDAM AMICI HOMINIS EXPIATIONE DEI PERMISSU SUBIERIT.

Dum Joachimus foris pro loco et tempore Petri mandata curat diligenter, domi interim beatus ipse Vir totus ardentissimis charitatis flammis incensus, nullum tempus a piis studiis vacuum transire patiebatur, quin pro animarum salute die noctuque cruentos lacrymarum imbres profunderet; eoque magis, quod certius horrendas damnatorum pœnas apud inferos cognoverat. Hinc erat quod de quorumdam salute monachorum anxius, cœpit intra ab eo constitutum tempus, incompositis quibusdam sermonibus ac reconditis inter loquendum verborum anfractibus, eos nunc adhortari, nunc vero etiam objurgare. Sed ubi nihil hisce artibus omnino se proficere animadvertit, ad aliud loquendi genus mox animum adjecit: nempe ut conscientiæ noxas illis detegeret, et mentis latebras divinitus aperiret; uti a soluta videlicet disciplina,

rubore quodam salutaris verecundiæ perfusi, simul ad officium redirent, simul etiam suis in melius commutatis moribus, in casto Dei timore ad extremum usque persisterent.

At cum primum hæc audiunt illi (ut sunt mortalium ingenia ad temere judicandum proclivia, ubi præpostero, ut putant, consilio de re sua agi animadvertunt) Petrum e sua potestate exisse alii dicunt; alii phrenesi laborare, alii a malo dæmone illudi; alii aliter ejus verba interpretari, illum nempe divino agitatum Spiritu hæc eloqui, et hæc in eos ex Dei voluntate fieri. Verumtamen variis inter se sermonibus monachi dissidentes, cum primum in se se descenderent (quæ vel ferrea pectora non flectit interdum patientia splendorque virtutum?) ad Petri pedes mox procumbere; atque eximia ejus mansuetudine fracti veniam petere ab eo, benedictionem efflagitare, seque pariter in officio in posterum fore polliceri : propalam vel inviti mirificam beati Viri sanctimoniam et omnibus numeris absolutam ejus vitæ rationem confessi.

Attamen Vir beatus, Divinæ voluntatis particeps, magis magisque se macerat, precesque restaurat, et totum quam acerrimo studio in Deo placando se occupat: quo videlicet iracundiæ Divinæ manus ac tela contineat ab omnibus, quo horribiles pœnas, jam diu debitas mundi sceleribus deprecetur : sed etiam (qui est charitatis fructus multo maximus) ad omnia ferenda et perpetienda Dei ac proximorum causa eo vehementius incendebatur, quo magis jam tempus appetere cernebat, quo tanquam fortissimus bellator bonum certamen certaret, et pro Christi gloria et animorum salute cursum vitæ consummaret.

Tum vel maxime recordatus est, cum in illam splendidissimam Divinæ immensitatis abyssum, in qua reconditi sunt omnes Divinitatis sapientiæ ac scientiæ thesauri, absorbebatur, amicum hominem jam tum in humanis degentem, intuitum atrocissimis obnoxium suppliciis. Cui cum ardentissimis precibus veniam apud Deum oraret, audivit ex ipsius Veritatis ore, constitutum omnino, satis esse Divinæ justitiæ faciendum : tot videlicet illi tormenta toleranda, quot ejus delicta exigerent diluenda.

Ergo intimis plane sensibus amici statum miseratus Petrus, Joachimo suo rem omnem ex ordine refert. Hoc ille ut audivit, confestim et ipse tactus hominis misericordia, beatum Virum quam studiosissime obtestatur et obsecrat, amicum ad se commendatum habeat, ac suis apud Deum precibus tueatur et muniat. Ad hæc mox Petrus : « Vult, inquit, Christus Dominus sexaginta integras horas, pro illius anima expianda, supplicia, inferorum cruciatuum ad instar, sustineri. Id si quis in se reciperet, magna utique hominem cordis contritione, suorumque criminum salutari detestatione ad Deum conversum iri, plurimumque de Deo deque sui ipsius

salute habiturum cognitionis: quod pro majori sane miraculo velim abs te haberi, fili, quam si e mortalibus quemlibet jam vita functum ad vitales auras revocatum conspiceres. »

Tum vero quærenti ex eo Joachimo, velletne in rem amici hujusmodi aleam subire (id ille magno animi timore ac tremore correptus loquebatur, propterea quod res ipsa non modo sibi factu verum etiam dictu horribilis videretur omnino), « Scias velim, respondit Petrus, nihil me æque libenter cupere : quin etiam hoc habeto, fili, jam eadem me supplicia perferenda suscepisse; et ex hac hora (certum tempus patiendi edicens) quid pœnarum cruciatuumve sustineam, facile animadverti poterit. » Cumque jam præfinitum divinitus tempus adventasset afflictissimæ illius animæ opem ferendi, non dubitavit Pater beatus pro eo acerbissimas illas pœnas ex divino condicto fortiter subire.

Itaque sex ante diebus, quam vitam cum morte commutaret, fide munitus, mente alacer, conscius divini promissi, contra totius tartari incursus ac petitiones, induit arma, ardentissimas scilicet preces; atque misericordia magis fretus, quam Divina justitia territus, in arenam dimicaturus descendit.

Corruit extemplo crudeliter conflictatus; et projecti humi cadaveris instar jacet miserabiliter. Fit repente luridus; languescunt vires; color in eo cernitur exanguis; cavum dira macie ac deformatum caput apparet; oculi introrsum in suos orbes inclusi, et tempora altissimis depressa lacunis conspiciuntur, atque e spina fere nuda pectus aridum pendet. Non crura moveri solo, non manus in cœlum tolli poterant. Quid plura? Eo miseriarum devenit tormentorum atque pœnarum copia, ut ne pedum quidem ungues contingere quis illi posset, quin totus atrociter intremeret, et dentibus sic acriter infrenderet, ut viderentur infringi. Sola duntaxat vox reliqua illi fuerat, quæ nonnisi truncatis ac pene intermortuis affatibus, eo ægrius anhelante, mitti poterat; etiamsi non deessent ex monachis qui dicerent Petrum tunc temporis voce omnino defectum fuisse. Cæterum eos prorsus falli, nos oculati testes sumus, aiunt Auctores nostri, Columbinus nempe et Nicolaus, quibuscum ad extremum usque quæ libuit communicavit.

Triste sane spectaculum ac luctuosum, innocentissimum virum aspicere, non solum mortuum ante mortem, vel ante sepulturam jam sepultum, sed etiam morientem emori non valentem! Quis tunc vel saxeum pectus habens non fleret? Quis præcisus vel de silice non doleret, beatum Virum mœrore perditum contemplando?

Hunc cum cœnobii Patres, incubantem sacco, Cartusianum in morem paleis inferto, intuebantur miserrime damnatum, rei novitate vehementer attoniti, utpote mysterii ignari, stabant stupore plane defixi; et dirissima illius animo

atque oculis contemplantes tormenta, a dæmonibus truculentissime cædi exagitarique putabant. At vero Joachimus, Columbinus et Nicolaus ingenti religione rem taciti considerantes, communem simul parentem crudeliter vexatum conspicientes, hac una vel præcipua ratione vehementer angebantur, quod nulla eis suppeterent remedia beati Viri cruciatibus leniendis. Verum etsi ejus acerbitatis causæ minime nescii, deesse sibi tamen noluerunt, quominus beato Viro tamdiu assiderent, quoad rei exitum inspicerent. Et hæc erat in Petro rerum suarum facies horrenda.

O virum proximorum desiderio Deique gloria æstuantissimum ! O invictum, Petre, robur animi tui ! Quem non magnitudo atrocitatis, non dirissimorum sævitia tormentorum, non cruciatuum horror, non metus atque animi hæsitatio non dico continere, sed ne potuit quidem aliqua ex parte coercere; quin temet in acerbissimarum fluctus undasque pœnarum totus immergeres. Cujus ardentissimæ charitatis gloriosi facinoris, ne quis apud lectores dubitandi sit locus, cætera nobis sunt prosequenda, quæ tunc ex eo sunt consecuta.

Petrus igitur cum id totum sexaginta horarum spatium miserandum in modum discruciatus jacuisset, ad se tandem rediit. Et ecce tibi nova illius rerum facies. Siquidem interruptis vocibus respirare; redivivos velut oculos ad cœlum serenos tollere; brachia pandere; manus supplices ad sidera levare; et linguam paulatim in laudes gratesque Domini solvere; ac demum pristinam, licet natura esset infirmis viribus, incolumitatem decoremque resumere cœpit: tanta nimirum cœlesti voluptate perfusus, ut inter choros Angelorum exultare sibi videretur : sic ut tacitus exclamaret : *Trahe me post te; curram in odorem unguentorum tuorum,* et alia his similia.

Sane nihil mirum hoc loco videri debet, si Petrus noster beatus, pro amici expiatione Dei voluntatem executus, qua proximos jubemur diligere, tanta liquesceret spiritus dulcedine, ut jamjam cœlestia ac sempiterna illa gaudia oculis animoque perciperet, ad quæ cum effuso ac suavitatis pleno ejulatu assidue inhiabat ; præsertim cum nihil esset quod non aggrederetur et efficeret, pro animorum salute procuranda.

Interea hominis expurgati probeque expiati animi haud obscurum id fuit argumentum , quod singularis in eo propitiati Numinis indulgentia liquido apparuit. Quippe res mira ! mox a Petri obitu, qui tribus post diebus contigit, magno acrique dolore compunctum, tanta sui suorumque criminum cœpit animi contritio, ut anteactæ vitæ suæ rationem consiliaque ex animo detestatus, per plures dies sibimet iratus, in squalore et luctu, mœrore prope exanimatus jacuerit. Exin vero salutari sui ipsius meditatione vegetatus, ita se suaviter in Deum affici sentiebat, ut ver-

bis vix exprimi posset; palam ipsemet indicans, magna quædam atque insolita in se experiri, quæ nunquam antea se fatebatur expertum; quæque item oratione se posse ullo pacto explicare negabat.

Quam sane cordis contritionem tum consecuta est Dei rerumque cœlestium admirabilis quædam cognitio atque peritia. Etenim cum præcipua divinæ gratiæ lux menti ejus per eos dies affulsisset, nova sibi pariter ac divina quædam impartita charismata animo liquidius capiebat; cujus gratiæ tam insigne donum, uni Petro secundum Deum referebat acceptum: quando tanti Viri eximiæ sanctitati nullus æque certum testimonium, uti Columbinus testatur, atque ille tribuere poterat, etiamsi nonnisi semel duntaxat Petrum vidisset.

Qua de re, cum in ejusmodi viro tum in aliis, satis evidenterque constitit, beatum Patrem nostrum egregie præstitisse quod superioribus proximis diebus Joachimo indicaverat, se videlicet mortalibus magis post suum obitum profuturum, quam in terris dum vitam coleret: hoc est præpotentem Deum non modo miracula editurum, ac cœlestia simul dona et beneficia extrinsecus in eos collaturum, qui sibi fidem haberent; sed etiam intrinsecus mirifica divinæ gratiæ lumina per eum piis mentibus illaturum, modo statuerent animis vitam pie sancteque traducere.

Nec fefellit fidem: siquidem eodem Columbino teste, non defuere qui ingenue faterentur, post sancti Viri obitum multa alia præclara divinitus contigisse, quæ magis magisque ejus sanctitatem eximiam declararunt, in eos vel maxime, qui nihil vel parum fidei habebant ejus religioni, dum esset in vivis.

CAPITULUM IV.

TUMULTUS ATQUE DISSENSIONES IN MAGGIANA CARTUSIA PRO PETRI CORPORE POST EJUS OBITUM IISDEM ÆDIBUS ASSERVANDO.

Sub hæc ad aures cœnobii Patrum pervenit, Petro admirabili Dei providentia iterum decumbente, et ad ultima properante, Joachimum, Columbinum et Nicolaum Vincentum, facta subitaria civium manu, de ipsius Petri corpore, simul atque efflasset animam, intra carissimæ patriæ mœnia deportando agitare; haud dubie rati sacras tanti Viri exuvias sibi, tectis, fortunis ac toti denique civitati magno præsidio fore. Qua tristi denuntiatione perculsi Patres, studium omne cogitationemque convertunt ad rem caute ac dissimulanter explorandam. Id ubi factum, compertumque id quod res erat, ecce tibi repente cœnobio toto arcani susurri, ecce mussitationes atque clandestina subinde colloquia, sane quam inique quisque eorum id facinus patientes.

Ergo haud ignari Patres in mora subesse periculum, simulque rati sua vel dissimulatione illiberalem Joachimi conatum corroboratum iri, in monasterii atrium coeunt omnes, ut quid

ea de re deliberandum sit inter se constituant, ad se primum Conversis Fratribus ac famulis domus adscitis (Conversos Fratres vocamus, qui haud Sacris initiati, domestico opere apud nos exercentur). Ibi perrogandis sententiis diu multumque certatum est.

Patres namque magna fere parte favere quieti, cui ex Ordinis disciplina consulendum esse, affirmabant; palam dein hortari, « Videndum etiam atque etiam, ne dum unius alteriusve hominis odium nobis ipsi conflamus, totius clarissimæ civitatis periculosam invidiæ aleam subeamus, et in apertum discrimen rem nostram communem objiciamus. Etenim si æqua lance Joachimi consilium nobis perpendendum existimemus, luce clarius dignosci necesse est, fateamur, plenum pietatis, plenum religionis, plenum denique dignitatis Ordinis totius pariter atque cœnobii. Quid enim aliud contendunt, quam ut honorificentius pro Viri dignitate ejus corporis gleba asservetur condaturque? Quod quoniam per nos hic agi non licet, priscam nostrorum Patrum simplicitatem sectantes, quid, quæso, causæ est, quod ægre molesteque feramus alios alio in loco id ipsum præstandum curare? »

Alii consilium miscentes precibus, modo obsecrare, ne quid super tali tantaque re offensionis, aut inhonesto facto inconditoque gestu aut verbo, recti studiosis præbeatur. « Nos omnes, cunctis ad exemplum et significationem solidæ virtutis et religionis intra sacra peristylia propositos. Quandoquidem si quid mali indidem per nos proficiscitur, ex quo nihil non boni ad Dei gloriam propagandam, ejusque in pios homines clementiam illustrandam foret eliciendum; quid in cæteris rebus (quæ humanæ sunt vices) quæ ad purissimum religionis decus officiumque retinendum spectant, sperandum putamus? Ad hæc si in Joachimum, tanquam in auctorem hujus conspirationis, animadvertendum est; satis illi pœnarum erit, non interiori tantum usu, verum etiam omni introitu et ingressu ad Petrum, illum prohibere : id quod ea lenitate atque dexteritate agendum arbitror, ut nihil nobis prius in amatissimi Fratris nostri corpore, apud nos perpetuo conservando, esse appareat, cum ex hac vita migraverit; quam ut omnes, una cum nominis existimatione pacem nobis ac mutuum boni consensum, antiquissimum fuisse intelligant. »

Alii contra, et cœnobii dignitate et Ordinis gloria indignum affirmare, si ad unius hominis sensum, per speciem pietatis in Petrum excitatum, tantam jacturam facere patiantur. « Num memoria tenetis, adjiciunt, Patres, hominem hunc in partem olim carissimi Fratris nostri consuetudinis adscitum, atque intra tecta nostra precario admissum? Tantosne jam sibi sumpsit spiritus, ut ad religionis famam et gloriam sibi apud vulgus colligendam, nostra adversum se benignitatis studia, tam iniqua commercii significatione rependat?

Numquid expectamus, dum civium populariumve agmine facto, ad unum cœnobio pellat? et vi nobis abripi dulcissimi Fratris nostri corpus aspicientes, omni cura vacui et securi in utramque aurem dormire debemus?

« Orientem flammam, vel exiguo latice primum, adultam deinde et grassantem, non nisi ruina opprimi et extingui, compertissimum est. Proinde nascenti malo pro re, pro loco, pro dignitate, et prudentia occurrendum reor. Quandoquidem non immerito (ecquis jam id animo non præsumit?) pia nos posteritas ingrati animi scelere accersere, atque in Petrum charitatis expertes appellare posset; si per summam otii assimulationem, qua Ordini nostro universo, qua cœnobio simul tam ingens dedecus inuri pateremur; cum sanguinem ipsamque vitam nos profundere potius par erat, quam metu repulsos insignem hanc notam turpissime accipere. Deficerentne sarcophagi, vel honoraria nos cenotaphia, quibus pro honestate, si per Institutum liceret, ejus corpus condi queat? Desuntne nobis cœmeteria, in quibus pro sacrosanctis Pontificum sanctorumque Patrum scitis, monachorum humanda sunt corpora? Atqui nullum, mihi affirmanti credite, nullum, inquam, gratius pietatis munus obsequiumve Confratri nostro impertiri possimus, quam illum ad lineam agere, ejusque virtutes castissimas in nobis ipsis pro viribus effingere conemur. »

Hisce atque aliis in eam sententiam dictis, tandem e dignitate fideque nominis Cartusiani statuunt esse Patres, Petri corpus ad usque existimationis et vitæ periculum tuendum : indignum prorsus rati, alienis in ædibus, maxima quamlibet cum veneratione, asservari, quem triginta tres totos annos intra domesticos parietes carissime aluissent. Verum non defuerunt qui rem totam assererent ex Joachimo ipso cognosci debere, ne quid, integris etiam tum rebus, temere patrandum susciperent.

Tumultuario itaque consensu mittunt, qui illum accersirent, apud Petrum una cum Columbino et Nicolao tunc temporis commorantem ; accersitumque coram urgere procaci interrogatione insistunt, quæruntque ex eo, cur tantum facinus attentare sit ausus, tot officiis videlicet ab eis pro tempore auctus. Ad ea Joachimus satis constanter negare, objectaque diligenter diluere : nihil se tale moliturum unquam cogitasse; dein quotiescumque id fuisset aggressus, operæ pretium sibi factum duxisse, quod ejusmodi consilium publicæ salutis causa susceptum fuisset. Cujus hominis in dicendo projectam audaciam conspicati Patres, extemplo coitionem certissime rati, furore iraque efferuntur ; atque (ut sunt mortalium pectora ad præcipitium quandoque per speciem officii honestive propensa) huc illuc per atrium vociferantes, tumultus cient excitantque furias ; et rixa cum verborum asperitate orta, in Joachi-

mum omnes conglobati impetum faciunt.

Quos ut in se acerbe animatos vidit, in hac illico præsenti animo prorupit voces : « Non equidem miror, Patres, neque ex hisce, quæ adversum me tam inique facitis, quidquam doloris capio; quin etiam præclare mecum agi puto, cui communis Patris causa in tantam vestrum invidiam incidisse contigit : quoniam id ipsum in Cartusia futurum, ab ipso Patre præteritis hisce diebus, me accepisse recordor ; quem item Patrem jam divinitus præsensisse, mihique enuntiasse omnia eventura, ac multo acrius quam antea inter vos dissidium excitatum iri, Columbinum testem habeo et Nicolaum. Sed hoc unum tantum me mordet, quod per hæc, quominus agenti animam Patri assideam, eique postrema charitatis officia præstem, quæ a me mea erga illum exigit pietas, sane quam dolenter prohibeor. Sed ite, per me non stabit, quominus mihi in medullis perpetuo hæreat infixa illius memoria, quam sane omnis amoris officio et veneratione, quoad vivam, nunquam non prosequar. »

Hæc ubi Patres audierunt, irarum pleni, magis ac magis furore concitantur; et quæ (ut optime a Leone Magno Pontifice dictum) erant causa illuminationis, fiunt illis repente materies cæcitatis : prorsus ut nihil propius factum sit, quam ut se ipsos atque etiam alios in absurdos præcipitarent errores. Quoniam jurgium jurgio cumulantes, una cum Conversis Fratribus et famulis, Joachimum manu pariter et impressione urgent, et ad cœnobii fores vi pertractum tecto pepulerunt; ab ipsis atriensibus inclementer, ut tradunt, acceptum.

Deinde ad Nicolaum furore ebrii, conversi Patres, atque eadem verborum asperitate contra eum usi, foribus illum item depulerunt : nulla tamen injuria ipsi durius illata. Ille vero, ut vir æque nobilis genere atque varietate casuum edoctus, tumultuantium monachorum furori et tempori cedendum ratus, tantam contumeliam dissimulatione mirabili exorbuit; perinde ac si jam tum haud dubia spe niteretur fore, ut morienti beato Patri quoquomodo officiosus adesset.

CAPITULUM V.

PETRUS LICET ABSENS ET CUBICULO CLAUSUS OMNES TAMEN TURBAS DOMI A PATRIBUS EXCITATAS DIVINITUS NOVIT.

Joachimo atque Nicolao cœnobio exactis, et altercantibus etiam tum Patribus, Joannes Columbinus, ex re et ex tempore occasione usus, ad Petrum simul una cum cœnobii coco et uno e Conversis Fratribus confestim excurrit. Quibus ad se venientibus beatus Pater, « Joachimum, ait, ejecerunt : cæterum nihil refert; » cuncta ex ordine scienter ac disposite explicans, perinde atque inibi præsens ipsemet adfuisset. Quæ res eo mirabilior visa, quod Petrus in-

teriori cubiculo clausus lectuloque affixus, tantum aberat ut e cellula immanes strepitus exaudiret, ut etiam ne posset quidem; præsertim cum in ea duntaxat ædium parte incalescerent rumores, quæ a Petro remotissima erat. Hoc ut primum Cœnobiarcha cæterique Patres, Fratribus illis referentibus, resciverunt, in admirationem mox rapiuntur; et incertas prætexentes causas, de Joachimi et Nicolai expulsione se se purgare conantur.

Dein brevi interjecto tempore, ad Columbinum apud Petrum demorantem denuo internuntii commeare cœperunt. Patres namque, dissentientibus videlicet eorum animis, iisque suspicionibus irritatis, pro suo quisque sensu diversi distrahebantur; sic prorsus, ut totum illum diem (quod malum ingens est suspicio, præsertim si scelerum affert reprehensionem) inquietum transigere viderentur. Denique accitus adest Columbinus; variis percontationibus viri animum pertentant. Ille vero, ratus id quod erat, invicta quadam mentis pertinacia velut in gradu perstans, stat animo; certum fixumque habens omnes prius exorbere difficultates, omnesque repulsas vorare, quam beatum Patrem in extrema vitæ linea positum et jam cum morte luctantem deserere.

Qua Columbini animi firmitate plerique eorum vehementius irritati, ancipiti cura in deliberando agitabantur. Demum urgente metu, adeo concitato impetu in eum invadunt, ut ei manibus illatis, ad monasterii januam per vim illum attrahere niterentur. Et ecce tibi fœdior momento quam antea rixa. Quæ plus plusque invalescens eousque processit, ut alii vesana contumacia perciti, per atrium concursare; alii ad arma conclamare; alii vero ad æs campanum, quasi ad classicum canendum advolare cœperint. Quod simul atque Columbinus animadvertit, populi concursum veritus, confestim monachorum manus potenter eluctatus, eo rem impeditum convolat et ipse.

Verum divinitus factum est ut, quemadmodum in Sacris Litteris habetur, palparent sicut cæci parietem et ambularent in meridie sicut in medio noctis: ita enim incerto vestigio huc illuc ferebantur, ut restim nolæ, etsi præter oculos illis erat, nunquam tamen compererint. Inter hæc, altera altercantium pars, ira metuque efferata, clamorem efferunt; instant, urgent Columbinum ædibus omnino exturbandum. At vero unus ex monachis fœdas contentiones conspicatus, simulque Columbini, haud sine Dei consilio, miseratus dignitatem, sequestrum honorarium se Patres inter et Columbinum posuit; partim ut ab eo esset, ne domo pelleretur, partim etiam, ut exulceratos Patrum in eum animos, qua posset lenitate, sedaret.

Nec sane frustra. Siquidem eodem monacho auctore, eodemque pariter comitatus Columbinus in cubiculum Petri inde denuo se recepit. Ubi illud admiratione simul et memoria dignum,

eo temporis momento accidit, quod beatus Pater ad monachum mox hilari conversus vultu, ita faustis precibus dicere cœpit : « Est, fili, cur tibi maximas gratias agam, tibique vel in primis acceptum referam, quod Columbinus apud nos maneat. Compenset itaque Dominus Jesus pro sua clementia hoc tuum benevolum erga nos studium. » Quæ sane ut idem Columbinus audivit, stetit attonito similis, quod nec Petrus monachum viderat, nec, longissime remotus cum esset, exaudire illum potuerat.

Nunc autem hæc mihi Patrum certamina atque contentiones apud animum meum reputanti in mentem venit, non sine quodam cœlestis Numinis nutu eos de Petri corpore tuendo tanto studio acerrimaque contentione decertasse, tum ut ejusdem Petri prænuntiationi responderet eventus, tum etiam quo liquidius longo post tempore, ut explicabimus in loco, de admirabili ejus innocentia atque corporis integritate constaret. Quæ clarius ut dein pateant, ad gloriosum B. Patris obitum enarrandum nunc calamum et orationem converto.

CAPITULUM VI.

PETRI OBITUS GLORIOSUS.

Monachorum dissidiis utcumque discussis, Petrus interim, quo magis supremum sibi tempus adesse sentiebat, quo e corporis custodia ad aliam quamdam vitam, æternis refertam et cumulatam bonis, perfruendam evolaret; eo ardentius in Deum per jucundissimam ejus bonitatis contemplationem ferebatur. Cum vero hoc ipso die, qui dies Veneris fuit, in secundam fere noctis horam, cum Columbino, Nicolao Vincento, et Eremita quodam cui Sancti nomen erat, sermonem de rebus divinis protraxisset, incredibili plane animi ardore atque dulcedine delibutus; repente divinitus factum est, ut tali tamque insolenti alacritate gestire cœperit tantoque gaudio efferri, quantum cujusvis mens et cogitatio vel capere unquam possit maximum, vel ratio quælibet explicare : sic nimirum, ut nihil imbecillitatis aut incommodi illi esse faterere, quoniam, uti deperditas vires momento recuperasset, e lectulo mira quadam spiritus exultatione surgere gestiebat venerabundus; et, ceu aliquem, sensum omnem oculorum effugientem, amplecti vellet, oculis, vultu, atque sermone Divinitatem nescio quam præ se ferre, perinde ut lætus atque hilaris cum tacito quodam cantu et voluptate hinc esset migraturus.

Hæc ut excubantes, Columbinus nempe, Nicolaus et Eremicola ille animadvertunt, contemplanturque simul beatum Patrem lumine divino circumdatum, nec non faciem ejus instar solis coruscantes emittere radios; præ ingenti dulcedine suavique spiritus voluptate mente pene emoti, vix se ipsos capere continereque poterant : quin et ipsi, per-

inde ac si divinitus aliquam cœlestis Numinis gratissimam speciem ante oculos haberent propositam, gaudio incredibili exilientes se invicem amplexarentur; et hinc inde per cubiculum exultantes, modo beatum Virum defixe intueri; modo vestigio hærentes, oculos ac mentem ad superna tollere; modo vero pansis manibus, suspensi quodammodo atque stupore defixi stare.

Diceres angustam et humilem Petri domunculam, divinam aulam factam; diceres cubiculum illud in cœlestem paradisum evasisse; diceres, inquam, præsentem inibi adesse Christum Jesum una cum innumerabili Spirituum cœlestium multitudine; atque eodem item purissimam atque Sanctissimam illius Matrem, Angelorum stipatam agminibus, adventasse; cæterosque Sanctorum Sanctarumque cœtus illi se se tripudiantes ostendisse, et ad sempiterna Paradisi gaudia illum vocasse. Nec conjectum plane aberrares, uti postea dicemus. Quippe justum sane ac pene debitum erat, ut Christus, omnium optimus Parens ac Servator generis humani, sua Beatorumque omnium præsentia recrearet ac cohonestaret, quem semper sibi dicto audientem fuisse intelligebat; quique semper, in vivis cum esset, integrum se castumque servavit, et in corpore hoc mortali vitam imitatus fuit Cœlestium.

Denique cum in hoc jucundissimo excessu ad tres totas horas Petrus perstitisset, mox veluti humana omnia fastidiret, cœlestibus jam animo præceptis atque adeo suavissime degustatis, oculos clausit silentiumque perpetuum tenuit. Tum qui aderant deprehendentes illum cum morte congressurum, cœnobii Patres statim vocari jubent; qui quidem vesperi nihil periculi suspicantes, in cellulam se quisque suam de more abdiderant. At cum supremam carissimo Fratri horam instare intelligerent, mœstissimi mox accurrunt, et lectulo ejus circumfusi, statas pro decedentibus precationes per vices decantant.

Interea in Columbino ac sociis mœror pietatis pariter lætitiæque fervor pugnabant, propterea quod amantissimum Patrem et præceptorem sibi aspicerent avelli. Sed exin vincebat eos nunc voluptatis et jucunditatis magnitudo, nunc dulcium lacrymarum effusio; et simul mixtim ad cœlum usque ingentis gaudii tollentes laudes, ad Petrum Christum Jesum accessisse, eumque vicissim ad eumdem Christum ovantem ac divinarum odore virtutum fragrantem transire non dubitabant.

Inter hæc, precibus illis rite ac sedulo peractis, confestim Petrus noster beatus, sine ullo horroris molestiæve signo, placidissime exhalavit animam; et, ut diu optarat, ad vitam evolavit perennem, intra horam noctis sextam, die Sabbato, quarto Kalendas Junii, anno post Christum natum millesimo trecentesimo sexagesimo primo.

CAPITULUM VII.

EJUS CORPUS SEPULTURÆ TRADITUR.

Interim Petri corpus rite curatum, atque monastico vestitu de more indutum, visum est Patribus ut quamprimum terræ mandaretur, ne Senarum per urbem ejus vulgata morte, populorum concursus, cum exequias cohonestandi, tum vero (quod proximum erat) sacras ejus Reliquias contingendi gratia, ad Cartusiam fierent; atque eo tum vel maxime loco se se rursus in apertum discrimen objicerent idipsum amittendi, pro quo tuendo atque conservando summa ope atque animorum concertatione dudum contenderant. Ergo ne per imprudentiam ejusmodi subirent aleam, id illis justa solventibus fuit curæ, nimirum ut quam occultissime ea prosequerentur, quæ ritu Catholico sua ab eis erga Petrum pietas exigebat.

Quibus peractis, sacrum Viri cadaver ad cœmeterium intra monasterii peristylium defertur, comitante ac feretrum prosequente Columbino una cum Nicolao et eremicola Sancte, qui spe delusi pretioso potiundi thesauro, in eam curam incubuere, ut, dum jucundissima sancti Viri in capulo jacentis specie se se in tempus pascebant, qua omnia quæ ex eo vitam vivente acceperant, qua pariter quæ oculis ipsimet hauserant, in pectus alte demitterent. Inter hæc in decretam jam scrobem sacrata illa gleba injicitur, ac desuper humum monachi congregantes tumulum ex more componunt.

CAPITULUM VIII.

DE NUBECULA QUÆ IN AERE SUB MORTIS EJUS TEMPUS, INSTAR COLUMNÆ EXIMIO CORUSCANTIS FULGORE, DIVINITUS APPARUIT.

Dum Maggiani Patres omni studio et arte curant, ne Petri mortis fama, Cartusianis egressa latebris, præceps tota volitet urbe, Deus interim, in quem nulla mortalium prævalent consilia, eo magis ac magis in dies Petri obitum explicatissimis argumentis patefaciebat: quo ipsemet, dum ageret in humanis, ad ultimas se semper ex solida humilitate dejecerat, seque cunctis ignotum atque adeo mundo penitus esse invisum summo studio conatuque laborabat; ut in eo, quod est in Sacris Litteris, expressum extaret aliquando: Humilem nempe spiritu gloria susceptum iri. At vero inter alia pervulgata signa atque illustria testimonia, quæ beatum Virum ad cœlestia regna evolasse divinitus indicarunt, illud omnium evidentissimum, quod in aere sub illius mortem apparuit, apud complures fuisse constat, quodque hoc loco cum primis visum est appingere.

Jam auditione acceperant sacratæ Deo feminæ, e nobili divæ Marthæ cœnobio, Petri nostri ægritudinem, atque ex ea illius salutem ita in angusto positam, ut de illo jam actum esse conclamaretur. Ea de re igitur miserunt qui

suorum nomine illi declararet, efficeret utique pro sua in eas benevolentia, ut in suæ mortis tempore signum aliquod haberent, quo ad cœlestem beatitudinem eum nossent ascendisse : idque potissimum soror ejus amitina, quæ, uti supra diximus, in id cœnobium Petri hortatu ingressa Deo se manciparat, per certum nuntium, qui inter spiritales beati Viri alumnos præcipuus habebatur, indicavit. Cui mox Petrus per eumdem hominem hæc illi renuntiari jussit : « Dic ei, fili, ut humilem se perpetuo exhibeat, humilitatisque virtuti maxime studeat, et omnia exin a Christo Domino consequetur ad votum quæ petierit. »

Cæterum divinitus factum est, ut eo momento quo Petrus spiritum exhalavit, cum aliquæ Deo dicatæ virgines in divæ Petronillæ gynæceo, tum alii aliis in locis egregia pietate viri, tum speciatim hujus divæ Marthæ cœnobii moniales, ingentem splendorem, longe lateque omnia circumquaque, veluti diurnam lucem, nudantem intuerentur ; et ignem fortuitu prope cœnobium excitatum suspicatæ, metu perculsæ opem exposcerent. Sed præ cæteras Abbatissa, flammarum contagia verita, præpropera desperatione ad domunculam cœnobio contiguam sacerdotis, qui eis erat a sacello, convolat, hominem pulsu excitatura, suppetias periclitantibus ut ferret, propterea quod a posteriori parte cœnobii ignis vagari credebatur ; eique mox somno experrecto, « Circumspice, ait, quæso te, Pater, quam flammæ impune grassentur. E porticu namque magnum conspicimus lumen, et undenam initium ducat nescimus. »

Interea Sororculæ pavore propemodum exangues (ut est natura sexus meticulosus) aliæ fugam circumspicere ; aliæ humana pariter divinaque implorare auxilia ; aliæ sarcinulis jam onustæ propeque palatæ viciniam cogitare ; aliæ vero, dum curiosis monasterii loca perlustrant oculis, comperto splendorem illum ex ignea nubecula, in modum columnæ sublime elata, cœlitus emicare, ad cæteras moniales virgines perquam serena fronte conversæ, « Adeste inquiunt, animis Sorores : nostram quippe fidem haud fefellit Petrus. En in cœlum gloria circumdatus tollitur ; modo defunctus est ; modo animam exhalavit ; atque isthuc signum est nobis illius obitum expetitum. »

Hæc ut audiunt illæ, oculisque jam columnam paulatim ad sidera tolli, ac undique splendere ipsæmet capiunt ; vix sui præ gaudio compotes, manus supplices levant ; et in genua procumbentes, Angelicum hymnum *Gloria in excelsis Deo* consono clamore decantant : profunda quadam contemplatione raptæ, dum cœlestem columnam sine fine defixis oculis, modo se aperientem, modo claudentem, et eximio gratoque candore intrinsecus refulgentem, aspiciunt.

CAPITULUM IX.

ALIA SIGNA MIRANDA DE PETRI IN CŒLO BEATITUDINE.

Jam quando in hoc sacro gynæceo divæ Marthæ sumus, libet paulo diutius intra ejus fines immorari, cum id ipsum a beato Patre nostro, dum hujus cœli luce perfrueretur, non mediocriter amatum esse ob insignem illius sanctimoniam, haud ambiguum habeam. Hic ergo monialis quædam fuit, pietatis laude mirifice abundans; quæ cum eadem nocte, qua Petrus mortem obiit, igneæ columnæ visione perspecta, dormitum a Matutina precatione abiisset, amica subinde voce evocari se sensit: « Surge, inquit, nominatim illam inclamans, Petrus etenim in cœlum migravit. Ergo a Christo Domino quidlibet jam tibi petere licet; haud dubie præclaris beati Viri meritis consecutura quidquid ex voluntate poposceris. Scias enim velim, illum alterius instar Gregorii Magni apud Deum esse. » Nec in irritum ejusmodi evigilatio recidit : quippe continuo sacra femina somno soluta, quidquid gratiæ olim exoptarat flexis humi genibus petiit, atque id se impetrasse palam professa est.

Cum in hoc eodem cœnobio eadem monialis, de qua modo diximus, una cum alia Deo sacrata virgine, quæ magna religione erga Petrum ferebatur, ad multam noctem vigilias traheret; atque de Petri virtutibus et sanctitate, itemque de præclara testificatione illius in Cœlo beatitudinis sibi divinitus facta, gratiaque mox per ejus merita impetrata, magno cum sensu pietatis colloqueretur ; incredibili ejus religiosa Soror, hæc illa referente, mœrore afficiebatur; propterea quod Petrus, antequam supremum diem expleret, nihil sibi præcipue dederat in mandatis, neque de re aliqua eam docuisset : quapropter ex illius præscripto pie sancteque vitam traduceret ; et lacrymarum plena conquerebatur se neglectam ab eo despectamque fuisse, hæc et alia secum expostulans : « Sane misit (Petrum dicit) cæteris Sororibus nostris, eisque mandavit, quid eas facere exequique placuit; mihi autem ne verbulum quidem. »

Quæ cum altera exaudiret, e tristissimæ consodalis virginis animo mœrorem omnem abstergere, eamque familiari blandaque oratione alloqui nitebatur; magnam in spem illam erigens fore, modo in Petri fidem ac tutelam se recipiat, ut optata ad votum impetret. Sed ubi parum aut nihil hisce verbis se proficere animadvertit, quod illa pias has querimonias nullis rationibus mitteret, ad scribendum protinus adjecit animum; uti per epistolam certior fieret de Petri obitu, simulque aliquid certum sciret, num eo ipso temporis momento, quo divinitus se nocte præterita nomine appellari persenserat, beatus ipse Pater Cœlestium in patriam abiisset.

Interim rebus ita constitutis, sodalis illa virgo, dolore prope exanimata, multaque fatigata vigilia, cubitum dis-

cessit. Vix somnus eam complexus fuerat, cum repente magnos sibi strepitus audire est visa, perinde atque ingens hominum vis juxta eam transiret; et a Petro se inclamari atque per hunc modum ad pietatem erudiri intellexit: « Scisne quid agere te velim? Utique plantes in cellulam arborem quamdam, cui Pauperculo est nomen. Ex ea enim uberes et apprime generosos capies fructus, sanctissima nempe Christi Servatoris nostri vestigia per paupertatis virtutem sectando : rata nimirum fore, ut magnam inde tum animi tum corporis pacem et tranquillitatem capias.» Quare ex hisce satis superque virgo isthæc religiosa intellexit, paupertatem vel maxime sibi excolendam esse; atque dein totam rei seriem confestim sociæ virgini, quæ paulo ante ad scribendum se dederat, ex fide retulit lætabunda : quoniam quidem per eam solidiorem conjecturam consequebatur, præter ea quæ oculis ipsæ ante perceperant, Petrum defunctum esse, et ad Cœlorum regna conscendisse Beatum.

Sed hinc jam abire licebit, etsi alia his prope similia, quæ in hoc ipso cœnobio divinitus contigerunt, ad cœlestem Petri felicitatem declarandam, ne longiores simus, consulto silentio involvimus.

CAPITULUM X.

PETRUS VITA FUNCTUS MULTIS SE SE VISENDUM PRÆBET.

Dederat Petrus noster beatus Joachimo suo inter alia, quemadmodum supra demonstratum est, singulariter in mandatis, ut ad Franciscum Pisanum, virum gravissimum qui eo ipso tempore quo Petrus ad Superos evolavit, Senis Juri dicundo præerat, se se conferret; uti nescio quid dubitationis in re maxime momenti, pro qua dies noctesque vehementer angebatur, illi mox explicaret. Quod simul atque Franciscus audivit, seque divinitus ea molestia levatum sensit, stupore simul et lætitia uno eodemque tempore efficitur; eoque magis quod satis constanter affirmabat, nullum idipsum hominum præter Deum cognitum unquam habuisse.

Et ut miraculum miraculo adderetur, narravit ille, paucis ante diebus, secundum quietem sibi nocte intempesta quemdam monachum adstitisse, niveis vestibus amictum : qui cum ad tres ferme horas secum variis de rebus ad animæ salutem facientibus esset locutus, hæc inter alia ad extremum sibi denuntiari audivit : « Bonum fac habeas animum ; non longe enim aberit quin e gravissima isthac hæsitatione emergas.» Quibus dictis, monachus ille sublimis abiit. Haud vanum visum fuisse, per eumdem fidelem internuntium Joachimum, res ipsa comprobavit. Porro beatum Patrem nostrum, cucullatum illum

extitisse quis ambigat? Næ idem Franciscus hoc compertissimum habuit, licet nec Petrus illum, nec ille Petrum de facie atque consuetudine unquam noverat.

Et quoniam de ipsius Joachimi parente, spectatæ virtutis ac religionis matrona, pauca prout se dedit occasio supra perstrinximus; non ab re, opinor, erit hoc loco explicare quæ de ea spopondimus : quandoquidem multiplex inde bonum haurire licebit, partim ad ipsius feminæ beatitudinem declarandam, partim ut et nos indicemus egregie sibi Petrum constitisse, ubi de hac probatissima femina sermonem intulit; partim etiam, ut ejusdem Petri cœlestem felicitatem patefaciamus, præclaro videlicet ac prope divino hujus mulieris testimonio. Rem paucis expedio, cum ad finem properet nostra lucubratio.

Quinquaginta forte dies effluxerant a Petri obitu, cum hac religiosa matrona, die quodam, qui dies Saturni fuit, una cum aliis feminis in ostio domus suæ pomeridianis horis ad remittendos animos considente, puella quædam, tres circiter annos nata, quam, amici cujusdam sibi ac Joachimo carissimi filiam, unice dilexerat domique alebat, e superiori ædium cubiculo descendens, puellari festinatione anxia, « Quæso, Domina, dicere cœpit, propere cubiculum scande : in eo enim Sanctissimam Dei Matrem ac Virginem, filiolum Jesum sinu foventem aspexi ; eamque mihi denuntiantem audivi, nos una propediem repente morbo oppressas e vita cessuras ; et me meos idcirco parentes misere deploraturos. » Hæc ut auribus ipsæ percipiunt, primum subridere cœperunt, quasi unius puellæ verba cavillatæ : tum paulisper retrusam, quod anhelanti ore importunius urgebat, neglexerunt. Verum constitit dicto fides.

Secunda namque feria insequentis hebdomadis ambæ gravem in morbum inciderunt, ambæque simul vitam cum morte commutarunt. At grandis natu femina, ubi primum divinitus agnovit ex hac luce se migraturam, omnes ad eam diem contractas animi sordes, exiguas licet, per sacram Confessionem eluere curavit. Quo factum est, ut novo cœlestis gaudii rore perfusa, ex divinarum rerum singulari quadam luce, sibi Dei munere interius oblata, læta tandem in extrema pene lucta, verbis et signis, se Deiparæ Virginis augustissima in specie sibi apparentis promeruisse frui colloquio, præ se tulerit. Quo viso mirifice mulier recreata, testata quoque est, adstitisse sibi clarissimo radiantem lumine Petrum nostrum, qui quidem eo ipso die sub noctem ad eam iterum, antequam spiritum exhalaret, ut illi bene precaretur, se rediturum receperat. Itaque cœlesti spe plena, cœlestia simul petivit regna, regnatura per sæcula.

Sed ne nimis in signis et visis enarrandis nostra in longum vagetur oratio, Columbinus veniat postremo; cui postremum locum attribuimus, cum ob

ejus auctoritatem quæ gravissima est, tum etiam quod quæ in conspectum nunc ponere est visum, ea per se sola divinis hisce Petri visis confirmandis sufficere putamus, etiamsi nihil præterea in idipsum adhuc esset allatum. Is enim, quanquam fictam personam inducit narrantem, quæ sibi divinitus obvenisse certo nobis persuademus, summa videlicet ope contendens (qua erat humilitate), ut rem quisque alii cuivis, potius quam sibi, contigisse credat : frustra tamen nititur, se suumque nomen suppressum tacitumque præterire. Nam quo magis oculere contendit, eo clarius ex ejus ore erumpit, illo non sentiente, sed Domino permittente ; ut illustri tanti viri testificatione gloriam servi sui Petri palam faceret. Sic enim factum scriptis prodidit :

« In Christi Domini veritate (hæc sunt ejusdem Columbini verba, licet patrio conscripta sermone) vobis affirmanter asserimus, sanctum hunc virum Petrum per visum quamplurimis occurrisse, atque de sui manifestatione perquam clara et illustria dedisse signa; quin præter alia atque subinde alia de se ipso visa miranda, sæpe sæpius se se obtulit visendum, cui Dominus hoc voluit ; palam de die, de nocte se perspicue dilucideque manifestans ; atque ab intimis ejus sensibus, cui apparuit, omnem hæsitationem depellens, per extrinseca scilicet et aperta symbola, quæ plane in præsens patefacere nefas omnino ducimus. Cæterum cum ea mortales noverint, noverint profecto, quem ipse Pater beatus apud Deum obtineat locum.

« At inter cætera quæ in ejusmodi sui apparitione Petrus indicavit, talia fuere. Quod cum sub mortis suæ tempus insolentem eam alacritatem ostendit, atque in aere nubecula illa divino collustrata lumine instar columnæ apparuit; tunc vel maxime temporis Cœlites perspexerit, qui ad ejus animam e corpore migrantem accipiendam et in Cœlum deducendam accesserant. Quin, ut scit Deus (subdit Columbinus) dum Pater hic beatus cum quodam viro multam de summa ardentique Dei charitate deque sancto ipsius adventu orationem haberet, clara subito ad aures accidit vox hæc divinitus intonans verba : O beatam urbem, quæ tantum Virum tulit ! Beatam plane, si nossent munera gratiamque illis præstitam ; ac beatum pariter, qui hunc meum dilectum pietate et veneratione complexus fuerit, inque ejus patrocinium tutelamque confugerit, cum majorem in dies pacem atque animi solatium sit reperturus. » Hæc Columbinus.

Quæ cum ita sint, mirandum non est, tot antiquitus atque deinceps annis insequentibus, Petri nostri Cartusiani varias in locis urbis variis fuisse depictas imagines ; cum illius effigiem passim sub obscuro monochromate in pariete, modo in templis, modo in porticibus ; nunc in iconibus ac vexillis eleganti colorum varietate, atque egregio pro

tempore perfectam opere, et ad similitudinem effectam aspiciamus; nunc in ipsis civitatis quadriviis, ac publicis mœnium portis; nunc in Aula, quam Dominorum appellant, ob oculos positam intueamur; perinde quasi non filium tantum, sed patrem simul et patronum, decus, præsidium et ornamentum suum universa Senarum civitas Petrum fateatur. Sed quid dico, Senensis civitas? quando ipsum Cœlum, beatum Virum lumen suum et ornamentum prædicat: cum jam ab ipso immortali Deo beatitudinis et immortalitatis apud nos testimonium illi tributum fuerit.

Ipse igitur non aliter atque in pictura Petri nostri facta præclara per commemorationem in medium adduxi, palamque ad omnium utilitatem constitui; quanquam inopiæ ac tenuitatis ingenii mei optime conscius: fretus tamen Dei clementia cujus Majestatem et Numen in Sanctis veneramur, et cujus immensam amplitudinem illorum vita, mors, et gloria maxime ostendit. « Nam magnifica in bellis, inquit Basilius ille Magnus, et oratores sæpenumero et pictores pulcherrime demonstrant: hi oratione, illi tabulis describentes atque ornantes; amboque plures ad fortitudinem imitandam inducentes. Quæ enim sermo historiæ per inductionem præbet, eadem et pictura tacens per imitationem ostendit. »

Habebit itaque Senarum urbs ex hac nostra lucubratione illius res gestas ad imitandum expositas, quem iconicum ducentos quinquaginta et eo plus annos veneratur in templis. Habebit et Ordo Cartusiensis noster universus, unde tanti filii sui gaudeat sanctitate: qui tanquam præclarum sidus tot divinarum radiis virtutum insigniter effulsit, magnumque illi nomen et gloriam peperit. Habebunt quoque exteræ Provinciæ, Cartusianam familiam sinu suo atque complexu foventes, illustre sane testimonium, quo intelligant Italiam minime ejusdem familiæ caruisse viris sanctimonia cum primis præcellentibus.

Namque uti Stephanum Maconum Senensem, sanctissimæ virgini Catharinæ Senensi eximie carum atque ab epistolis, tum vero Cartusiæ Pontinianæ alumnum, dein Cartusiæ Ticinensis Cœnobiarcham, virum summa sanctimonia præditum; Bartholomæum Ravennatem, Cartusiæ quondam Gorgoniæ Præfectum; Joannem, Cartusiæ Vallis gratiosæ in agro Pisano Præsidentem, quem eadem virgo Catharina Senensis, divino perfusa lumine, virum Deo summe carum agnovit, sanctissimeque prædicavit, et quoad vixit singulari veneratione prosecuta est; et alios deinceps, quorum res gestæ, nescio cujus incuria in situ et tenebris jacent adhuc, silentio ipse involvam: Petri nostri vicarium, Joachimum nempe in suo versantem munere, adeundum censeo: quoniam hac potissimum ratione fidem meam, quoad ejus fieri poterit, curabo peregregie.

CAPITULUM XI.

JOANNES BOCCACIUS FLORENTINUS PETRI JUSSU ATQUE PRÆSCRIPTO LAUDABILIOREM VIVENDI DISCIPLINAM AMPLECTITUR.

Qui Joachimus hoc interim spatio de Petri obitu, deque iis quæ in eo divinitus contigerant, a Columbino et sociis certior factus, eo magis propositum suscepti muneris prosequendi mordicus tuebatur, quod Deus mirandis visis et prodigiis testem se se illius sanctitatis apud mortales subinde præbebat. Ergo cum sibi majores in dies spiritus et animos, ad ea quæ reliqua illi erant Petri mandata ex composito curanda sumeret, Senis ingenti lætitia gaudioque perfusus proficiscitur, et Florentiam versus iter arripuit. Quo simul atque pervenit, inter alios Joannem Boccacium, virum litterarum sane studiosum atque tunc temporis Hetruscæ eloquentiæ facile principem, adiit, eumque benevolentia comprehensum, gravi oratione remotis arbitris appellat.

Primum se Joachimus dicit viri Dei Petri Senensis jussu illum convenire; quem licet viventem de facie nunquam noverit, ipse tamen beato Viro, divino id agente consilio, optime cognitus. Deinde ejusdem sancti Viri vitam, virtutibus et sanctimonia insignem demonstrat : quæ mox ille, dum in immensæ Divinitatis illam abyssum absorberetur, in rem ipsius perspexerit; quæque Christo Domino demonstrante præviderit, exponit. Quod secum Vir beatus, illius vitæ statum per abrupta vitiorum aberrantis miseratus, dum erat in humanis, eum per se orare atque obsecrare, ut quanto in discrimine æternæ damnationis versetur, etiam atque etiam videat, et mores in melius commutet.

Ad hæc luxum cæcosque simul errores, in quibus misere ad eam diem jacuerat, ad amatoria studia incumbendo, detegit; indicatque pariter, quas peccandi occasiones mortalibus obtulerit, suis videlicet vulgatis elucubrationibus, majoresque allaturum in dies, ni tale consilium mentemque abjiciat scribendi. Quoniam ea ingenii præstantia, divino illi præstita munere in Dei gloriam Sanctorumque, abusus ; eam dicendi vim et copiam, quam ejusmodi ingenii præsidio adeptus erat, in proximorum perniciem adhuc retinebat; atque adeo in obsequium Satanæ, hoc est ad inanem gloriam colligendam honoresque captandos potius, quam in Dei servitium ejusque propagandam gloriam, in apertum suis proferendis vigiliis impendebat : quæ quidem lucubrationes nihil aliud agunt, nisi ut bonos depravent mores, ex quibus recta castaque vivendi ratio pendet.

Proinde secum intenta cura perpendat, malitne se ipsum perdere, ut deploratæ vitæ hominibus arrideat, quam honestatis et virtutis studia sectando, iisdem ipsis adversari ; « Quin etiam vide, quæso te, Joannes (adjecit Joachimus), quid præmii laudisve ad cœlestem felicitatem comparandam apud Deum

consequi te posse putas; cum te ipsum hostem pudicitiæ, laxamentum luxuriæ et libidinis palam constituis; et quæ adhuc scripta edidisti, instrumenta perinde diaboli sint, ad instruendas et alliciendas in venerem animas. Verendum mihi interdum arbitror, ne divinæ Justitiæ gladius in te sit intentus, quandoquidem tuis ipse litterarum Monumentis honestati bellum indicis; dum intemperantiam et lasciviam, dum turpitudinem et flagitiosam illam tuam verborum licentiam, ad risum concitandum, vel mentes animosque, ut dicis, exhilarandos ante oculos proponis; atque uno eodemque tempore in te moribus et verbis effingis.

« Num te præterit, aliorum scelera vel flagitia, cum ante hominum oculos constituuntur, etiamsi non ignoremus esse peccata, validissimam tamen vim habere ad audientes etiam corrumpendos? vel quod eo minus jam malum videri incipit, quod plurimorum consuetudine jam vulgarius et quasi fit familiarius; vel quod hoc etiam sit mortalium ingenium, ut sui quisque similes summa voluntate atque voluptate sequatur. Verum ut ut est in re hujusmodi, illud apud omnes constat: nullum fere acriorem stimulum ad peccandum esse, quam pravum exemplum. Te igitur, qui verbis, scriptis simul et moribus, turpitudinis et lasciviæ cæteris exemplum præbes, quæ mala sempiternaque supplicia, ni ad meliorem frugem te receperis, maneant, perpendas velim. Non parcam, Joannes, auribus tuis, nec illis unquam serviam, uti tuæ saluti consulam; idque magis, quod hæc non utique ego, sed per me Petrus, dum hanc cœli lucem aspiceret, tibi inculcari jussit.

« Quocirca ejusdem beati Viri verbis rogo, hortor, denuntio, ut vitam, quam nunc agis offensionum plenam, deponas; ut poetica studia abjicias; et exitialem poeticen illam detestatus, quæ tibi hactenus fuit impedimento, quominus (ut abs te officii ratio pietasque Christiana exigebat) veræ virtutis cultorem te cunctis exhiberes, honestiorem vel tandem aliquando tuorum studiorum, morumve disciplinam ineas. Quæ omnia si persequi detrectaveris, exploratissimum habeas, ex ejusdem beati Viri prædicto, non longe abfore quin tuæ proterviæ pœnas persolvas; et propinquiori quam animo conceperis interitu, profana studia tua simul et animam finias.

« Valeat igitur, Joannes, apud te tanti Viri præcipientis auctoritas, cujus eximiam sanctitatem Deus ipse miraculis et signis firmavit. Valeant multorum nobiliumque præsertim virorum exempla, qui Senis ipsius beati Viri monita atque præceptiones, me tradente, amplexati, uberiores in dies sui obsequii capiunt fructus; et æquitatis religionisque studia sectantes, majores quoque officii referunt laudes. Quod secus, immo vero etiam pessime aliis evenisse, qui salutaribus sancti Viri parere mandatis neglexerunt, certum habeo; perinde ut non illius plena honestatis consilia, sed ipsum

cœleste Numen aspernatos fuisse, certo constaret. Valeat denique tuæ salutis ratio, cui si ad veritatis oblatam tibi divinitus lucem, pietatis Christianæ facem prætuleris; non dubito quin Deus tibi omnibus in rebus sit affuturus. »

Hæc Joachimus : quæ sane poterant per se hominem, ingenuarum artium præsidiis apprime instructum, promovere. Sed nihil æque Boccacii animum perculsum reddidit, quam quæ ab ipso Joachimo sibi audivit clam fuisse detecta : sibi videlicet omnia sui pectoris arcana mentisque latebras reseratas, quorum neminem mortalium præter Deum conscium esse, Boccacius ipse assereret. Hæc enim erant, quæ Joachimo, uti supra dictum est, quemlibet ex mandato Petri adeunti, fidem continuo et auctoritatem conciliabant.

Ergo cum primum Boccacius sui animi sensa nudata animadvertit, obstupuit vehementer ; et ingenti pavore metuque concussus, religione maxime perurgente, prioris vitæ peccata gemebundus agnoscere est visus ; et cum apud se statueret et peccatorum cœno emergere, et ad sanitatem officiumque redire; tum etiam omnia poeticæ studia deserere, omnemque librorum suppellectilem divendere, animum induxit. In quam deliberationem ingressus, Franciscum Petrarcham, Patavii tunc temporis commorantem, quem præceptorem suum venerandissimum et patrem appellare consueverat, tota de re per litteras certiorem facere voluit.

Quem virum gravissimum, alterum nempe Hetrusci sermonis lumen, quin potius reflorescentis ea maxime tempestate Latinitatis Auctorem non ignobilem, in hanc sententiam illi rescripsisse scimus : « Magnis me monstris implevit, frater, epistola tua, quam dum legerem, stupor ingens cum ingenti mœrore certabat : uterque abiit, dum legissem. Quibus enim oculis nisi humentibus, tuarum lacrymarum tuique tam vicini obitus mentionem legere potui, rerum nescius omnino solisque inhians verbis ? Ubi demum in rem ipsam internos flexi oculos defixique, mutatus illico animi status, et stuporem seposuit et mœrorem. » Jam primum quod erat in ipsa litterarum fronte prætereo.

Et paulo post. « His omissis ad id venio, quo me adeo prima lectione concussum dixi. Scribis, nescio quem Petrum, Senensem patria, religione insigni et miraculis insuper clarum Virum, nuper obeuntem, multa de multis, inter quos de utroque nostrum aliqua, prævidisse, idque tibi per quemdam, cui hoc ille commiserat, nuntiatum. Ex quo exactius dum quæreres, quemadmodum sanctus ille Vir nobis incognitus nos novisset, sic responsum : fuisse illi propositum, ut intelligi datur, pium aliquod agere ; quod cum implere, denuntiata sibi, ut auguror, morte, non posset, orasse Deum efficaci et ad cœlum perventura prece, rebus idoneos vicarios designaret, quibus negatum sibi cœpti seu destinati operis exitum divinitus largiretur.

« Cumque familiaritate illa, quæ Deum inter justique animam est, se intelligeret exauditum, ne quid in re dubii foret, Christum ipsum habuisse præsentem, cujus in vultu omnia cognovisset, *quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura trahantur :* non ut apud Maronem Protheus, sed plenius multoque perfectius ac clarius. Nam quid, oro, non videat, illum videns, per quem omnia facta sunt? Illum oculis vidisse mortalibus, magna res, fateor, si vera : usitatum enim et vetustum est, plenumque mendaciis fictisque sermonibus velum religionis sanctimoniæque prætendere, ut humanam fraudem tegat Divinitatis opinio : de quo in præsens non pronuntio, cum ad me defuncti nuntius illius nondum pervenerit.

« Quem ad te primum, quod esses forte vicinior; expositisque mandatis, mox Neapoli ; inde mari in Galliam atque in Britanniam perrexisse significas; novissime me visurum, et mihi utilem mandatorum partem ex ordine prolaturum. Tum demum quantum apud me sit fidei reperturus, videro. Ætas hominis, frons, oculi, mores habitus, motus, incessus, sessio, vox ipsa et oratio, et super omnia conclusionis effectus, ac loquentis intentio, ad consilium vocabuntur. Nunc quantum ex tibi dictis elicio, nos duos aliosque nonnullos ex hac vita decedens ille Vir sanctus vidit, ad quos quædam secretiora committeret huic suæ hujusmodi ultimæ voluntatis executori, industrio, ut tu existimas, ac fideli. Hæc, ni fallor, historiæ summa est. Cæterum quid ex hoc alii audierint, in dubio est. Tu, quod ad statum tuum attinet, duo hæc (nam cætera supprimis) audisti : vitæ tuæ terminum instare, hoc primum ; tibi præterea poeticæ studium interdici, hoc secundum ultimumque. Hinc illa consternatio, mœrorque ille tuus, quem legendo meum feci, meditandoque deposui. Et tu, si mihi aurem, immo si tibi, si rationi insitæ animum præstas, abjicies ; et videbis inde te doluisse, unde potius sit gaudendum. »

Hactenus ex Petrarchæ litteris; quæ quoniam extant satis prolixæ, non est cur singula in præsens consecter : in quibus totus est vir sapientissimus, non modo, ut Joannes in proposito susceptoque consilio de mutanda vitæ ratione permaneat ; sed etiam omnem lapidem movet, ut a mortis metu illum abducat ; ea in re opportuna cum ethnicorum exemplorum, tum divinorum oraculorum auctoritate usus. Nobis vero illarum tantum partem hic inserere visum est, quam ad rem nostram facere existimavimus.

CAPITULUM XII.

UT SACRUM PETRI CORPUS SEXAGINTA JAM ANNIS AB EJUS INTERITU INTEGRUM INCORRUPTUMQUE INVENTUM ATQUE ALIO TRANSLATUM FUIT.

Hactenus expositis quæ de beato Patre nostro Petro ex vetustissimis Litteris, probatisque Auctoribus excerpsi, operæ

pretium me facturum reor, si ea quoque Historiæ meæ, tanquam illius condimentum, ut verbo divi Basilii utar, intexuero, quæ a majoribus nostris nobis quasi per manus tradita sunt, quæque firmissimis etiam nunc animis retinemus : quandoquidem hæc ipsemet, ut primum ad Florentinam Cartusiam candidatus petitor accessi, atque dein cucullatus in ea sum effectus, a duobus Patribus Ordinis, ibi tum degentibus exacta ætate patriaque Senensibus, accepi. Quorum alter, cum adhuc hæc eadem me scribente superstes esset, septem et octoginta annos natus, autographis iisque recentissimis litteris ingenue asseveranterque mihi astruere non dubitat, quæ ille jam inde a prima adolescentia e priscorum Patrum firma certaque auditione didicerat, quæque vel scriptis mandata nunquam se vidisse aut legisse affirmat. Nec sane mirum.

Maggianum enim id cœnobium, bellorum olim incendiis et agri vastationibus obnoxium cum esset, utpote urbi proximum, ejus Patres nonnunquam militi diripiendum vastandumque relinquere cogebantur, uti se se diris ex belli faucibus hostiumque pariter decursionibus eriperent : ne quidquam in præsens ex illis attingam, quæ superioribus annis nostrorum videlicet Patrum memoria sustulit, dum urbs obsidione cingebatur. Nam cum sedem in eo ipse Cæsarei belli Imperator fixisset ; ea damna atque incommoda certum est nunc temporis cœnobium fecisse, omnibus in eo militari clamore obstrepentibus, ut, licet illius ædificiis visa sit pepercisse effrenata militum licentia, non tamen improba illorum cupiditas temperare sibi potuerit, quin temeratis manibus ecclesiasticum instrumentum cæteramque domesticam suppellectilem violaret, atque insolenter admodum diriperet, sordida impellente lixarum colluvie, vilissimis inhiante lucellis.

In qua direptione deperiisse pervetustos codices, commentarios atque alia rerum gestarum Monumenta, quæ tanto labore et studio lucubrari atque colligi solent, haud ambiguum habemus in tam recenti, ut dixi, Patrum memoria : quod ex ea lacrymabili jactura tabulæ tantum aliquot ad hanc diem Domi custodiuntur, studio atque opera quorumdam in posterum longe prospicientium, e dissoluta militum consuetudine sublatæ. Ergo miretur nemo tanta de re, quam hoc loco conscribendam suscepi, nihil ad id tempus litterarum Monumentis consignatum extare, quando ne ratio sacri quidem apparatus tunc habita fuerit. At vero, utcumque se se habeat res, ex hominum memoria deleri non potest, poteritque nunquam sempiterni Numinis id agente consilio; quæ, ut constans tenet fama, id habuit initium.

Sexagesimus jam agebatur annus a Petri morte, cum Deus ejusdem Petri sanctitatem clarissimis signis et miraculis ad ejus tumulum in dies magis ac magis illustrabat. Quibus quidem signis

adeo Senensis populus pristinam suam erga beatum Patrem fidem et religionem retinebat, ut cum cives tum exteri Maggianam Cartusiam, studio sancti Viri invisendi sepulchrum, frequentissimi peterent : suæ inde pietatis et fidei illustria reportantes testimonia, qua ad animi, qua pariter ad corporis incolumitatem consequendam.

Cumque res nullo impedimento e sententia flueret, maxime propter urbis propinquitatem, eo illorum temporum cœnobii Patres devenerunt, ut secum ipsi identidem reputantes animo, frequenti revera ad eos populorum accessu spiritalem suam interturbari quietem, adversum maxime Ordinis sui spiritum, cogitare cœperunt de Petri exuviis alio transferendis : cum aliam tum rationem inire se non posse animadverterent, quare, salva cœnobii existimatione, tanta hominum frequentia ab continuato tot annis instituto abduceretur.

Ergo in unum convenientes statuunt rem omnino gerendam esse. Eo proinde cum in peristylii cœmeterio sacris beati Viri exhumandis reliquiis clanculum adhibiti essent fossores, ne quid indicii foras manaret; factum est, ut dum opus urgent pertinaciter, unus ex illis inter effodiendum alterum sancti Viri crus ligone percusserit. Quo nihilominus æquali cura cœptum prosequente, paulatim demum egesta terra, totum se se sacrum cadaver in conspectum dedit, non modo omnibus (mirum dictu !) integrum membris, perinde atque sepulturæ traditum tunc primum fuisset; sed (quod longe mirabilius extitit) simul atque per subducta illius adhuc integra vestimenta, inspiciunt ex percusso crure cruoris purpurei manare rivulos, magis ac magis in admirationem rapti, Miraculum, Miraculumque inclamant, et in Dei mox præconia laudum prorumpunt, rem insignis prodigii loco habentes : corpus videlicet spiritu tot annos destitutum, incorruptum et a nativo splendore parum dissimile inveniri ; quando ne telluris quidem uligo, cujus est mephitim exhalare, tot longa annorum serie, sacrum illum thesaurum ipsa obrutum humo ulla ex parte corrumpere aut labefactare potuerit. Honorificum plane Dei munus, quis neget? Quod sane defuncti beati Patris claram atque illustrem integritatem arguit.

Cumque tanti miraculi fama in urbem irrumperet, factum est, ut turmatim cives ac populares ad Cartusiam, multo frequentiores quam antea, confestim affluerent, quo corporeis oculis eum agnoscerent exhumatum, quem sepultum ingenti cum veneratione diu fuerant prosecuti ; scilicet læti suam erga beatum Virum animi religionem divino prorsus testimonio propalam comprobari. Neque propterea tum monachis integrum fuit confluentium multitudinem quavis ratione coercere. Ad venerabile cadaver ubi ventum est, alii illud exosculari, alii precarios globulos applicare, alii frusta vestimentorum

pietatis ergo discindere, alii alia ratione illud venerabundi contingere.

Hæc dum agitantur, tantæ rei excitus rumore vir sanctissimus Bernardinus Senensis (is qui, uti initio diximus, Franciscanam labentem familiam erexit, et ad veterem sui Instituti severitatem et disciplinam revocandam adduxit), ad Maggianam Cartusiam convolat continuo, ejus videndi gratia, de quo præclara jam inde suos inter sodales Societatis Beatæ Mariæ Virginis adolescentulus inaudierat. Quo ut advenit, in defuncti corporis ruens amplexus, pia virgineis carnibus figere oscula; nec inde se prius extulit, quam dulces in lacrymas effusus, egregiam de beato Viro ad circumfusam multitudinem laudationem habuit.

Inter hæc, veteribus miraculis nova adduntur : quod ad sancti Viri cadaver, cæcis visus restituitur; elephantiaci mundantur ; capti auribus integrum recuperant auditum; claudi gressum accipiunt; quamplures insanabili morborum genere labefactati, commodam valetudinem assequuntur; et alia id genus mirabilia, ad confirmandam Petri sanctitatem, vi Divina patrantur.

Quibus de causis monachi et qui vel in primis eis tum præerat, majores quam antea in angustias conjecti, mire æstuabant animo. Denique divino præsidio opus esse rati in præsentia, ne quid hominum concursu in rem monasticam detrimenti Domus acciperet, neu tumultu aliquo consulto concitato sacrum thesaurum amitterent; idem ipse cœnobii Pater, una cum reliquo monachorum cœtu ad defuncti corpus accedens, hæc verba fide plenus affatus est : « Te precor, atque adeo tibi, Pater beatissime, jubeo, ejus videlicet sanctæ obedientiæ virtute, cujus nexu præpotenti te Deo atque Ordini nostro in hoc cœnobio mancipasti, ab miraculis patrandis ut absistas; ne, quod tantopere Cartusianæ disciplinæ adamasti propositum, apud nos perturbet hominum celebritas. » Hæc ubi Præsidens dixit, res mira! simul ipsum sacrum cadaver a miraculis edendis cessavit, simul confluentium multitudo ab concursu et impetu conquievit, omnibus qui aderant stupore plane attonitis.

Ab hisce peractis Patres sanctissimo consilio optimum fore existimantes, ne amplius in defosso pretiosum illud pignus asservaretur; novo lateritio tumulo, ad radices sacræ campanariæ turris e regione cœmeterii constructo, in eum Cartusianæ simplicitatis jura nihilominus retinentes, noctu recondunt, iisdem cœnobii Patribus rei duntaxat consciis; quos etiam præcepto cœnobii Moderator adegit, ne cuiquam externo patefacerent unquam, quo loci rursus depositum corpus conditum esset; cum eo tamen, ut unus alteri, alter vero alii, in posterum, atque ille deinceps alii eorum solummodo qui Cartusiæ Maggianæ pro tempore forent alumni, rem secreto aperiret; quo continuata personarum successione cum aliqua ex

parte posteritati consuleretur, tum vero pretiosum pignus apud se Patres tuto perpetuoque incolume custodirent.

Quæ cuncta ad nostra usque tempora inviolate servata, ad extremum tum mihi superioribus annis in Florentina Cartusia degenti, ut supradictum est, tum aliis, aliis in locis, hisque præcipue in tectis, a priore e duobus illis Patribus, quorum paulo ante mentio habita est, indicata fuere; locumque pariter sacri sepulti corporis commonstratum. Qui quidem Pater, Ignatius Burghesius Senensis nomine, vir gravis ac certus, octogesimum et eo amplius ætatis annum agens, in hoc Maggiano cœnobio, ubi Religionem professus fuerat, viginti quatuor jam abhinc annos, ex hominum vita cum Christianæ pietatis laude migravit ad Superos.

CAPITULUM XIII.

CARTUSIENSIBUS PER CAUSAM INVENTI PETRI CORPORIS CŒNOBIUM VENETIIS ATTRIBUITUR, DIVO BERNARDINO SENENSI AUCTORE.

Interea Bernardinus, de quo supra memoravimus, iis minime contentus quæ ad laudem præconiumque Petri nostri in Maggiana Cartusia gesserat; duobus etiam post annis ab invento ejusdem Petri corpore, Venetias concionandi gratia profectus, cum in privatis Nobilium virorum circulis, tum e superiori loco ad Primores clarissimæ civitatis, ita de Petri laudibus et sanctimonia, itaque de Cartusiensium familia copiose ac vehementer locutus est, ut in hæc verba perorasse dicatur: « Habetis, Patres amplissimi; habes, inclyta Veneta urbs, in insulis quæ circum te sunt, quam multa cœnobia multis referta Christi militibus : quæ cœnobia, tanquam celsissimæ turres ac firmissima propugnacula, a facie Aquilonis longe majori tibi sunt præsidio, firmiorique munimento adversus hostiles incursus atque inimicorum fidei irruptiones, quam quæ ex alto stagnantes aquæ te undique crebris æstuariis circumfluunt; quando horum Dei militum virtus et studia, tibi ad bene beateque vivendum, sunt incitamento pariter et documento; tibique salutaribus divinæ Legis præceptis et hortamentis muniunt iter, ad cœlestem felicitatem comparandam.

« Atqui tum vel maxime perpetuis præsidiis perpetuum te firmam beneque munitam fore existimabo, si ad strenuos hosce propugnatores, stationarios quoque milites adjunxeris : nimirum si Cartusianos in urbem accieris; quorum ea est virtus atque animi fortitudo, ut dum suis inclusi castris aliorum militum contemplantur pugnam, et egregiam admirantur virtutem; ipsi tamen sine ferro profligent hostes atque conficiant. Hæc etenim fortium militum cohors illa est, qui cum cæteri urbici milites suis ex stativis prodeunt, uti verbi Dei gladio prælia Domini prælientur adversus vitiorum monstra, teterrimæque infernalis belluæ impetus;

hi, inquam, ceu bene parati vigiles ad sacras excubias agendas, non secus atque Moyses puras ad cœlum levantes manus, manus præliantium jugi oratione ac divinarum rerum contemplatione roborant, sic ut cæsis fugatisve hostibus victoriam dimicantibus obtineant. Illarum quidem est pugna, sed non ambigitur harum esse victoria ; quod, ut illis detur vincere, hæ merentur divinitus impetrare.

« Ex hac veterana cohorte atque ex hisce Cartusianis castris, alterum nempe divinum Moysen proxime præteritum sæculum prodiisse vidit, qui divino certe oraculo cœlestes iras, in omnes mortales intentas, præclaris suis apud Deum meritis et sanctimonia, dum esset in vivis, deprecatus est, ac Numen placatum mundo assiduis precibus reddidit atque conciliavit. Quem cum Senarum civitas procreasset, hisce proximis annis in eadem natali sede, hisce etiam oculis sacrum ejus corpus admirabili Dei munere integrum incorruptumque, licet sexaginta annos humo coopertum, aspexi.

« Ergo exploratissima horum militum virtus tibi sit, Urbs clarissima, præsidio et ornamento : horum preces, horum studia et exercitationes pietatis, horum, inquam, merita atque suffragia, in rebus tuis duris, tuam apud Deum causam defendendam suscipiant; te inter bellatorum turbines incendiaque tueantur; tibi adsint, cum turbulentissimis fluctibus et procellis impeteris; ac tibi in omne tempus scelerum veniam impetrent; perinde ut Moysis oratio Israelitis, duce Josue dimicantibus, victoriam obtinuit. »

Hæc divinus præco Bernardinus. Quæ sane tantos in gravissimorum animis Senatorum motus fecerunt, ut communi omnium consensu, Cartusianos in urbem accersendos esse cuncti annuerent. Quod et factum est. Siquidem nostri Ordinis accitis Patribus, insula sancti Andreæ ad Littus cognomento, omnium quæ Venetam civitatem ambiunt maxima, una cum cœnobio Eremitanorum Fratrum, qui tum propterea ex ea dimissi alio designati fuere, attributa fuit anno a Christo nato millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, Francisco Foscaro Venetorum duce. Cujus rei biennio post Pontificia diplomata data sunt, quorum auctoritate cœnobium ipsum totius Ordinis corpori et unitati, Martino Quinto Pontifice, fuit insertum.

Et cum illud brevi deinde interjecto tempore ad Institutum Cartusiani propositi Patres accommodarent, accito ad illud regendum e Cartusia Florentina Mariano Volaterrano, dici vix potest, qua pia animorum contentione nobilissimi quique Patricii laborarent, ut sibi suæque genti familiaria sepulchra in eo extruerent; quamque Nostris bene cuperent, exemplo crediderim provocati non mediocriter sanctissimi viri Laurentii Justiniani, primi Venetiarum Patriarchæ, qui (ut tenet fama, multorum-

que Litteris traditum est) Cartusianis nostris adeo familiariter utebatur, ut unus ex illorum numero facile censeri posset; captus mirabiliter Pater augustus consuetudine Francisci Tarvisani, ejusdem Venetæ Cartusiæ per id tempus habenas moderantis, viri non insigni modo eruditione, sed, quod pluris est, ad conciliandos et inextricabili nexu virtutis conglutinandos animos Angelica quadam puritate eximie præditi.

Hæc de condita primo Veneta Cartusia adscribere placuit, scilicet idonea opportunitate illectis Petri nostri corporis translationis; cujus quidem animam, in Cœlis ovantem, confidimus beata immortalitate circumvestitam in ævum perpetuum.

Proinde ad te nunc, Pater sanctissime, meam orationem meque totum converto. Te appello, te, inquam, Pater beatissime, invoco; qui lætus et gaudens Auctorem tuum contemplaris, atque Cœlestium simul frueris consolatione. Fac, rogo, experiamur omnes qui te colimus, quantum gratia valeas apud Opificem omnium rerum, dum tui studiosi tuum imploramus auxilium, ac tuarum exposcimus precum subsidia. Nobis opitulare in hujus miseræ vitæ solitudine degentibus; Ordinem nostrum Cartusianum, immo vero tuum benigne tuere. Maggianam hanc Domum, tuam altricem et custodem dum in terris agebas, et in qua tot mirabilium tuarum virtutum exempla reliquisti, protege tuo patrocinio atque conserva. Senarum præterea civitatem, communem parentem, custodi. Et me denique, pro mea salute tibi supplicantem, ne excludas, oro; qui facta tua, tuo sane munere atque concessu, cognovi, eaque, ut tuum mihi conciliarem patrocinium, conscribenda suscepi: non meis fretus viribus, quæ in scribendo nullæ sunt, sed illius virtute, qui non solum infantium linguas facit disertas, sed etiam bruti animantis os verba edere docuit; quo vitæ meæ confecto curriculo, ad eamdem illam vitam felicem et æternam pervenire merear, ad quam tu felix jam pervenisti.

Hactenus auctor Vitæ beati Petri Petroni, ex qua brevitatis gratia elogium, quod ibidem præfatus Auctor inseruerat, præterivimus, et unam et alteram de paupertatis laude et mundi contemptu paginam. Ex notis autem, quas ad Vitæ calcem adjecerat, hic tantum subjicimus quod spectat nostrum Petronum.

Sic autem Auctor loquitur: « Petrus e gente Petrona, quem veteres ab familia Petronum appellare consuevisse legimus.... »

Id nomen Petri beato Patri nostro primum impositum fuisse ad sacrum Fontem, dum piaculari ablueretur unda, satis inde constat, quod in ejus professionis formula in membrana suo chirographo exarata, quæ in Sacrario Maggiani templi asservatur, id ipsum nomen his verbis legimus: *Ego Petrus*

promitto obedientiam, etc. Ad hæc accedit quod in veteribus manuscriptis Monumentis Maggiani Tabularii, sub titulo Procurationum Mandata, quibus recensentur monachi Maggianis ædibus eo anno 1335 commorantes, Domnum Petrum Guglielmaccii relatum videmus. Adde quod in Kalendario ejusdem Cartusiæ legimus etiam ipsius Petri obitum his notis : « Quarto Nonas Maii obiit Domnus Petrus Guglielmaccii monachus hujus Domus ; » præterquam quod id ipsum quoque colligi potest ex litteris Joannis Boccacii, quas Franciscus Petrarcha in suam epistolam ad verbum exscripsit inseruitque, ex relatu Joachimi beati Petri nostri internuntii, atque idem ex aliis locis, ac vetustissimis Memoriis.

Quod vero deinde a familia Petrona Petronem vulgo denominarent, quamplurima extant vetera Monumenta : sed illud in primis apud beatum Joannem Columbinum auctorem nostrum, qui dum beati Petri res gestas conscribendas suscepit, beatum Virum continuato historiæ discursu Petronem semper appellat, ut videre est in fronte ejusdem Columbini Libelli vernaculo licet idiomate conscripti, qui id habet præcipue : « Incipit Legenda venerabilis sancti Petronis, Christi Confessoris, Cartusiæ monachi, qui vulgo Domnus Petro vocatur. » Et alia quamplurima, quibus ne nostra plus æquo turgescat pagina, pedem hinc exerimus, alio gressum flexuri.

Extant ad limen libri Vitæ beati Petri Petroni quædam epigrammata, quæ non pigebit hic describere.

EPIGRAMMA.

DE SANGUINE QUI FLUXIT E CADAVERE BEATI PETRI PETRONI DUM EFFOSSUM FORTUITO VOMERIS ICTU FERITUR CUM 60 ANNOS HUMO CONDITUM LATUISSET.

Frigida vix Petri tetigerunt membra ligones,
Cum roseus pleno funditur amne cruor.
Quærere crede nefas, cur tot latentibus annis
Neglexit sanctas arida terra dapes :
Scilicet, ut quæ olim reliquos sunt passa dolores
(Quod deerat) ferri vim quoque membra ferant;
Quæque Deo spargi cupiit dum vita manebat,
Corpore ab exanimi sanguinis unda fluat.

ALIUD EPIGRAMMA

DE BEATI PETRI PETRONI SIBI RECISO INDICE, NE DEO REVERENTIÆ CAUSA LITARET.

Ne faciat pia Sacra Deo tua Petre relicto
Indice, divinum dextra recusat opus.
Indice quid opus est, cœli jam culmine parto?
Index nunc aliis, qui fuit ipse sibi.
Hunc sectare ducem, mundi per flexa viator,
Indice sub tanto, devius ire nequis.

FABIUS CHIGIUS, QUI POSTEA FUIT ALEXANDER VII SUMMUS PONTIFEX.

Virtus ad imum nescia deprimi
Velox sacratis fertur ad æthera
Pennis, nec unquam ævi fugacis
Fata nocent, dubiisve præceps

Fortuna telis. Hac petiit Polum
Vectus curuli nube per aera
Divinus Heros; namque vidit
Sena parens humilem tonantis

Sacrum negantem tangere corporis
Læva resecta parte; sed interim
Sinus decora sede, cordis
Ara Deum rutilans fovebat.

Prudens, remoto qui indice semitam
Signavit orbi, qua medium mare
Mortemque transgressus minacem
Astra petat, placidumque littus.

Huic post ferendus Mutius, et tenax
Pompeius acrem missus ad Illyrim,
Utroque major sprevit ignes
Tartareos, aliena solvens

Delicta pœnis. Ergo volubile
Æterna vincet gloria tempus, et
Muto loquax sepulchro, adustos
Florida sub cineres vigebit.

Egere præterea de Petro Petrono nostro, Georgius Garnefelt in Indiculo Cartusiensium sanctitate illustrium, qui perperam refert eum ad annum 1430 claruisse miraculis; Dorlandus in Chronico Cartusiensi, lib. 5, cap I; et Augustinus Datus in oratione de Laudibus S. Bernardini Senensis.

MONACHI MARTYRES LONDINI

De quibus agitur in Historia Martyrum nostrorum, cap. 14, his verbis :

Considerantes igitur Regis Consiliarii inanem esse omnem laborem et industriam suam, et quod nullo modo eos pervertere, nec a Catholicæ et Romanæ Ecclesiæ professione detorquere possent, alia usi sunt astutia. Nam eos ab invicem divellere cogitarunt et a se mutuo separare. Quocirca ex illis quatuor, qui aliorum columnæ esse videbantur et cæteris fortiores constantioresque, ex illa Domo emiserunt, vel potius renitentes extraxerunt et rapuerunt, atque per duas alias Domos Ordinis distribuerunt. Factum est hoc 4 Maii, anno 1536, eodem scilicet die quo V. P. Joannes Houghton anno evoluto martyrium sustinuit.

His autem quatuor ejectis et ad alias Domos ablegatis, reliquos qui remanserant aggressi sunt adversarii tanquam desolatos et ab aliis derelictos, omnique præsidio destitutos. Et omnem moverunt lapidem, ut eos vel tædio victos, vel blanditiis delinitos corrumperent atque a sua sententia depellerent. Sed *benedictus Dominus, qui non dedit illos in captionem dentibus eorum*; perseverabant namque immobiles, firmati et *superædificati fundatique super fundamentum Apostolorum, supra firmam petram; petra autem erat Christus,* et is super quem ille suam Ecclesiam fundavit, hoc est, adhærescentes tanquam immobili saxo, et summo angulari lapidi Christo, ejusque in terris Vicario atque Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, *quæ est columna et firmamentum veritatis.*

Quod illi animadvertentes, ut majori divisione et separatione eorum constantiam enervare frangereque et evincere possent, octo ex illis ad Domum Ordinis sanctæ Brigittæ, Syon appellatam, quæ septem milliaribus a civitate

aberat, transmiserunt: eo nimirum consilio, ut ab illius monasterii alumnis transversum agi, et ad consentiendum Regi adduci possent. Erant enim ibi multi celebres et opinione hominum religiosi atque præstantes viri. Sed ut rei probavit eventus, tales, quales divus Paulus describit, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, seductores, proficientes in pejus, errantes, et in errorem alios mittentes.* Conabantur enim persuadere ut consiliis suis acquiescentes, Regis jussa perficerent.

Et quidem maxime Superior sive Rector Domus, qui monasterio illi erat a Confessionibus, cum jam in extremo mortis periculo versaretur, quo tempore dicti Cartusiani ibi agebant, eos ad se accitos his verbis alloquitur: « Veniam, obsecro, date, benignissimi Fratres; ego enim sum reus mortis, et causa necis Reverendi Patris Prioris vestri. Ego illi animum addidi, ut in sententia constanter persistens, intrepidus mortem occumberet, pro ea causa, propter quam et ipse vita privatus supplicium gravissimum pertulit, et ob quam huc adducti estis. At modo aliud mecum inivi consilium, et rem istam accuratius expendi atque deprehendi: non esse illam congruentem et legitimam causam propter quam se ipsum quispiam morti objicere debeat. » Sic ille, aut potius diabolus per illum locutus est, sicut olim per serpentem Evam seduxit in astutia sua. Nam ejusmodi verbis illius senis, tanquam judicis populi, et nunc in extremis vitæ constituti, statimque exhalaturi spiritum, quidam ex illis moti atque persuasi, Regis decretis suffragari animo conceperant: decepti nimirum mendaciis hujusmodi, sicut per falsum prophetam seductus est verus Dei propheta, quem Dominus, ut videre est tertio libro Regum, ad Jeroboam miserat.

Sed Cartusiani nostri reversi Domum et stimulis agitati conscientiæ, resipiscentes; resumptis viribus, majori etiam constantia in certamen descenderunt, alacrioresque reversi prodierunt in pugnam. Quamobrem Consiliarii in furorem versi, Cartusiæ demolitionem et eversionem comminati sunt, si consentire recusarent. Nam propter unanimem illorum constantiam, violentas manus in eos deinceps injicere et ad mortis supplicium rapere formidabant.

Cæterum dum hoc loco res nostræ versarentur, et in dies cresceret adversariorum malitia, tandem longa persecutione et exagitatione quodam tædio affecti, et minis intentatam Domus (quam conservatam cupiebant) eversionem metuentes, simul etiam videntes cæteros pene omnes Regis jussioni morem gerere, statuerunt et ipsi, voluntati illius se accommodare: Deum propitium sibi sperantes, idque multis lacrymis efflagitantes et protestantes: « Tu (inquiunt), Domine, qui corda nosti omnium, tu scis quam iniquum sit, quod isti a nobis extorquere nituntur. Tu etiam nosti

quam fortiter et constanter, quamque varia et multiplici ratione, eorum reluctati sumus voluntati, imo violentiæ. Tu insuper vides ad quas nunc angustias redacti sumus, et quod nobis minantur eversionem Domus, nisi consenserimus. Neque ignoras, ut hæc omnia discrimina et mala atque incommoda evadere possemus, quantum elaboravimus. Obsecramus igitur nunc immensam clementiam tuam, ut ea quæ extrinsecus, renitente corde et reclamante ac mordente conscientia, facimus, nobis indulgere digneris. » Atque ita misere illusi et decepti, quidam in verba Regis jurarunt, ut ædificia Domus integra conservarent.

Sed *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Neque enim facienda sunt mala, ut veniant bona.* Quamobrem merito reliqui, hanc defectionem et simulationem suorum confratrum execrantes, repudiarunt penitus mandatum Regis; prompti paratique pro justitia et veritate corpus et animam, seu vitam hanc expendere, omniaque quæ mundi sunt deserere atque contemnere : atque sic in proposita animi sententia constantes, rapti sunt ad squalidos et fœtidos carceres. Fuerunt autem hi numero decem, quorum tres erant sacerdotes, nimirum : D. Ricardus Bere, D. Thomas Johnson, et D. Thomas Green; unus diaconus, dictus Joannes Davy; et sex Conversi, scilicet : F. Wilhelmus Greenvood, F. Walterus Pierson, F. Thomas Scryven, F. Robertus Salt, F. Thomas Redyng, et F. Wilhelmus Horn; omnes professi Domus Londinensis.

Acta sunt hæc anno 1537, 4° Kal. Junii, in civitate vocata Newgate, ubi omnes, dempto uno Fratre Converso Wilhelmo Horn, brevi tempore, carceris squalore et fœtore extincti, feliciter ad Dominum commigrarunt. Quod Regis Vicarius audiens, admodum ægre tulit, duriusque se eos tractaturum, et gravioribus tormentis, si vixissent, ipsos se excarnificaturum, juramento devoverat.

LAMBERTUS ROTSSELAER

PRIOR CAPELLÆ

Professus hujus Cartusiæ, ubi egit Magistrum Novitiorum et Procuratorem; factus postea Subvicarius monialium Brugis, fit deinde Vicarius Cellæ salutis in Tuckelhausen. Per Capitulum generale anni 1580 instituitur Prior Capellæ, sed antequam Charta reciperetur, ibidem diem extremum clausit, circa 29 Maii. Fuit eximia sanctitate exornatus, tantæque apud omnes existimationis, ut Visitator Alemaniæ Inferioris, inter cæteras Lamberti defuncti laudes, non dubitaverit asserere quod talis ac tantus vir Catalogo Sanctorum inscribi deberet. Fuit ita orationi addictus, ut in illius exercitio spiritum Deo reddiderit, mortuus in oratorio inventus.

Ex Manuscriptis.

XXX DIE MAII

TERRICUS

CONVERSUS SYLVÆ BENEDICTÆ

Frederici Ænobardi Imperatoris nothus frater ; non solum sanguine sed et pietate illustris, non solum apud domesticos , sed etiam apud extraneos magna fuit in existimatione; cujus intuitu prædictus Imperator fundavit Sylvæ benedictæ Domum. Vivebat adhuc Terricus anno 1196; qui cum dignos pœnitentiæ fructus fecisset in hac eremo, collectis tandem bonorum operum manipulis, ad beatam migravit immortalitatem.

De Terrico mentio fit in Historia Mss. Ordinis Nicolai Molin, et in Cartulario Majoris Cartusiæ.

PETRUS DE MEDIOLANO

PRIOR ASTENSIS

Professus Majoris Cartusiæ : patria Longobardus, natus Mediolani, unde et habuit cognomen. Domui Astensi in primum Superiorem præfectus anno 1387, munus hoc egregie sustinuit usque ad annum circiter 1395; nonnunquam etiam Visitatoris ac Diffinitoris functus munere. Vir sanctissimus pietate, zelo, prudentia adeo instructus, ut viris præstantioribus Cartusiensis familiæ merito comparandus sit.

Hæc Vatis Regii verba, *Zelus domus tuæ comedit me,* sibi potuit vindicare. Cum enim Ecclesia Dei nascente schismate inciperet pati scissuram, divino concitatus Spiritu, decrevit adire Reges Principesque, ut vel fide titubantes legitimo Papæ debita confirmaret, vel jam ab officio distractos revocaret, paratus non curam solum et laborem, sed vitam ipsam ponere pro tunica Christi integre conservanda. At ut erat vir prudens, ne quicquam inconsiderate adoriretur in tanto negotio, eo difficiliori quo ab homine solitario magis alienum videbatur, sanctam Catharinam Senensem, magistram in spiritualibus olim suam, tanquam istius sæculi oraculum de totius rei serie prius consulendam censuit, scriptis ad eam literis, quarum tenor nondum ad nos pervenit.

Laudavit beata Virgo discipuli propositum, et ad illud sollicite citoque citius perficiendum accendit, dato ad ejus epistolam sequenti responso: « Suscepi literas tuas, quas cum multa perlegi animi consolatione. Obtestor te

ut desiderium tibi a Deo adspiratum, sanctam ineundi peregrinationem, vitamque tuam exponendi pro nominis ejus gloria, nunquam in animo tuo defervescere sinas, imo potius in dies facias illud nova capere incrementa; hac ipsa hora incipiens inter Christianos tueri veritatem, Ecclesiæ honori consulere, hominibus reverentiam inspirare Urbano Sexto tanquam vero ac legitimo Pontifici Maximo debitam. Hæc enim sunt pro quorum defensione vita jure profundenda est. Quantum ad priorem epistolæ tuæ partem, qua me rogas ut in me tua peccata suscipiam, libenter promitto in charitate Dei, qui sanguinem Filii sui nobis dedit, quod omnia illa recipiam in me; obsecrando Dei bonitatem, quatenus illa in me vindicet, ut sic tua et maledicta in conflatorio divinæ charitatis consumantur. His addam et novam aliam obsecrationem, ut per suam infinitam bonitatem, gratiam et misericordiam, nobis favorem indulgeat ponendi animam pro ejus honore et obsequio. Tu quoque consimili modo cures ut illo Sanguine pascaris et naviculam mentis solidis virtutibus instruas, etc. »

Interea Urbanus Pontifex ad se Bartholomæum Ravennatem, Cartusiæ Gorgonensis Cœnobiarcham, et quosdam ex Nostris accersiverat, ut eorum consiliis et opera in tanta rerum perturbatione uteretur; alios etiam ad Principes delegaverat, inter quos erat Nicolaus Belriguardiensis Cartusianus, quem a se ad Regem Galliæ missum et sine ulla spe promovendæ unitatis reversum, in suo comitatu tanquam virum Deo et hominibus gratum retinebat. Utrum autem Petrus noster cum aliis a Pontifice vocatus fuerit, non constat; videtur solum de moris suo desiderio interpositis apud sanctam suam didascalissam fuisse conquestus. Hæc vero eum consolata est scripta satis prolixa epistola, in qua postquam Petrum ad meditationem sanguinis Filii Dei animavit, de præsenti negotiio his loquitur verbis:

« Spondeo tibi quia si tempus advenerit ad quod tecum aspirant multi servi Dei, et si queam obtinere facultatem a Christi Jesu Vicario, hoc libenter exequar, ut vestra desideria impleantur. Ad hoc tuas orationes dirige, ut nulla nobis amplius remora fiat. Quantum ad me attinet, quotidie morior, et nec mori possum, videns Salvatorem nostrum in corpore suo mystico sanctæ Ecclesiæ tam graviter offendi, cum ii qui pro sanctæ Fidei decore illustrando laborare debuerant, primi sint qui eam deturpare non vereantur. Horum omnium malorum causam imputo peccatis meis. Quæramus igitur refugium ad Christi dulcissimum latus, in quo commorari si licuerit, pulsemus confidenter ad januam misericordiæ ejus. »

Haud diu post, sancta Catharina, anno videlicet 1380, consummata in brevi explevit tempora multa; moriensque fatebatur se vitam suam pro Catholicæ

Ecclesiæ salute profundere. Post cujus mortem videns Petrus Urbanum de suo imperio stabiliendo, quam de pace Ecclesiæ procuranda magis sollicitum, in amicam Majoris Cartusiæ solitudinem se recepit, donec Cartusiæ Astensi præficeretur. Ibi dum gregem sibi commissum ad omnem fingit virtutem, mortuo Urbano, reviviscit in eo mens laborandi pro revocatione membrorum Christi ad unicum caput. Novis igitur a Deo auctus gratiis, cum ad tam egregium facinus rite prudenterque audendum per biennium se præparasset, ad Majorem perrexit Cartusiam, ubi fuit inter Diffinitores Capituli generalis.

Communicatis privatim cum Reverendo Patre Guillelmo Raynaldi, summo Cartusiensium Præfecto, suis consiliis, ab eodemque probatis, repetiit Lombardiam, ubi multa de hoc negotio cum Cardinalibus Transalpinis contulit; tandemque cujusdam Cardinalis consilio Bonifacium Urbani successorem adiens, Literas ab eo impetravit ad Regem Galliæ, datas, ut asserit Spondanus, quarto Nonas Aprilis, Pontificatus sui anno tertio, qui fuit Christi 1392. Quo vero maturius res tractaretur, Petro dedit comitem Bartholomæum Ravennatem supra memoratum, quem sibi et antecessori Urbano semper fidelissimum fuisse noverat. Hi Avenionem primo accedentes, a Clemente excepti atque detenti fuere, donec re Parisiis cognita, Rex Universitatis postulatu Clementem monuit eos dimittere : et Lutetiam venientes circa festum Natalis Domini gratioseque habiti, responsum ore tenus acceperunt, se monita a Bonifacio missa æquo animo suscepisse, omnesque vires regias promptas fore ad unionem Ecclesiæ promovendam. Et ad hoc in Italia persuadendum, prædictis Petro et Bartholomæo duos alios Priores nostri Ordinis adjunxit, nempe Divionensem et Parisiensem.

Hujus legationis series fusissime cum Bonifacii ad Regem Literis describitur in Historia ms. Caroli VI, auctore synchrono anonymo monacho San-Dionysiano, cujus manuscriptus codex asservatur Parisiis in augusta Bibliotheca Thuana, quem videre Lector poterit in nostro Volumine Cartusiarum Lombardiæ propinquioris, ubi egimus de Prioribus Astensibus.

Bis autem Petrus noster, juxta illum codicem, ad Regem Galliæ delegatus est. Quamvis autem ex his legationibus nihil retulerit præter laborem, haud tamen destitit ab incœptis ; nam lego illum adhuc eodem negotio distentum fuisse anno 1394. Quo tempore in Comitiis apud Cartusiam celebratis, eo licet remanente in Prioratu Astensi sed absente, alius tamen Rector instituitur, qui ejus vices suppleret in utroque regimine. Tandem cum pro virili Petrus pro Dei Ecclesia laborasset, secedens in Majoris Cartusiæ solitudinem, ibidem fatis fungitur, de Republica Christiana bene meritus. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1399.

DIDACUS SARMIENTO

EPISCOPUS CUBENSIS

De quo agit ms. Codex Cartusiæ de Covis in hunc modum : « Didacus Sarmiento, natus nobili genere, alumnus Cartusiæ de Covis, cujus Prior institutus per Capitulum generale anni 1526, hanc administravit mirabili cum prudentia et subditorum profectu usque ad annum 1530, quo a Visitatoribus absolutus fuit et conjectus in carcerem, ut Deus virtutis dominator, qui cum magna reverentia disponit nos, illum tanquam alterum Josephum e carcere ad altiora educeret.

« Causa suæ incarcerationis seu potius meritorum ostensionis hæc fuit. Carolus V, Imperator, crebris exhaustus bellis, scripsit ad Cardinalem Manrique archiepiscopum Hispalensem, ut ab aliquibus Ecclesiasticis et monasteriorum Prælatis aliqua donativa efflagitaret ac contributiones ; ex quorum erogantium numero fuit Prior de Covis, Didacus Sarmiento. Quantum ille contulerit Imperatori, non constat. Paulo post accedentibus ad hanc Cartusiam Visitatoribus, cum Prior, sive malitia deponentium, sive invidia malignantium, in contributione reus culpæ cujusdam inventus fuisset, ab eis exauctoratus carceri mancipatur. Deus, qui ad patientiam et exercitationem servi sui hæc permiserat, non tardavit patefacere innocentiam illius et incarcerationis injustitiam. Nam Visitator a quo fuerat absolutus et conjectus in carcerem, ab alio hujus negotii examinandi gratia visitatus, veritate comperta, ab omni prorsus officio abdicatus est.

« Re delata ad Imperatorem, cum vellet Didacum honorare, Indosque occidentales noviter inventos imbuere Fidei mysteriis et feros animos in Petri agnos convertere, in illum conjecit oculos ; et primum Episcopum in illis partibus nominavit, in insula videlicet quæ Cuba vocatur, proxima insulæ S. Dominici ; simulque Inquisitor generalis novæ Hispaniæ factus, ad Indos occidentales transmeavit, ubi per aliquot annos commoratus, cum vigilantissimi Pastoris munus obivisset, quietis cellæ suæ non immemor et ad Rachelis amplexus suspirans, dimisit Episcopatum; reversusque Hispalim, cum nollet oneri esse suo monasterio, Domum illi contiguam in Tarragonia locavit, commodius cum suis comprofessis conversaturus.

« Ibi semper et ubique, factus Antistes nihil unquam de abstinentiis et rigore Cartusiensi detraxit, unde non solum apud ecclesiasticos, sed sæculares etiam, ut sanctus audiebat. Fuit munificentissimus in pauperes, quos suorum bonorum hæredes instituit. Fuit etiam beneficus erga suæ professionis Domum, cui redditus legavit annuos, ut monachi vestimentis induerentur et reficerentur in mensa, quod ad hanc usque diem perdurat.

« Asservatur in hoc cœnobio mithra ejus pontificalis et crux magna argentea e vasis suis mirifice fabrefacta, quæ in majoribus Solemnitatibus thuri est destinata. Tandem ut monumentum religionis et affectus erga Cartusienses posteris relinqueret, ordinavit corpus suum mandari sepulturæ in communi cœmeterio Domus suæ professionis cum suis Fratribus, qui de dignitate et sanctitatis præstantia bene conscii, deposuerunt in sepulchro marmoreo, cum hac inscriptione :

Aqui iaze el muy R^{do} y
mag^{co} Señor Don Diego
Sarmiento, Obispo que
fue de Cuba, monge profeso
de esta Casa de Nuestra Se-
ñora de las Cuevas; falle-
cio Lunes 30 dias de Mayo
de 1547, cuja anima sta in gloria. »

ÆGIDIUS DE BEDON

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Patria Valentinus; optime excultus literis, anno 1530 habitu Novitii donatur. Exacto tyrocinii tempore, vota professionis emisit die prima Maii. Solitudini addictus imprimis et orationi, viam sibi stravit ad omnigenas virtutes. Summa ferebatur charitate in Deum et proximum, gerebatque viscera misericordiæ erga calamitosos et afflictos, quorum miseriam cum sui dispendio sublevasset. His charitatis facibus exæstuans studebat omnes provocare ad virtutis studium piis exhortationibus. Unde præter multos ex familia, quos a pravis moribus ad melioris vitæ frugem suis concionibus (fuit ei hoc diu ex obedientia injunctum) reduxit, tres etiam ethnicos Turcas, huic monasterio ab aliquibus traditos, ab infando Mahumetis cultu convertit ad Christianæ veritatis lumen, non sine sollicitudine multa et sudore. Quo enim erant illi tres clariori sanguine, eo constantius radianti veritati repugnabant.

Horum unus præsertim, filius Belerbey cujusdam ceu exercituum in Anatolia præfecti, mordicus adhærebat impiæ sectæ. Hunc Ægidius a pristina errorum via, nec suasu nec ratione qualibet convictum reducere valuit, donec pius senex positus in extremis, ejus animæ jacturam ex ardore charitatis dolens, pro ipsius salute Deum et Beatissimam Virginem Mariam enixius orans solito, eam assidua et ferventissima prece meruit adipisci. De qua quidem per divinum oraculum factus certior, semianimum et venerabilem vultum attollens tantisper, extrema in æneum illius cor direxit verba (Turca tunc aderat adolescens) quorum virtute et Excelsi dextera demolitus est, ut facile se convictum et victum illico exclamaret, sacro Baptismate initiari postulans. Quo facto, mirum valde quantum spirituali superfusus sit gaudio anhelus senex, quantum in Domino hilaratus;

unde sublatis manibus oculisque in cœlum, dum tanti a se accepti beneficii debitas lacrymosus rependere curat gratias, Creatori suo reddidit spiritum, cum singulari et interna astantium voluptate, anno 1582, ætatis 86. Fuit erga Dei Genitricem devotissimus, cujus conspectu dignatus est in extremo morbo, a qua diem et horam sui obitus didicerat. Hi tres Turcæ in Fide Christiana constanter usque ad mortem religiose perseverantes pie tandem decesserunt.

Ex Annalibus Vallis Christi.

PETRUS LORCA

PRÆBENDARIUS VALLIS CHRISTI

Eremita et præbendarius hujus monasterii ; Magdalenæ filiæ suæ, sanctimonia celebris, precibus conversus ad meliorem frugem, retibus relictis, piscator quippe erat, a Patribus Vallis Christi donatus habitu Eremitæ; ita in omnigenis virtutibus profecit, ita spiritui carnem subjecit jejuniis, verberibus, aliisque macerationibus, ut postquam strenue decertasset contra diabolum, coronam immarcescibilem adeptus fuerit, mortuus anno 1586, relicta sanctitatis opinione. Jacet in cœmeterio ejusdem Cartusiæ.

Ex Annalibus Vallis Christi.

FLORIDA DE ROSET

SUPPRIORISSA SALETARUM

Regularis observantiæ, silentii præsertim tenacissima, cujus leges fertur nunquam violavisse. Laudatur ob ingenii sagacitatem et haud vulgarem prudentiam, quam mira sinceritate condiebat. Fuit etiam prædita singulari gravitate morum, quam temperabat summa in omnes affabilitate. Divinis tam nocturnis quam diurnis semper adfuit Officiis, licet annis et infirmitatibus attrita. Pleuritide tandem affecta, Sacramentis rite susceptis, sæpe sæpius ingeminans has voces *crucis subire tormentum,* placide expiravit anno millesimo quingentesimo octogesimo nono.

HELENA DE LORAS

MONIALIS SALETARUM

Devotissima erga sanctos Angelos, quorum conspectu nonnunquam recreabatur, quando æditiuæ munus agens, ad campanæ pulsum pro Matutinis Horis pergebat; quem favorem, præ humilitate, omni qua poterat sollicitudine occultabat. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1596.

BARTHOLOMÆUS PUIG

PRIOR ARÆ CHRISTI

Valentinus; anno 1594, die 5 Augusti, inter Vallis Christi Novitios adscriptus; omni virtute præfulgens, primum Vicarii deinde Procuratoris munus obivit. Factus postea Aræ Christi Prior, vix in hoc officio exegerat biennium, cum rursus Vallis Christi Procurator instituitur. Quamvis in his muniis se se gereret irreprehensibilem, a malevolis tamen sæcularibus falso insimulatus, patienter sustinuit calumniam. Interim a Superioribus Ordinis relegatus in Domum de Miraflores, morbo superveniente, cum in extrema salutis linea constitutus esset, sacro reficiendus Christi Corpore, vir nihil sibi conscius suum accusatorem citavit ad divinum tribunal, suam coram adstante monachorum agmine testatus innocentiam. Mox placidissimo mortis somno correptus, anno 1615, diem extremum clausit. Bartholomæum criminosus delator paulo post, condicta die, subsecutus est, Deo redditurus de calumnia rationem. Elapsis aliquot annis, dum humus effoderetur, Bartholomæi cadaver integrum atque incorruptum inventum est, ad comprobandam ejus vitæ integritatem.

Ex Annalibus Vallis Christi.

NICOLAUS HINSELIN

PRIOR SYLVÆ BENEDICTÆ

Parisinus; hujus eremi benefactor singularis, cui dedit professionem emittens octodecim millia librarum. His semetipsum adjiciens in hostiam Deo beneplacentem, simplicitate prorsus Christiana, mira mansuetudine, charitate in suos ac liberalitate in pauperes præcelluit. Ex Procuratore Prior institutus, in diebus suis amplificavit Domum, construxit hospitum cameras, partemque claustri maximam reædificavit. Decessit pius senex, de Domo sua optime meritus, anno 1660, die 30 Maii, relicto apud suos ob eximiam vitæ sanctimoniam ingenti desiderio.

XXXI DIE MAII

VICTORIA

PRIORISSA PERMANIÆ

Sanctitatis opinione conspicua, natalibus et virtutibus nobilissima; postquam illustrem de mundo, carne, et diabolo victoriam retulisset, Deo castitatem et Vitam inclyta virgo vovet in domo Pratibajonis vel Permaniæ, non vero Excubiarum (ut refert Molinus) cœnobio. Postea ob eximias virtutes instituta Priorissa, ad miraculum prudens et humilis, et ultra patientiam fortis, ad Sponsum evolavit.

Consule Volumen nostrum Provinciæ.

AGNES

PRIORISSA PRATIBAJONIS

Paupertate dives, humilitate charitateque admirabilis; quæ postquam jejuniis, orationibus, vigiliis, corporisque macerationibus hostiam vivam, Deo placentem se se exhibuisset, omni virtute prælucens, felici fine consumpta quievit in Domino. Cujus sanctitatem divinæ glorificationis insignia comprobarunt; miraculis quippe claruit, uti asserit Theophilus Raynaudus in Stylita Mystico, puncto 10, § 3. Hanc facit Nicolaus Molin, in Historia Cartusiensi ms., Protopriorissam Domus Excubiarum, quam putavit fundatam pro monialibus anno 1115. Sed contrarium alibi probavimus, ubi et ostendimus hanc Agnetem fuisse Protopriorissam Pratibajonis vel Permaniæ.

LUTOLDUS

EPISCOPUS BASILEENSIS

Ex Cartusiano et Fundatore Cartusiæ Vallis speciosæ factus Basileensis Episcopus, senex perfectæ consummatæque virtutis decessit anno 1249. Ita testatur Nicolaus Molin in sua Historia ms. Ordinis. De eo Liber inscriptus Basilea Sacra agit his verbis.

Lutoldum Trithemius et Stumphius Dominum a Rotlen antea dictum volunt. Alii comitem Neoburgensem vel Arburgensem : magna enim et frequens inter has familias affinitas erat. Et licet hic rursus varietas opinionum se inferat in Episcoporum Basiliensium Catalogo et seriei nexu, Lutoldum tamen prioribus Episcopis supponendum esse certum videtur, ut qui legatur subscripsisse publicis Instrumentis anno 1239 et

1241 ; et ipse tandem, quod communior Scriptorum habet opinio, vivere desiit anno 1249.

Ex quo patet Lutoldum hunc nostrum alium esse ab illo quem, anno 1213 diem supremum clausisse supra memoravimus, cum satis constet illum, de quo jam sermo, ad annum 1249 obiisse; quemadmodum videre est in Diplomate, quod refert Guillimannus in Henrico 56 episcopo Argentinensi, ubi legitur Berctholdus, ejus successor, cum aliis Principibus subscripsisse communis societatis fœderi, ut vocabant. Obiit itaque circa annum 1249, attestante etiam Urstitio, lib. II cap. 18; aut certe deposita tunc temporis dignitate Episcopi, reliquam vitam nullis gestis memorabilem duxit. Stumphius inaugurationem Lutoldi refert ad annum 1238, mortem ad annum 1249. Denique Theophilus Raynaudus, Societatis Jesu, in sancti Brunonis gloriosa propagine pag. 260, asserit Lutoldum, quem Lufoldum vocat, ex Cartusiano Vallis speciosæ episcopum Basileensem, communem omnibus mortalibus necessitatem subiisse anno 1249.

ROBERTUS RABY

MONACHUS LONDONIARUM

Decessit circa hunc diem anno 1535; de quo agit Mauritius Chancæus in Historia Martyrum nostrorum Angliæ cap. 15, his verbis : « Deinde aliud subjiciam, quod revelationem quamdam et visionem exhibitam complectitur. Duo quippe fuerunt in Conventu Londinensi Fratres, pio et familiari amore sibi mutuo arcte devincti. Contigit autem alterum eorum, cui nomen erat Robertus Raby, brevi post martyrium Prioris ejusdem Domus, incidere in gravem infirmitatem, ex qua denique et mortuus est. Ad quem alius, nomine Joannes Darley, cum visitandi gratia accederet, inter cætera dixit infirmo : « Dilecte Frater, nunc viam ingrederis universæ carnis. Itaque obtestor te, ut, si quidem Deus permiserit, revertaris post mortem (sic enim loquebatur), vel mihi te sistas atque exhibeas, sive appareas in spiritu, denuncians quid actum sit cum Patribus nostris, et quo loco, seu in quo statu nunc versentur. » Respondit alter se facturum quod ille postularat, si ita Deo visum fuerit.

Post unam hebdomadam Frater ille mortem obiit, appositus ad Patres suos; et quinto die ab ejus obitu, dum alter Frater superstes et incolumis in aurora circa quintam horam in cella sua deambularet, orans et animo suo pium quid ac salubre divinumque volvens atque revolvens, apparuit subito Frater defunctus in veste candida, sociumque se alteri deambulanti adjunxit. Qui requisitus quis esset, respondit : « Frater vester, qui eo die ex hac vita migravi. » Interrogatusque quomodo secum ageretur et cum Patribus nostris, « Bene,

ait, mecum est. In cœlesti gloria sum, fruorque Dei visione gloriosa. Gratias agens Deo meo : sed in multo minori et inferiori gloria sum constitutus quam Patres nostri. Hi enim in magna gloria sunt, nimirum palma martyrii insigniti et coronati. Et Pater noster venerabilis Prior habet coronam præ cæteris splendidiorem. » Atque hoc dicto, mox disparuit.

Fuit autem hæc visio post modum relata Consiliariis Regis, qui accersito Fratre cui ostensa exhibitaque erat, post multas inquisitiones et exprobationes, comminati sunt ei, ne cuiquam illam divulgaret. Neque vero res ista nova et inusitata aut phantastica videri debet, etc. »

PETRUS A SANCTO ANDREA

PRIOR VALLIS CHRISTI

Alumnus Scalæ Dei, vir eximiæ virtutis; qui cum aliquandiu Cartusiæ Vallis Christi præfuisset, solitudinis quieti redditus, spiritum Deo reddidit. Cujus obitus signatur in Charta anni 1553.

JOANNES SALAZAR

RECTOR DE FONTIBUS

Cæsaraugustanus; jam promotus ad sacerdotium, Cartusianis Scalæ Dei anno 1512 nomen dedit. Vix in Religione fixit pedem, cum splendescere cœpit humilitate, sui contemptu insignique morum sanctimonia. Spiritualibus exercitiis deditissimus, eo cum fervore spiritus vacabat orationi ac meditationi Dominicæ Passionis, ut in singultus et suspiria erumpens, lacrymarum imbres effunderet ad tanti mysterii memoriam. Vir zelator Ordinis et perfectus Statutorum observator, Cartusiæ de Fontibus regimini admotus, cum optimam Mariæ partem Marthæ sollicitudinibus anteponeret, ab hoc exauctoratus officio, redditus quieti solitudinis, ad extremum usque spiritum viam mandatorum Dei currens, beatissima morte in Domino obdormivit. Ejus obitus notatur in Charta anni 1556.

Annales Scalæ Dei.

VINCENTIUS

CONVERSUS CAPRI

Simplicitatis et humilitatis exemplar; post 60 annos religiosissimæ conversationis, pie animam efflavit anno 1601.

Ex Schedis Hugonis Buat.

JOANNES RUTH

DONATUS MAJORIS CARTUSIÆ

Vir pius et simplex; qui cum ultra octoginta annos religiose et fideliter servisset Deo et Ordini, a laboribus sancta morte requievit. Ejus obitus notatur in Charta anni 1603.

JOANNES GAUTHIER

PRIOR ARVERIÆ

Patria Bellovacensis; anno 1597, die 24 Februarii, per vota professionis inter Majoris Cartusiæ monachos adscriptus, præcelluit singulari in Deum amore. Diem extremum clausit in Domo Arveriæ, die 31 Maii anno 1622, ut refert Ganneronius noster. Præfuerat Domui Repausatorii; quam cum regeret, contigit ut contenderet Gebennam, inde Domui suæ allaturus necessaria; licet enim perfida hæc civitas ab obedientia Romanæ Sedis se subduxerit, liberum tamen ad se præbet accessum. Illic itaque cum modicum demoratus esset, in officina notissimi sibi mercatoris, eo festinat forte infestata dæmone maligno mulier, quo et multi cives tumultuosi curiositate videndi confluxerant. Illa misera cœtum populi ingreditur, et nullum metuit. At ubi monachum intuita est, illico murmurans dentibusque frendens aufugit. Quæsita cur ita propere recessisset, « Non cernitis, ait, illic adesse monachum album indutum? » ac si dixisset apertius illic stare se non posse, ubi quis innocentiæ adesset candidatus. Nec immerito, erat namque Pater ille Gualterius candoris angelici, pudicissimus, summa præditus pietate, quin et donatus, prophetiæ spiritu, ut suis innotuit coævis, quorum aliquibus mira quædam reseravit.

JOANNES BAPTISTA APPIANUS

PRIOR BONONIÆ

Vir ob vitæ meritum venerando Joanni Baptistæ Capponi assimilandus; cujus vestigiis insistens, singulari discretionis dono et eximia charitate in omnes præcelluit; ita orationi addictus, Prioris ac Visitatoris munus obiens, ac si cum Deo solus fuisset. E vivis excessit in Domo Vallis Pisii, anno 1622, die 31 Maii. Præfuerat Domibus Lucæ, Ferrariæ et Pontiniani.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

MICHAEL PERICHON

DONATUS MAJORIS CARTUSIÆ

Pietate et charitate clarus; cujus laboriosa fidelitas per 48 annos ibidem probata, tandem mercedem laborum percepit in cœlo die 31 Maii, anno 1633.

Ex Schedis Hugonis Buat ad nos transmissis.

SIMON LEONARD

VICARIUS VALLIS CHRISTI

Valentiæ, ex tenui quidem sed honesta natus familia, Religionis habitum

suscepit anno 1595, die 1 Februarii. Vir austerus admodum, inter cæteras quibus præcelluit virtutes, priscas Ordinis sollicite semper servavit abstinentias; ter siquidem in hebdomada pane et aqua solum victitabat. Feriis autem sextis, asperrimo prolixoque utebatur cilicio. Primum egit Novitiorum Magistrum spiritualem, quater Vicarii munere perfunctus laudabiliter, semel Coadjutoris obivit officium. Anno 1627 electus in Priorem Vallis Christi, vir propositi tenax hanc recusavit dignitatem, eligens præstolari in silentio salutare Dei. Cumque ad ejus adventum diu dignis pœnitentiæ fructibus se præparasset, rite devoteque admodum perceptis Sacramentis, animam efflavit. Ejus obitus notatur in Charta anni 1633. Post mortem gloria refulgens apparuit F. Joanni Oloberri hujus Cartusiæ professo.

Ex Annalibus Vallis Christi.

MICHAEL ALVIR

CONVERSUS VALLIS CHRISTI

Diœcesis Valentinæ; anno 1607, habitu Religionis donatus, singulari simplicitate, morum innocentia, in Puerum Jesum devotione, charitate in proximum, miraque in sustinendis morbis patientia exornatus, pie decessit anno 1635.

Ex Annalibus Vallis Christi.

ANNA DE VIGNIEU

MONIALIS SALETARUM

Perfecta Christi discipula, carnem suam cum concupiscentiis crucifigens, aspero cilicio, hamato thorace ferreaque zona utebatur. Corpus tot flagris frequentissime cædebat, ut sanguinem e carne sua, lacrymas ex oculis Sororum strepitum verberum audientium eliceret. Cibos condiebat absynthio, ne gustus tantillum perciperet voluptatis. Sic in se ipsam desæviens, quo plus atterebat corpus suum, eo fiebat animo vegetior. Nusquam a diurnis seu nocturnis Officiis abfuit, ne quidem ad extremam diem. Insigni præcellebat humilitate, quam Deus ad meriti cumulum probavit in camino tribulationum; quas quidem de manu Domini suscipiens, puriori ardentiorique in Deum et proximum charitate ferebatur.

Circa linguæ suæ custodiam sollicita, silentium et solitudinem impense diligebat, quo semotior a Sororum familiaritate, cor suum in conspectu Domini effunderet liberius. Solus ipse erat arbiter ejus tribulationum, solus ipsius cordis conscius. Diu toleravit molestam hydropisim, de qua quidem non solum nullas querelas, sed ne minimum verbum protulit, ne naturæ, ut assolet, in questus plerumque effusiori, aliquid procuraret solatii. Singulis diebus Deum rogabat enixe, quatenus in extremo morbo nemini molesta foret; cujus

votis annuente Deo, brevi infirmitate correpta, per decem tantum et octo horas decumbens, munita Sacramentis spiritum Deo reddidit, anno 1653.

Ex Manuscriptis.

MARGARETA DE CHAMONT

MONIALIS SALETARUM

Hanc Deus deduxit per vias duras et asperas, per quas illa ambulans diu sustinuit molestas animi anxietates. Ejus zelus ac fervor spiritus circa divinum Officium et cæteras Ordinis observantias enituit; naturam etenim, debilem licet et infirmam, mortificatione singularique austeritate atterens, se se hostiam gratam et Deo bene placentem exhibebat. Tanti meriti preces ejus apud Christum fuere, ut Sorori Donatæ lethargo affectæ tempus impetrarit, quo plene sui compos Sacramenta perciperet antequam sensus omnino deficerent. Præsagiit obitum Joannæ de Lancin Priorissæ. Cum enim hæc lethargia esset sopita, statim ad orationem confugiens Margareta quasi rapta in extasim, mox ad se rediens, de ægrotantis vita dixit esse conclamatum, quæ mox vi morbi extincta est. Ejus quoque precibus adscribitur domicellæ de Chamont sororis ejus conversio; quæ Margaretæ orationum efficacia ab illecebris sæculi, quibus irretita fuerat, avocata, in sacrum divi Benedicti parthenium se se recepit. Denique postquam per plures annos eremum hanc Margareta illustrasset præclaris virtutum exemplis, plena bonorum operum migravit ad Dominum. Ejus obitus notatur in Charta Capituli generalis anni 1654. Hujus facies, quæ, ea vivente, nulla fuerat venustate prædita, post mortem incredibili pulchritudine visa est præfulgere.

Ex Mss. hujus cœnobii.

MENSIS JUNIUS

I DIE JUNII

JOANNES

EPISCOPUS GRATIANOPOLITANUS

Cartusiensis Ordinis asceta; promotus ad Gratianopolitanæ Ecclesiæ sedem, domi forisque spectatissimus optimis moribus, anno 1179 adfuit Lateranensi Concilio. Cumque strenue ministerium suum implevisset, ad cœlos evolavit anno 1194, Kalend. Junii, percepturus præmia virtutum.

Gallia Christiana. Indiculus ms. Virorum sanctitate illustrium Ord. Cartus.

GARNERIUS DE BALMETO

CONVERSUS MAJORÆVI

Alter hujus monasterii Fundator, frater germanus B. Pontii de Balmeto, Bellicensis episcopi; spretis sæculi deliciis, postquam ab expeditione Hierosolymitana rediisset, inter Conversos Cartusiæ Majorævi (quam B. Pontius construxerat) adscribitur; ubi in magno sui contemptu, spiritus fervore, ac disciplinæ regularis observantia ad obitum usque perseverans, plusquam centenarius sanctissime decessit die 1 Junii.

D. Hugo Buat, Coadjutor olim Majorævi, in Schedis ad nos transmissis, refert Garnerium anno 1150 suscepisse Religionis habitum, obiisseque anno 1230; verum constat ex Vita B. Pontii de Balmeto, qui mortuus est anno 1140, Idibus Decembris, dum adhuc esset in vivis Garnerium Cartusianis dedisse nomen.

HUGO DE NOVO CASTRO

PROTOPRIOR ABBATISVILLÆ

Primus hujus eremi possessionem iniens anno 1300, non diu Prioratum tenuit, nam anno 1302, 1 die Junii, naturæ debitum persolvens ad vitam meliorem migravit, de Ordine nostro bene meritus.

Catalogus Priorum hujus Cartusiæ.

JOANNES DE VILLANOVA

PRIOR AVENIONIS

Vir nominatissimus; qui cum in Palatio sacro grandem sibi comparasset famam, quique aliquando cum Urbano V ante Papatum legationis functus fuisset officio, multa gratia polluit apud eumdem Pontificem. Is aliquando Ordinem nostrum in multis temperare voluit : quatenus Ordinis nostri Antesignanus Abbatis dignitate fulgeret ; quotidie Horæ Canonicæ in choro recitarentur ; quotidie semel comederent in refectorio, et ægroti uterentur carnibus. Verum Joannes ad Urbanum delegatus ita validis rationibus has oppugnavit relaxationes, ut Pontifex ad Cardinales conversus dixerit : « Relinquamus Cartusienses in sua simplicitate : qui oblatam a nobis gratiam pro eorum consolatione recusant. » Obiit Joannes 1 Junii 1374.

DIDACUS DE AJALA

PRIOR XERITII

Patria Hispalensis. Spreto natalium splendore, hanc eremum suis virtutibus, imprimis accuratissima Statutorum observantia, orationis ac mortificationis studio illustravit. Invitus ad Prioratum assumptus, bonum se exhibuit Pastorem, in rerum temporalium et spiritualium administratione vigilantissimum ; optimeque de sua Domo meritus, decessit die 1 Junii, anno 1630. Vixerat in Ordine 22 annos. In singulis Regularium, Monialium et Clericorum Xeritii ecclesiis justa Didaco non secus ac communi eorum Patri persoluta sunt ; Canonicique collegiatæ magno cum apparatu ejus exequiis interfuere, ubi quidam diœcesis Visitator demortui virtutes publica laudatione celebravit.

GEORGIUS ANDREÆ

PRIOR COLONIENSIS

Pomeranus; primum Vicarius zelosus valde, ac diligens Procurator annis quatuordecim, ac demum hujus eremi Moderator, anno a partu Virgineo 1676, die 1 Junii, post sextam matutinam in Cartusia Coloniensi debitis Ecclesiæ Sacramentis rite provisus, inter filiorum suorum preces placidissime obdormivit in Domino, confectus senio, ætatis suæ anno 81, professionis 53; postquam Domum sibi commissam summa cum prudentia, statusque tam temporalis quam spiritualis notabili augmento administrasset annis 21 : vir intus forisque candidus et summa præditus morum innocentia.

II DIE JUNII

JOANNES

MONACHUS PORTARUM

Vir piæ admodum et religiosæ conversationis; cui plurimam sanctus Anthelmus Prior exhibebat, ob sanctitatis illius meritum, reverentiam; ei adventanti humiliter assurgens, quod nunquam facere prætermisit, etiam cum Episcopi, Abbates aut cujuscumque dignitatis adessent personæ.

Ex Vita S. Anthelmi apud Surium, capite 13. Franciscus Ganneron, in suo Martyrologio Cartusiensi, meminit Joannis ad hanc diem.

JOANNES

PRIOR VALLIS VIRIDIS

Unus ex primis Cartusiæ Parisiensis Prioribus; qui cum gregi commisso eximiarum exemplis virtutum præluxisset, tandem post laudabile regimen solitudinis quieti redditus, felici morte ad cœlestem patriam evocatur anno 1299, die secunda Junii. Vir fuit in rerum spiritualium cognitione versatissimus; ad quem perillustris Domina Beatrix de Turre subsequentem scripsit epistolam :

« Religiosæ personæ et devotæ in Domino nostro Jesu Christo, Fratri Joanni Priori Vallis viridis prope Parisios, Ordinis Cartusiensis, Beatrix de Turre, conjux quondam nobilis militis domini Guillelmi de Rossilione domini Annoniaci, domicella, Jesu Christi et gloriosæ Virginis Mariæ salutem; et omnibus ejusdem amicis recommendatis orationibus suis gloriosis, et Fratrum religiosorum virorum in eodem Jesu Christo et gloriosa Matre ejus.

« Noveritis magnum gaudium nobis adfuisse, quando ad nos venientes prius litteras vestras videramus; nam revera large vobis mandavimus, quomodo in visione recepimus a Domino, ut fundaremus Domum vobis, voluntate Domini nostri Jesu Christi et gloriosæ ejus Genitricis. Ad hæc non ignoretis, quod post domini Guillelmi conjugis nostri decessum, multis mundi hujus occupationibus vexatæ fuimus, et maxime quia nostri carnales amici excitabant nos ad secundas nuptias transire; quod quidem nobis erat admodum dolorosum et amarum, cum in primordiis nostræ juventutis firmassemus cor nostrum in Deo et in sua Matre gloriosa, quod

nunquam alium ab illo, cui Jesus Christus nos copulaverat, susciperemus maritum. In hac ergo tribulatione tantaque conturbatione laborantes, deprecatæ sumus Dominum ut doloribus prædictis nos liberare dignaretur.

« Itaque inde accidit, quod quadam nocte nobis lecto decumbentibus apparuit in somnis quædam nobilissima crux argentea, admodum splendens et clara, et in circuitu ejus stellæ pulchræ valdeque lucidæ, quarum una præ cæteris propinquior cruci videbatur. Quadam insuper alia nocte inter quintam et sextam feriam, cum in eadem positæ tribulatione oraremus Dominum nostrum Jesum Christum, ut daret nobis per suam pietatem ex tanto dolore nostro consolationem, respexit item verax Deus et Mater ejus gloriosa ad orationem nostram; et visionem supra narratam iterato vidimus, ita quod crux et stellæ in tantum nobis appropinquarent, quod tangere nos velle viderentur; et cœperunt ire versus locum, ubi fundanda erat Domus nostra.

« Diluculo itaque pergentes perreximus ad ecclesiam, et ibi reddentes officia nostræ devotionis, de sancta et vera Cruce Missam fecimus celebrare; expletaque Missa, accersito militi diximus ut nostrum suumque properare faceret palafredum, equos etiam domicilii, quia equitare disponebamus. Nobis igitur iter arripientibus, et celeriter alios præcedentibus equitando, ecce crux et stellæ quas videramus, antecedebant nos, quousque venientes starent in loco, ubi erat dicta Domus nostra construenda, in quo quidem loco nos nunquam fueramus: nulli præterea hominum nostrum propositum de ædificanda nostra prædicta Domo revelaveramus.

Cum igitur pervenissemus ad locum, venit ad nos ille cujus erat possessio loci, dixitque nobis : « O Domina, ad quid huc venistis? Ego, inquit ille, hac nocte somniavi quod vos volebatis eamdem emere possessionem. » Quibus auditis, cognovimus hæc venisse voluntate Domini nostri Jesu Christi et benedictæ Matris ejus, et emimus dictam possessionem per duos viros prudentes et sapientes. Erat enim terra dictæ possessionis libera ab omnibus usagiis. Dictus vero possessor ab antiquo debebat nobis homagium.

Cum ergo esset dies pœnitentiæ, videlicet feria sexta, nostram ibidem corporalem recepimus refectionem. Casuque fortuito venit ad nos quidam latomus magister, qui tunc serviebat comiti Sabaudiæ; et a nobis interrogatus quo tenderet, respondit in hæc verba : « Domina mea, ego accessi ad vestram præsentiam, propter hoc quod mihi venit in mentem vestræ esse voluntatis unam fundare Domum Ordinis Cartusiensis. » Quo audito, quamvis paucas pro tunc haberem pecunias, nihilominus pactum cum eo fecimus, assignando pro ædificiis ipsius nostræ Domus, pe-

cuniarum quantitatem certam. Et licet liberis multisque aliis essemus oneratæ, tamen reditu et proventu, Deo miserante, abundavimus.

Super his igitur gratias Deo agimus, quantas valemus, quia dedit nobis velle tale opus aggredi et operari. Ipse enim omnia fecit et perfecit usque in finem, et omnium bonorum ipse est principium et finis, qui nos ad finem bonum perducat. Amen. »

Ista Beatrix fuit Fundatrix Domus Sanctæ Crucis in Jaresio. (Consule Auctuarium nostrum ad has Ephemerides, ubi loquimur de ea ad diem 24 Februarii.)

ARNOLDUS DE MONTE S. GERTRUDIS

PROCURATOR CAPELLÆ

De quo Chronicon hujus Domus agit his verbis : « Arnoldus de Monte sanctæ Gertrudis (cognomen patriæ ei datum), professus hujus Domus, Vicarius et Procurator. Vir multum venerandus. Primo Vicarius, deinde a Laurentio Muschelio Procurator constitutus, octo et viginti annis ita munus illud laudabiliter exercuit, ut in hodiernum usque diem sua illic laudum præconia perseverent. Vivebat in hoc officio virtute haud facile omnibus imitabili, nunc Marthæ, nunc Mariæ vicissim otium negotiumque consectans, et in extremis curis sabbathum mentis custodiens. Tandem ab officio absolutus, fuit in cella circiter duodecim annis, et Magister Novitiorum. Hic tantæ scribitur mansuetudinis et lenitatis fuisse, ut sibi similem Conventus viderit neminem. Cujus pietatis atque humanitatis industria factum est, ut ab omnibus loco parentis suavissimi et coleretur et amaretur. Spiritum Deo reddidit anno 1474, die secunda Junii. » Hæc Chronicon.

GISBERTUS FRANCO

CONVERSUS RUREMUNDÆ

Post exactos in Ordine sancte ac laudabiliter 85 annos, pie moritur, die 2 Junii.

Ex Mss. Cartusiæ Ruremundæ.

III DIE JUNII

ARDUINUS

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

Inter Allobroges nobilissimus, pater sancti Anthelmi episcopi Bellicensis; qui cum filiis magna virtute præditis, contemptis sæculi vanitatibus, secutus est in sancta Religione Salvatorem, ad Dei famulatum piis sancti Anthelmi adhortationibus et exemplis attractus. Felix pater qui tales habere meruit filios, cum quibus et a Domino coronam promeruit!

Ex Vita S. Anthelmi. Arduini meminit Ganneronius noster in suo Martyrologio ad hanc diem.

JOANNES DE CASTILLO

CONVERSUS MIRAFLORES

Vir profundissimæ humilitatis, ad obediendum promptissimus, silentii cæterarumque Ordinis observantiarum custos accuratissimus, singulari affectus in omnes charitate; moritur anno 1488, relicta sanctitatis opinione.

Ex Manuscriptis.

IV DIE JUNII

JOANNES BARDAI

MONACHUS SCALÆ DEI

Ex illustri familia in oppido de Fons, Comitatus de Ribagorça, natus, admittitur ad probationem anno 1460, 1 Octobris. Verum cum ob inscitiam inter Patres annumerandus non existimaretur, Deus, qui rude et impolitum Joannis ingenium sapientiæ dono excolere atque uberiori e cœlo luce perfundere volebat, cuidam Religioso per visum injunxit non Novitio professionis habitum denegare, dicens : « Talium est enim regnum cœlorum, et, cum simplicibus est sermocinatio ejus; » subjicitque : « De his lapidibus ædificatur Domus mea. » Quapropter Cartusianorum Scalæ Dei Albo per vota solemnia Joannes inscriptus, agni instar simplex et innocens, religiosissima sua conver-

satione veram hanc fuisse revelationem comprobavit; multarumque virtutum fulgore conspicuus, postquam per quadraginta quinque annos in spiritu et veritate Deo serviisset, ad puritatis Fontem evolavit anno 1500, die 4 Junii.

Annales Scalæ Dei. Joseph de Valles in Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

FRANCISCUS A ZACOSTA

PRIOR SCALÆ DEI

Cathalanus primariæ Nobilitatis; fuit nepos domini Petri Raymundi a Zacosta, magni Magistri Rhodiensium Equitum, nunc Melitensium Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, et Pontii a Zacosta, ejusdem Ordinis, qui Petro Raymundo fratri suo in Castellania de Amposta, in Aragoniæ regno, amplissima dignitate fuerat suffectus. Habitum Franciscus suscepit anno 1458, traditus disciplinæ Joannis Fort, a quo ad omnem formatus perfectionem, primo Procuratoris, postea Vicarii, deinde Prioris officio admovetur. Non diu tenuit Scalæ Dei gubernaculum; anno siquidem 1493, ad suam magnam instantiam, a Comitiis generalibus obtinuit exauctorationem; factus iterum Vicarius, se se semper exhibuit observantiæ regularis exemplum; forma commissi gregis factus, quamvis senio gravaretur, molestisque crurium cruciaretur doloribus, nunquam tamen sive diu sive noctu a divinis abfuit Officiis.

Postquam per totum vitæ spatium inoffenso pede decurrisset virtutis palæstram, tandem febre calida corripitur; cujus ardore æstuans et lapsus in phrenesim exilit e lectulo, versusque in furiam, volens sitim extinguere qua torquebatur, in vivarium aquis plenum se se projicit, sicque periit, anno 1505, die 4 Junii, suffocatus. Tam luctuosa mors Francisci vitæ prorsus religiosæ minus congruens summo dolore Patres affecit. Verum Deus ostendere volens, justum, quacumque morte præoccupatum, esse in refrigerium, mœrorem et tristitiam eorum protinus excussit.

Apparuit siquidem Franciscus cuidam monacho, qui plus cæteris dolebat defuncti vices, sicque eum affatus est: « Frater, dices Patribus et Fratribus meis, ne contristentur nimis sed consolentur, Dominumque collaudent pium et misericordem, qui non permisit animam meam cum corpore periisse. Fiantque certiores me, Beatorum consortio aggregatum, in Ætheris mansionibus feliciter habitare. Extra enim omnem sensum eram cum me dejeci in claustri vivarium. » Hæc dicens disparuit, se se cœlestes in auras recipiens. Quæ quidem visio, cæteris propalata, totam Domum non modico replevit gaudio, ubi tanquam sanctus semper audierat Franciscus; de cujus eximia virtute, inter cæteros, luculentum perhibuit testimonium beatus Bernardus Margarit,

vir admodum exemplaris et morum probitate spectabilis.

Annales Scalæ Dei. Joseph Valles in Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

BARTHOLOMÆUS VEJA

PRIOR SCALÆ DEI

Barcinonensis; in Divinis Scripturis eruditissimus, Theologus insignis, egregius concionator magnam sibi famam et existimationem in sæculo conciliaverat, cum ex Ordine sancti Francisci ad Institutum Cartusiense, solitudinis et contemplationis amore tanquam philtro illectus, transiens, in monasterio Scalæ Dei, die 16 Aprilis, anno 1554, nomen Ordini nostro dedit. Hanc eremum singulari quadam illustravit vitæ sanctimonia; erat enim vir integerrimus, exemplaris, insignique exornatus pietate. Non diu latuit, uti concupierat, in quiete claustri tantus Pater, qui virtutis suæ splendorem latius spargere dignus censebatur. Impositum siquidem ei fuit Procuratoris munium, assumptus deinde ad Vicariatum, tandem Prior constituitur, Cataloniæque Convisitator; obibat hoc officium Bartholomæus summa cum laude integritatis, in rebus agendis, peritiæ, prudentiæ, zeli et sapientiæ.

Verum cum semper ad solitudinem proclivior, sæpeque sæpius recogitans non venisse ministrari sed ministrare, omnem movebat lapidem, quo dignitatem hanc abdicaret, Deus annuit servi sui votis ansamque dedit suæ exauctorationis, quam avidus ille arripuit. Per id temporis ad indictam Tridenti sacrosanctam Synodum multi Præsules convocabantur. Ad illam pergebat mox perillustris Antonius Augustinus, Illerdensis antistes; cumque itineris socium habere Bartholomæum optaret, ipsum compellavit per epistolam; cui Pater, causatus se Priorem esse, respondit nequire se dare viæ comitem, nisi prius a regimine monasterii exoneraretur. In Ordinem igitur ad instantiam Episcopi redactus, cum se videret sui voti compotem, cum Præsul in procinctu itineris illum advocaret, rescripsit Bartholomæus, monacho cellitæ claustro pedem efferre esse illicitum absque licentia Reverendi Patris. Sicque prudenter Antistitis desiderium eludens, reliquum vitæ soli rerum cœlestium meditationi addictus transegit; donec collectis bonorum manipulis, in gaudium Domini anno 1566, die 4 Junii, evocatur. Solitus erat dicere, se in Ordine S. Francisci vovisse paupertatem, in Cartusiensi tenaciter hanc observasse.

Annales Scalæ Dei.

STEPHANUS TOPPIUS

MONACHUS BONONIÆ

Bononiensis; Antiquior hujus eremi; vixit silentii, disciplinæ monasticæ cæremoniarumque zelator. Cantoriam, orationum, lectionum et Epistolarum libros, quibus per annum in ecclesia utimur, aliaque multa venuste scripsit. Cellam suique custodiam antetulit omnibus officiis. Sua insigni simplicitate, humilitate, animi erga omnes demissione, Prælatis et universis charissimus. Egregie curam egit Novitiorum, ut mentali orationi assueti, sacro spiritualium intenti studio, paupertatis, obedientiæ, silentii ac solitudinis amatores, evaderent aliquando in viros perfectos. Mansuetudine, charitate, gravitate, modestia angelica spectatissimus, in senectute bona, morte prorsus placidissima Deo, cui erat conjunctissimus, spiritum reddidit, anno 1644, die 4 Junii.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

V DIE JUNII

JACOBUS DE MEISENBERG

MONACHUS TREVIRENSIS

Singulari erga beatissimam Virginem Mariam devotione affectus, eumdem amoris sensum instillavit beato Dominico Trevirensi et multis aliis, eosque inflammavit ad Rosarii recitationem. Hujus religiosissimi Patris memoria in benedictione est; qui post exemplarem vitam migravit ad immortalem, anno 1427, die quinta Junii.

Ex Chronico Cartusiæ Trevirensis.

HENRICUS ARNOLDI

PRIOR BASILEÆ

Saxo, dictus de Alleveldia; magnæ vir existimationis, clarus ingenio, eloquio dulcis, gravis moribus, laudabilis conversatione, in cognitione Litterarum Divinarum apprime exercitatus. Postquam officio Notariatus in Concilio Basileensi perfunctus fuisset, magnum apud Patres ibidem coadunatos adeptus nomen, se dedidit disciplinæ Cartusianorum ejusdem civitatis; ubi, cum omni virtutum genere floreret, Vicarium egit per quindecim annos. Ex hoc munere ad moderamen hujus monasterii anno 1449 assumptus, non minus sapienter quam utiliter præfuit usque ad

annum 1480, quo propter infirmitatem, senium et labores, quibus confectus fuerat, ad suas preces instantissimas exauctoratur. Aliquandiu supervixit, præstolans in silentio et solitudine salutare Dei, a quo tandem felici morte evocatur ad mercedem. Fatis concessit anno 1487, die quinta Junii, multum celebratus a Trithemio, Sutore, Sixto Senensi, Petreio et aliis.

Consule Chronicon Cartusiæ Basileensis.

SIXTUS

PRIOR SEIZ

Vir ob morum probitatem et vitæ integritatem laudatissimus, in magna apud suos et Provinciam Alemaniæ Superioris, cujus erat Visitator, veneratione simul et amore habitus, præmatura morte, ingenti sui relicto desiderio, præripitur anno 1512, die 5 Junii.

Catalogus Priorum.

JOANNES GOBELINUS

PRIOR CONFLUENTIÆ

Celebris ob eximiam devotionem, pietatem et vitam plane religiosam; ita in egenos munificus et liberalis, ut dum fungeretur officio Vicarii, sæpe sæpius vinum, quod sibi detrahebat, pauperibus erogavit, sola cervisia ipse contentus; nec minus effusa fuit illius charitas in pauperes dum Priorem egit; quo munere abdicato, moritur Herbipoli Vicarius, anno 1614, 5 Junii.

FRANCISCUS MARTINEZ

CONVERSUS DE PAULARI

E pago de Raseafria juxta hanc Cartusiam ortus; a teneris annis se se hujus Domus famulatui mancipans, postea propter indolem optimam inter Conversos adscriptus est. Sexaginta quatuor annos transegit in Ordine, in eadem Domo, præter tempus aliquod, quo pro fundatione cœnobii Eborensis apud Lusitanos moratus est. Magnæ fuit apud omnes existimationis ob vitæ sanctimoniam. Plane omnium horarum vir ad omne obedientiæ et charitatis ingenium factus ac faciens omnia. Ægris sanisque mira cum humilitate reverentiaque serviebat, noctes diebus jungens vigiles in eorum obsequium.

Nunquam otiosus, semper aliquid operabatur manibus, cumque opus difficile agere nequiret, textrinæ vacabat. Diversas factitabat artes: modo compingebat codices, modo monasterii lumina vitreis obserabat claustris, modo reficiebat fontium siphunculos, modo sternebat pavimento Cartusiam; ad omnia

Conversorum officia et virtutes insigniter idoneus, de se tamen semper sentiebat humillime. Fuit præterea cibi parcissimus, et patientissimus inter varias infirmitates; cumque usque in finem perseverasset, octogenarius placidissime spiritum emisit anno 1628, die 5 Junii, opinione relicta sanctitatis.

VI DIE JUNII

WINANDUS DE TREMONIA

PRIOR TREVIRIS

Dictus Steinbeck, Tremoniæ in Westphalia, diœcesis Coloniensis, ex familia patritia genitus; cum in primæva ætate ac flore juventutis suæ, de ordinatione et voluntate suorum, sæcularibus negotiis totaliter se dare decrevisset, omnipotentis Dei bonitas, sua ineffabili misericordia, ipsum nolentem et recalcitrantem de cœnulenta hujus mundi voragine et sempiterna sua damnatione jam proxima eripuit mirabiliter, et pia quadam violentia compulit intrare in Cartusiensem familiam.

Ipso namque in mari existente, anno 1362, 16 Januarii, tam sæva diraque, imo a temporibus Jonæ Prophetæ inaudita tempestas supervenit; Dominus namque ventum magnum illa etiam in nocte satis horrenda miserat in mare, ita ut navis periclitaretur. Quæ autem in ea erant, nautæ projecerunt in aquas, ut alleviaretur ab eis; nonnisi etenim certa mors præ oculis omnium versabatur. Instinctu itaque divino Winandus, imminens periculum et instantem mortem expavescens, ingrediendi Ordinem nostrum voto se obstrinxit firmissimo; Deique clementia tempestas tranquillitate subsecuta quievit.

Anno eodem in festo Dominicæ Annuntiationis, natus septemdecim annos, in Cartusia Gandavensi se se Dei mancipavit obsequio. Ibidem aliquo temporis spatio pervigilem et devotissimum Sacristam agens, a Dominis de Tyro, amicis suis et Cartusiæ Coloniensis benefactoribus, allectus Coloniam, in hac Domo juxta priscum morem secundam emisit professionem. Fuit vir vitæ admodum laudabilis, conversationis honestissimæ, ac conspicuæ religionis; ideo mox a professione primo in Procuratorem, postea in Vicarium Coloniensem institutus, tanto cum plausu hæc munia obivit, ut Prior datus fuerit Trevirensibus. Hanc dignitatem mira prudentia et Religionis zelo diutissime exornavit; verum honoris et oneris impatiens hanc excussit. Rediens Coloniam Vicariatum suscipere coactus est.

Verum ad majora natus, eligitur in Priorem Domus Argentinensis. Cum-

que anno 1402 Cartusia Basileensis inchoata fuisset, hujus novæ plantationis cura Winando, tanquam in rebus Ordinis expertissimo, concredita est. Ibi dum strenue ageret pro hujus monasterii fundatione, post multos exantlatos labores, primus Prior Basileæ moritur, anno 1409, die 6 Junii, relicta sanctitatis opinione. In Charta Capituli generalis anni 1410 legitur ejus obitus ad diem octavam Junii; verum in Chronico Cartusiæ Coloniensis signatur ad diem 6 Junii.

De Winando mentionem facit perhonorificam in suo Chronico Coloniensi Joannes Lotley, professus Coloniensis, et Henricus Arnoldi in Chronico Cartusiæ Basileensi. Catalogus Priorum Cartusiæ Argentinensis. Henricus Arnoldi refert eum obiisse die 6 Junii, in Solemnitate Corporis Christi.

RABBODUS ARENA

MONACHUS GANDAVI

Austeræ admodum vitæ ac sanctæ conversationis Religiosus, observantiæ regularis magnus zelator, spiritum Deo reddidit anno 1467.

Ex Chronico Gandavi.

VII DIE JUNII

JOANNES DE QUERCETO

MONACHUS CAPELLÆ

Auctor Chronici Capellæ, loquens de pessimis hominibus qui patriam anno 1493 fœde vexarunt, Joannis conversionem narrat his verbis : « Horum pessimorum hominum de numero unus fuit nomine Joannes de Flandria natus et nutritus Querceto. Hic etiam fuit miles in exercitu eorum qui per noctem intraverunt in oppidum Attrebatum. Et circa illud tempus, cum ego Tornaci habitarem, et quadam die Sabbati casu incendium accendisset circa domum ubi morabatur, ipsa die captus fuit hic Joannes et captivus Tornacum adductus ; cumque duceretur, acclamabant quidam ultionem sitientes, « Occidite, occidite ; » quibus clamoribus si exhorruerit conjicere licet. Sed quia satis facundus erat in patria lingua, postridie, reddita ratione, liber dimissus fuit. Qui cum inter tales mundi procellas ætatem ageret, sæpe miseram suam vitam deplorabat ; quocirca tandem resipiscens, ad Ordinem Cartusianum et ad Domum hanc confugit, animæ suæ salutem quæsiturus, ubi et receptus fuit, et professus monachus, et sacerdos.

« Conversabatur autem inter nos moribus urbanis, præditus acri ingenio, ad placationem facilis, victu sobrius et in receptione ad se ventitantium festinus. Fuit etiam Infirmarius ordinatus, quod ministerium non modo sollicite et sedulo, sed etiam alacriter obibat, cum tanta benevolentia tractans infirmos, ut si magister eorum fuisset, non potuisset diligentius. Ipse vero in extremis positus, laborans hydropisi, qua et mortuus est, gaudens dicebat se transiturum brevi ad Paradisum, inter lilia et rosas floresque Paradisi ambulaturum. Obiit autem in præsentia multorum Fratrum, 7 Idus Junii, anno 1505. »

Hæc auctor Chronici Capellæ; qui sub vigesimo octavo Priore istius Domus refert quomodo monasterium a latrunculis fuerit diu divexatum. Quæ lector videre poterit in nostro Volumine Provinciæ Teutoniæ.

OLIVERIUS

PRIOR VALENCENNARUM

Professus Gosnay; ubi dum Vicarium ageret, translatus ad moderamen Valencennarum, ibi præfuit ab anno 1545 usque ad annum 1549, quo redactus in Ordinem, postea rursum instituitur Vicarius; in hoc officio vitæ cursum absolvit anno 1568, die 7 Junii, in senectute bona. Vir fuit valde religiosus, qui exegit in Ordine multum laudabiliter 50 annos.

Catalogus Priorum.

VICTOR PETITFRERE

VICARIUS PARISIENSIS

Vir addictissimus spiritualibus exercitiis; unde primo factus Cartusiæ Borboniensis, postea Parisiensis Vicarius. Postquam virtutum exemplis has Domos illustrasset, plenus bonorum operum, naturæ debitum persolvit anno 1637, 7 Junii, ætatis suæ anno 56.

VIII DIE JUNII

SIMON BARBIER

PRIOR NOVIOMI

Vir percelebris, oriundus Hamo, oppido in Veromandia ad Somonæ ripas; postquam in patrio solo inter infantiæ rudimenta imbutus est elementis inferioris scientiæ, ad solidiora contendens, ætate jam adulta, primum Noviomi, deinde Parisiis altioris scientiæ messem colligere studuit. Sed et Philosophicis

instructus opibus, Magisterium adeptus est laureamque liberalium artium. Inde redux Noviomum, merces comparatas scientiarum exponere mox cœpit in gymnasio Cappatorum Noviomensium, ad quod tum promiscue instruebantur ventitantes ex omni Viromandia, multi Nobiles et plebeii in Clerum postmodum aut in forum promovendi. Porro cum Simon in pulvere Noviomensis lycæi marcesceret, totus literarum humaniorum doctrinæ intentus, nihil minus quam de vitæ mutatione cogitans, ex improviso facta est super eum manus Domini; et mutatus in alterum virum, conversionem, stupentibus omnibus, arripuit.

Ea siquidem tempestate, id est anno 1515, tetra epidemiæ lues vastare cœpit Veromandiam, nedum Picardiam omnem. Cumque Noviomi maxime sæviret, præstolabantur omnes, si aliquo modo, exacta hyeme, morbus se remitteret. Sed cum, anno sequente, plaga dirior ingravesceret, pluribus jam consumptis, multi stupentes femori suram imponebant. Nec immerito, nam nonnisi post quatuor annos pestis illa cessavit. Igitur Simon noster timore mortis, quæ per omnes indiscriminatim sæviebat, salubriter compunctus, spondet conversionem morum, et altero anno morbi ingruentis ad effectum perducit, id est anno 1516, quo in Cartusia Noviomi, die prima Augusti, inter Novitios annumeratur; postquam ejus conversatio omnibus probata fuisset, omnium quoque calculis suffragantibus, vota monastica nuncupavit. Mox quamvis inter tyrones recensitus, inter seniores quasi insplenduit ex inolita prudentia et animi maturitate. Superadulta quippe ætate nitens, jampridem abdicaverat puerilia, et ex compositis moribus nescio quid, jam ab ipso conversionis crepusculo, futuræ virtutis ingerebat.

Non sine singulari Dei providentia actum est, ut a die professionis usque ad illud tempus quo ad Prioratum assumptus fuit, nullis irretiretur officiis, nullis claustralibus ablactaretur delitiis. Experientia siquidem teste probatum est novos eremitas Cartusiæ minus valere in spiritualibus, si præmature abstrahantur a suis cellis et temporalibus illaqueentur negotiis. Igitur toto illo septennio et negotioso illo claustrali otio, radicatus ad puriorem regularis disciplinæ observantiam et unctus ad palæstram spiritualem, quasi leunculus e fovea natali et ex ubere matris non emersit, nisi formatis unguibus et ad prædam compositis. Hoc septennium quietis cœnobiticæ ætatem auream suæ vitæ postmodum vocitabat; quæ enim præcesserat in sæculo ætas, quasi ferrea fuerat, et quæ post assumptum regimen Domus sibi commissæ subsecuta est, non nisi ex aurichalco probata est fuisse.

Anno 1524 Prior hujus Cartusiæ per electionem monachorum renunciatus, obedire compulsus jugo obedientiæ collum aptavit, et egregie sui prædeces-

soris vestigiis insistens, eum etiam adæquavit in multis, nedum superavit. Observantiam claustralem quam reperit apud suos prospere incedentem, ut etiam incederet felicius, omnem conatum adhibuit; ita ut Cartusia Montis sancti Ludovici eo tempore in speculum esset toti Picardiæ, nedum Ordini universo. Repererat autem Domum pluribus syngraphis ligatam, et ædificia cuncta ex vetustate casui proxima : et mox ubi debita dissolvit, manum cœpit mittere ad fortia, Domum quasi de novo aggressus instaurare; Deoque ejus cœptis aspirante, ac benefactoribus nonnullis manus adjutrices porrigentibus, quod incepit feliciter consummavit felicius.

Interim erga inopes ita commiserationis affectu et pietatis visceribus affluebat, ut quamvis restaurandæ Domus causa sumptus faceret infinitos, nullam tamen mendicis deperire quotidianam annonam voluerit. Fame autem universum Belgium affligente, cum et ad Noviomensis urbis oras pervenisset, et magno numero pauperes confluerent ad eleemosynam, imperavit Prior Fratri Converso, qui horreorum curam habebat, ut largiores solito eleemosynas adventantibus porrigeret. At ille animadvertens jam fere evacuata horrea, nec superesse unde vel octo dies monachi claustrales alerentur, hoc intimavit Simoni, qui nihilominus ut perfecte adimpleret imperata districte mandavit, quod et Frater Conversus exequutus est. Sed cum dictus Frater ad horrea more solito pergeret pro largiendis eleemosynis, ea reperit tanta frumenti copia abundare, ut ostium vix aperire potuerit. His attonitus ad Priorem rediens, pandit miraculum. At ille, « Vide, mi Frater, quales fuissemus, si tuæ obaudiissemus diffidentiæ. Spera de cætero in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. »

Jam ab anno 1514 induerat affectum erga Cartusianos prosapia et doctrina nominatissimus Carolus Bovillus, dynastes de Roysel et canonicus Noviomensis. Ut agnovit Simonem factum Priorem domesticæ eremi Noviomensis, cui jam a sæculo privata necessitudine junctus erat, eum amplius ex virtutis et doctrinæ merito coluit. Hujus quoque rei gratia multus erat Bovillus apud Cartusianos, et sæpe per litteras Simonem conveniebat. Accidit autem die quadam, ut ad eos visitationis gratia accedens, multa colloquia haberet cum Fratre Venturino, eremita, ibidem ex mandato Regis Franciæ degente. Iste solitarius in Romandiola multa futura Leoni Pontifici prædixerat; et quia veritas odium parit, quinquennali carcere damnatus et postea liberatus, primum venit ad Franciscum regem, a quo benigne susceptus est et multoties auditus. Cumque eum diutius detineret Rex, accidit ut ab anno 1529 de pace inter Franciscum et Carolum Cæsarem ageretur et tandem sanciretur. Scripsit interea rex Franciscus ad Simonem et

Noviomi Cartusienses, quo secum dies aliquot Venturinum eremitam sinerent hospitari ob vitæ eremiticæ consuetudinem; sicque ad aliquod tempus cella et mensa eadem exceptus in ipsa Cartusia, soluta curia Cameracensi ad Regem evocatus est.

Porro cum Simon diu Domui sibi commissæ totique Provinciæ cujus erat Visitator utiliter præfuisset, variis excoctus morborum tribulationibus et pressuris, diem extremum sanctissima morte clausit anno 1546, die 8 Junii.

Chronicon Cartusiæ Noviomensis.

FRANCISCUS CARASCO

CONVERSUS DE PAULARI

Miræ vir humilitatis, et in divino famulatu fervore succensus, inter quotidianos labores nihil unquam de spiritualibus exercitiis remisit; quibus cum per 32 annos addictus fuisset, pie in Domino obdormivit, anno 1557, die 8 Junii.

Ex Manuscriptis.

JACOBUS

MONACHUS S. GERTRUDIS HOLLANDIÆ

Qui ultra quinquaginta quinque annos in Ordine laudabiliter egit; eo autem laudabilius, quo constantius Deo et religioni fidem servavit in medio pravæ nationis, per plures annos varias sustinens ab Hæreticis tribulationes; ab eisdem pulsus, hospes decessit in Domo Lyræ anno 1622.

Ex Manuscriptis.

IX DIE JUNII

LUDOVICUS MERCADER

EPISCOPUS DERTUSENSIS

Nobilissimo et antiquissimo genere de Mercader ortus, præstantiorem tamen sibi ex virtute comparavit nobilitatem. Patrem habuit Galceranum Mercader, baronem de Brinol, equitem generosissimum; qui Ductor militarium Ordinum Alphonsi Quinti regis bello regnum Neapolitanum occupantis, strenue se admodum gessit et cum eximia animi fortitudine. Immortalem sibi etiam acquisivit gloriam, dum Franciscum Sforce ex ditionibus Ecclesiæ, quas invaserat, expulit magnanimiter. Cujus auxilii Sanctæ Sedi Romanæ præstiti

gratia, scutum familiæ Galcerani cum suo nomine depictum remansit super ostium sancti Joannis Lateranensis.

Nascitur Valentiæ Ludovicus anno 1444, præstanti a natura instructus ingenio, multumque in litteras propensus, humanioribus scientiis Valentiæ, Mathematicis autem artibus et Theologiæ in alma Salamancæ Academia operam dedit. Postquam magna cum laude harum scientiarum palæstram decurrisset, rediit in patriam, artium laurea et Doctoris prærogativa cohonestatus.

Cum parentes illius timerent ne juvenis otiosus, quamvis aliunde optima præditus indole, e quotidiano sodalium æqualiumque commercio, luxum vitæ mollioris secum trahens, licentiæ juvenilis æstu abreptus rueret præceps in vitia, sollicitarunt ut Salamancam reverteretur, omnis doctrinæ ornamento ibidem decorandus. Calcar bene suapte natura currenti non fuit addendum. Proclivis siquidem in studia Ludovicus, relicta patria, rediit Salamancam, scientias quas ignorabat, investigaturus. Ad laboris assiduitatem et discendi ardorem accedebat in illo ingenii felicitas, qua Canonum et Legum cursum emensus, Doctor in utroque Jure renuntiatus fuit.

His adauctus titulis Valentiam repetiit, magno cum gaudio a parentibus suis exceptus, qui miram de illo spem concipiebant, ipsumque, ob eximias ejus animi dotes veluti decus et ornamentum familiæ existimantes, jam designabant ad honores debitos. Verum divina cor illius illustrante gratia, Ludovicus longe majora animo versare cœpit : caduca etenim omnia quæ sub sole sunt considerans, et omnes homines esse morti obnoxios, ubi vigesimum quartum attigit ætatis annum, fallaces illecebras mundi fugiens, anno 1468 se se Deo consecravit in Cartusia Vallis Christi.

Vix Religionis stadiodromon ingressus, eum virtutis cursum instituit, quo non ignaviter, aut incerta meta curreret, sed Apostoli exemplo tyrocinium ab ipsa corporis et sensuum castigatione exordiretur. Primum itaque hujus stadii cursum a jejunio auspicatus (quo, teste Cypriano, vitiorum semina siccantur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitivæ voluptates abeunt, extinguitur ardentis Ætnæ incendium, et flammivomi fornax Vulcani extincta extrinsecus montes conterminos non adurit), tam severa abstinentiæ lege carnem perstringere et gustus delitias persequi cœpit, ut feriis secunda, quarta et sexta, familiaria illi essent panis et aquæ jejunia; quod quidem durum vitæ genus semper ad extremum usque retinuit. Et quamvis postea magnis negotiis occuparetur longinquisque sæpe sæpius fatigaretur itineribus, nihil tamen de abstinentiis suis remisit.

Nullum oratione pretiosiorem thesaurum, nullam epulam esse jucundiorem existimabat, in qua mens supernorum donorum opibus ditata suavissime

cum Domino epulatur; quapropter assidue vacabat rerum cœlestium contemplationi, silentii solitudinisque amantissimus. Tanta in eo elucebat humilitas, quæ virtutum origo et mater est, quæque his qui currunt in stadio viam aperit ad perfectionem, ut, per sanctioris vitæ semitas gradiens, Religiosus numeris omnibus absolutus evaserit.

Porro vix annos aliquot a professionis die transegerat, cum ei Novitiorum cura committitur : cui muneri splendorem potius contulit, quam ab eo accepit. Prælucebat enim tyronibus magna cum mentis integritate, disciplinæ regularis observantia modestiaque, in omnibus se ipsum præbens bonorum operum exemplar, Novitios in omni pietate, spiritus fervore ac devotione instituens. Pastor etenim animarum, cum Dei simulachrum sit, bonus et sanctus esse debet, ut forma gregis esse possit ex animo.

Ad quælibet Ordinis munia natus, anno 1476, negotiorum Domus curam suscepit. Molestum adeo ei fuit hocce Procuratoris officium præ suæ solitudinis amore, ut ad instantissimas preces suas cellulæ suæ redditus fuerit, liber a sollicitudine rerum temporalium, in tabernaculo Dei cœlestia tantummodo cogitaturus.

Per id temporis, Capitulum generale venerandum Patrem Petrum Ruffi, natione Gallum, delegavit, qui totam Cataloniæ Provinciam lustraret : utque commodius suo fungeretur officio, absolutus a Prioratu Domus Castrensis, ab eodem Capitulo Prior Vallis Christi ordinatus est. Anno 1488, cum Petrus visitasset Cartusiam Portæ Cœli, cujus Prior erat in Ordinem redigendus, cumque juxta suam potestatem alium ipsi subrogare posset, omnia prudentissimus Pater suaviter disponens annuit monachorum votis, qui communi calculo Ludovicum in cellula delitescentem postularunt in Superiorem. Horum petitionem Petrus significavit Comitiis generalibus ejusdem anni, cui subscribentes Diffinitores Ludovicum præfecerunt Portæ cœli.

Hujus eremi moderamen suscipiens, omnium sibi conciliabat animos, omnibus omnia factus. Unde cum suavissimæ illius administrationis fama ubique diffunderetur, tanto Pastori subesse, si aliquando eligendi haberent opportunitatem, totis animæ medullis cuncti exoptabant.

Sub anni 1489 exordium, jam absolutum fuerat Cataloniæ Visitationis opus; exactoque demandatæ Petro Provinciæ tempore, cum ipse legationis suæ rationem redditurus Comitiis proxime futuris in patriam remeare, negotiis feliciter expeditis, cogeretur ; alio evocatus, monachis Vallis Christi capitulariter congregatis admonuit instare reditum suum in Galliam, et ne Pastore orbati remanerent, aliquem qui suppleret suas vices nominandi facultatem eis concessit. Unanimi consensu Patribus Ludovico suffragantibus, e

regimine Portæ Cœli ad clavum Domus suæ professionis transfertur; cujus administrationem die vigesima octava anni supra memorati cum omnium ingenti gaudio capessivit.

Rebus ita sapienter et fauste dispositis, jam suum iter parabat Petrus ad Cartusiam Majorem, cujus comitem sibi Ludovicum adjunxit, virum ob morum facilitatem laudatissimum, egregie cordatum insignique præditum morum probitate; quibus præclaris dotibus illectus, R. Pater Generalis cum Diffinitoribus Capituli non solum electionem Ludovici ratam fixamque habuit, verum etiam eum nominavit, tanquam bene meritum, Cataloniæ Visitatorem. Redux in Domum, velut Ahod ambidexter, illam multis adauxit ædificiis, ædiculamque construxit sacram beatæ Mariæ Magdalenæ, quam impense colebat.

Quo vero magis in se ipsum rigidus ac severus erat, eo ampliori (quod veræ virtutis argumentum est) ac tenera quadam in alios compassione ferebatur; atque ideo erga illos qui vel tentatione, vel adversitate, vel ægritudine aliqua premebantur, sincera afficiebatur charitate, paterna singulis exhibens viscera, omnesque filios suos Christo lucrifaciens morum suorum suavitate.

Mira erga pauperes in eo pietas elucebat, nihilque relinquebat intentatum, quo miserias illorum modis omnibus sublevaret. Diebus Natalis Domini, duodecim mendicos solitus erat advocare, quibus ipse largiores erogabat eleemosynas; denique nullus erat inops, nullus calamitosus, cui Ludovicus summo cum amore non succurreret.

Tranquilla valde erat pacificaque Vallis Christi eremus, Ludovico Domus clavum tenente, dum ipse ad tranquilliorem vitæ solitariæ portum anhelans, tacitus ab officio Prioris se se expedire jam diu meditabatur. Sub hæc tempora, anno videlicet 1491, die 1 Octobris, Prior Montis hilaris et Jacobus Baronis, Cartusiæ Majoris monachus, Commissarii monasterium hoc visitarunt; a quibus ita opportune importune petiit suam absolutionem, ut eam tandem aliquando extorquens, die 14 Octobris Prioratui renuntiaverit.

Nihil accidere potuit monachis acerbius, quam tanti Pastoris animarum abdicatio; cumque ipso carere nequirent, anno 1492 rogarunt Patres in Comitiis nostris congregatos, ut Ludovicum in pristinam dignitatem restituerent. Verum cum eis Capitulum generale non fecisset satis, subsequens, anni scilicet 1493, iterum sollicitarunt. His se adjunxit Guillelmus Bessaldu, qui suffectus fuerat in Ludovici locum; qui Capituli Diffinitoribus scribens se huic imparem esse oneri, super Ludovici ad illud idonei humeros imponendo, obtinuit suam exauctorationem. In illis Comitiis ordinatum est, ut Priores Portæ Cœli et Scalæ Dei futuræ electioni Vallis Christi assisterent. Domesticis ambo Priores præpediti negotiis, Do-

mum hanc adire non potuerunt hoc anno, sicque coacti procrastinare electionem usque ad exorientem annum 1494. Demum coadunati cum Religiosis omnibus, electum communi calculo Ludovicum die 9 Januarii confirmarunt. Quantum lætitiæ monachis, tantum tristitiæ Ludovico attulit iste delectus; verum non potuit illud oneris declinare, suorumque votis invitus acquievit.

In subsequentibus Ordinis Comitiis Cataloniæ Visitator renuntiatus, postea Commissarius generalis delegatus est in Alemaniam, ut istius Provinciæ Domos visitaret: opus erat viro sagaci, in rebus agendis perito et observantissimo disciplinæ regularis, qui non esset acceptor personarum. Per id enim temporis præerat in quadam Domo Germaniæ filius cujusdam Principis, qui humilitatis Christianæ parum memor, imperabat cum austeritate; quapropter Religiosi, tam duri regiminis impatientes, sæpe sæpius rogaverant R. Patrem, ut huic malo medelam adhiberet. Ludovico utpote intrepido res committitur; qui, cum singulari omnium plausu totam Provinciam lustrasset, tandem invisit Domum illam, cujus Priorem, nulla penitus nobilitatis ejus habita ratione, exauctoravit.

His perhonorifice perfunctus muniis, cum magno loco esset apud Ferdinandum Aragonum regem et Elisabeth, bis ab eodem rege legatus, in Hungariam mittitur ad regem Ladislaum et Maximilianum I Imperatorem. Magnam sibi ex hac legatione comparavit famam; marmoreumque ex his regionibus Christi simulachrum affabre elaboratum advexit, quod in Capitulo hujus Cartusiæ fuit collocatum.

Anno 1499, Legatus mittitur Romam ad Alexandrum VI Summum Pontificem; quod quidem munus obivit magna tum Pontificis, tum Patrum purpuratorum laude, a quibus valde fuit honoratus; per duos annos Romæ versatus est. Aliquando a Cardinalibus invitatus ad epulas excipitur: cumque ei carnes subministrarentur, virque propositi tenax a vetitis cibis se abstineret; qui noverant animum illius inflexibilem in illibatis Patrum suorum legibus servandis, Papæ licentiam carnes comedendi Ludovico polliciti, causabantur ætatem illius abstinentiis et laboribus fractam, Legati etiam munus, quo (juxta eorum sententiam) liber a Cartusianorum jejuniis nimium severis videbatur. Verum qui eo usque sanctam a carnibus abstinentiam per multos annos pertinaciter observaverat, noluit unquam illicito gustu sui Ordinis Fratribus fœdum de se præbere exemplum. Rediit ex Urbe, multis et pretiosissimis donatus a Pontifice Reliquiis, quibus ditavit Vallem Christi.

Vix reverso in patriam, statim a præfato Pontifice, ad instantiam Ferdinandi, Domus Religiosorum Aragoniæ traduntur reformandæ. Hoc laboriosum opus aggrediens Ludovicus, fretus auxilio Divino, collapsam in diversis Or-

dinibus observantiam regularem restituit, fortiterque simul et suaviter minus religiosos homines revocavit ad vitam castigatiorem, quorum etiam animos sibi devinxit. Ita Deus piis Ludovici conatibus favebat. Eodem tempore quo peragebat Visitationes, anno 1502, collegam habens fratrem Petrum Stephanum, Priorem Carmelitarum Valentiæ, in eadem civitate fundavit parthenium ejusdem Ordinis strictioris observantiæ, quod dicavit in honorem Dominicæ Incarnationis, quod etiamnum Incarnationis monasterium nominatur.

Postquam in restauranda regulari disciplina apud Religiosas familias strenue, prudenter feliciterque insudasset, Ferdinandus, cui Ludovici probitas, sapientia et ingenium innotescebant, cuique tanti viri prudentia et in rebus agendis industria erant pernecessariæ, eum anno 1504 adhibuit in consiliarium et sacræ Confessionis exceptorem. Cujus quidem officii gratia, Ludovicus regem Neapolim transfretantem comitatus est. Negotiis diligenter ibidem expeditis, Ferdinandus anno 1507 remeavit Valentiam; memorque officiosorum Ludovici laborum, multis adauctum beneficiis dimisit.

Occupatior in dies Ludovicus regni negotiis, minus domesticis vacare poterat; itaque identidem rogabat Ferdinandum, ut cum bona illius venia liceret sibi ad suum reverti monasterium, cui suæ frequentiores absentiæ non modicum detrimentum causabant. Rex vero, cum indigeret opera illius et consiliis, nunquam permisit eum a se digredi. Interim Ludovici diuturniores in Aula regia moras moleste ferebant monachi; cumque amplius sine Pastore esse non valerent, ad generale Capitulum querelas suas detulerunt, quibus sic respondit Ordo parum acceptor personarum. Verba autem Chartæ anni 1508 talia sunt : « Priori Domus Vallis Christi pro nunc non fit *misericordia ;* attenta tamen ejus jam longa absentia a sua Domo et usque in præsens sibi credita Provincia, eidem præcipimus, injungimus et mandamus, ut infra proximum festum Omnium Sanctorum, relictis aliis negotiis, propriis intendat, et ad dictam ejus Domum, regia Curia relicta, revertatur; quod si facere neglexerit aut contempserit, lapsa ipsa die, illum ex nunc prout ex tunc ab officio Prioratus dictæ Domus Vallis Christi absolvimus et absolutum declaramus, electionem Conventui remittendo : quam eo casu confirmabit, si canonica fuerit, Prior Domus Portæ Cœli cum socio Priore vel monacho quem duxerit eligendum. »

Gravis admodum fuit hæc comminatoria in tantum virum Capituli admonitio; verum cum ex sæcularibus negotiis se se, ut optabat, non posset expedire, Ferdinando obsistente reditui illius in Cartusiam, ita nihilominus instanter egit, ut tandem aliquando Domum suam repetierit, a suis monachis ingenti cum gaudio susceptus.

Vix suis redditus fuerat, cum Rex, ejus absentiam ægre ferens, cum illius consiliis semper indigeret, jussit, postpositis monasterii sui rebus, utilitati publicæ cito citius ad se accedere, regni negotia tractaturus. Molestum valde fuit Ludovico Ferdinandi mandatum, cui volens nolens, relicta cellulæ quiete, coactus fuit acquiescere. Sicque iterum abiit in Aulam.

Interim nonnulli Patres discessum Ludovici subaccusarunt apud generale Capitulum, a quo deputatus fuit Prior Majoricarum cum alio, qui querelas eorum ponderaret ad veritatis lancem. Anno etiam 1510 iisdem Patribus suas querelas redintegrantibus, a Comitiis nostris absolutus a Prioratu Vallis Christi, præfectus fuit Prior Scalæ Dei, dataque est monachis Vallis Christi facultas alium substituendi in illius locum.

Convocatis ad eligendum monachis, media pars in Ludovicum propensior eidem suffragata est; verum cum qui electioni Priores aderant, Ludovicum a Capitulo exauctoratum jam a Prioratu Vallis Christi, rursus ibidem a monachis Præfectum non judicarent confirmandum, rem ad R. Patrem Franciscum a Puteo, summum Ordinis Antistitem, detulerunt. Hic cum delegasset Priorem de Paulari, ut electionem investigaret, eam R. Pater Capitulo subsequentis anni, videlicet 1511, reliquit examinandam. Agitatum fuit hocce negotium a Diffinitoribus, qui Ludovicum officio Prioris imparem præ regni negotiis, ipsum penitus absolverunt. Ipse enim anno 1510 redux a Capitulo generali, solam tantummodo Scalæ Dei possessionem capescens, statim, relicta illius administratione Joanni Ros Correrio, discesserat, nunquam ab eo tempore ad Scalam Dei reversus.

Notabilis multum fuit hujus Capituli generalis lata in Ludovicum sententia: qua innotescit, quantum severus sit Ordo noster, dum in suis reperit pravitatem; Ludovicumque forsan suæ professionis minus memorem, nimiumque se dantem sæculi rebus, acriter perstrinxit. Desinit autem hæc Ordinatio Capituli generalis anni præmemorati 1511 his verbis : « Dictus vero Mercader absolutus, suam aut aliam Domum dictæ suæ Provinciæ sibi eligat, et ad eam, omni mora et excusatione cessantibus, relictis alienis etiam Domum Cartusiæ aut hoc nostrum Capitulum generale concernentibus negotiis, se transferat, ibidemque suam salutem operari studeat ; mandando Priori cujus Domum elegerit, ut eum benigne recipiat, et ejus senectuti compatiens de necessariis sibi more Ordinis et de uno servitore provideat. »

Hæc Comitiorum nostrorum dispositio pepulit valde Regis animum, qui stomachatus, quod Ordo noster cum Ludovico sui gratia paulo durius ageret, nactus occasionem ipsum meritis cohonestandi dignitatibus, anno 1513 eum in Episcopum Dertusensem nomi-

navit. Iniit possessionem Ludovicus anno 1514, die 13 Januarii, nunquamque deflectens a Cartusiensi humilitate, se gessit ut Episcopum irreprehensibilem, Pastorem vigilantissimum, divinique cultus studiosissimum.

Anno 1513, e vivis excesserat illustrissimus Frater Joannes Enguerra, episcopus, vulgo de Vique, Dertusensis et Illerdensis, ac Inquisitor generalis in regnis Navarræ et Aragoniæ; cujus officio Inquisitoris Ferdinandus Ludovicum præfecit, eique dedit præfecturam generalem præfatorum regnorum Inquisitionis. Has dignitates exornabat summo zelo, charitate ferventissima eximiaque in omnes affabilitate. Mire autem infulas cum monastica professione conjungebat. Habitum etenim Cartusiensem nunquam dimittens, vitæ austerioris quam professus fuerat, ad extremum usque spiritum fuit tenacissimus. Semper a carnibus abstinuit, cilicium gestans, duras semper custodivit Ordinis nostri vias.

Ita fuit R. Patri Cartusiæ addictus, ita mandatorum illius cultor, ut nihil ageret ipso inconsulto, sed se se ad illius nutum componeret. Cum bona illius venia monachum Vallis Christi assumpserat secum, cujus consilio utebatur simul et solatio. Cum ei licebat per otium, divertebat apud Patres Vallis Christi, ibidem per duos aut tres menses in cellula quam antea habitaverat, rerum cœlestium contemplationi tantummodo vacans, cætera monachi munia summo cum fervore spiritus obibat. Porro nihil erat ei jucundius, nihil gratius quam se se apud Cartusiam recipere.

Jam pene effluxerat annus 1515, cum redux ab Aula Ludovicus, a Rege, tunc in civitate Burgensi demorante, fuit accersitus. Cumque negotia diligenter absolvisset, reversus in patriam parabat iter ad Domum Vallis Christi, cum in urbe de Bunol extremo morbo corripitur, annum agens ætatis 72. Sub idem tempus Rex naturæ debitum persolvit anno 1516, die 23 Januarii. Cum autem Ludovicus ultimam diem imminere sibi præsentiret, apoplexia tactus loquelam amisit, tamen semper sui compos; illius mortem maturante sanguinis emissione, linguæ usum ante obitum recuperavit, multaque eructans cœlica, sanctissime spiritum Creatori suo reddidit anno 1516, 9 Junii. Cujus corpus advectum in Cartusiam Vallis Christi, depositum fuit in sacello divæ Mariæ Magdalenæ, quod ibidem Prior erexerat et Episcopus postea perfecerat.

Circa annum 1599 sepulta fuit in eodem loco filia Dionysii Clementis, civis Valentini. Cumque in benedictione esset memoria religiosissimi Præsulis, Patres Vallis Christi capsam in qua corpus illius conditum fuerat, curiose inspicientes, tam integrum atque incorruptum repererunt, ut nec quidem vestes illius detritæ aut putrefactæ essent. Facies vero instar viventis colorata, barba hærens, omnesque corporis partes

incorruptæ, quidni illum apud Deum viventem ac perpetua animæ incorruptione, si minus canonica, pia saltem fide donatum ostendant?

Circa etiam annum 1649, eodem modo Ludovici cadaver inventum referunt; ex cujus mandibula dentem extrahere, in lipsanotheca recondendam, cum voluissent, ita tenaciter adhærebat, ut eum in loco suo relinquere fuerint coacti.

Hujus Vitam Joachim Alfaura, Exprior Vallis Christi, Hispanico sermone descripsit in sua Historia Vallis Christi, ex qua excerptam Latine transtulimus.

ROBERTUS BENETI

PRIOR BELLÆ VALLIS

Professus Shene, abdicato Prioratu Bellæ vallis, sancte decessit circa annum 1518, post exactos in Ordine laudabiliter quinquaginta annos.

JACOBUS CENSIER

PRIOR MONTIS MERULÆ

Patria Compendiensis; sæcularis sacerdos curamque parochialis ecclesiæ gerens; anno 1600, die 17 Januarii, vota professionis emisit in Cartusia Majori. Cumque in omni pietate primitias claustralis Vitæ expendisset, omnium Fratrum et ipsiusmet R. P. Brunonis d'Affringues calculo inter probatioris vitæ monachos recensitus, dignus demum habitus est, qui extra finem Allobrogum spargeret suæ religiositatis lumen. Præerat tum Monti Dei Petrus Serval, qui Vicario destitutus, cum regularis observantiæ studio teneretur, et dimissam sibi ab antecessoribus disciplinam tenere sartam tectam et in dies vellet promovere, petivit ab Antesignano Majoris Cartusiæ Priore, quatenus ad se mitteret virum quemdam eximium, quem Propræfectum sibi concreditæ Domui constitueret.

Moxque R. Pater ab se ablegavit Jacobum Censier, scribens Petro Serval se speciosissimam totius hortuli rosam ad eum dirigere; quo sane elogio quid brevius, quid cumulatius? Et revera, statim ut attigit Domum Montis Dei, nihil antiquius habuit, quam ut opinioni de se conceptæ responderet. Exemplariter namque vivens, et juniores neophytos ad consectanda SS. Patrum vestigia per pietatis itinera perurgens, satagensque divinam synaxim rite celebrari, curabat eximii Vicarii partes adimplere. Anno itaque 1611 Prior Abbatisvillæ institutus, plures Novitios adlegit ad Ordinem, eamque eremum, quæ nonnihil a pristino fervore intepuerat, ita ad normam regulamque reduxit, ut omnem a claustris eliminaverit anormiam. Translatus deinde ad regimen Boni loci, tandem Montis merulæ Prior institutus et Burgundiæ Convisitator, ibidem, pietate, humilitate ac morum affabilitate omnibus charus, fatis cessit, anno 1624, die 9 Junii.

X DIE JUNII

FRANCISCUS DE VALDERRAMA

PRIOR DE CAÇALLA

Omnium virtutum laude clarus, summa præsertim humilitate mentis excelluit. Orationi etiam apprime deditus, semper suspensum animum gerebat in Deum, cujus præsentia mirifice delectatus, Angelicam prope modestiam exhibebat. Obedientiæ cultor eximius, omni studio contendebat explere Superiorum voluntatem. Non diu præfuit in Domo de Caçalla; exauctoratus ab officio, rediit ad Domum de Covis suæ professionis, ubi Deus servi sui patientiam acutissimis podagræ doloribus exercuit. Hos sustinuit Franciscus summa cum animi tranquillitate; cujus quidem patientiæ impatientissimus hostis generis humani, variis molestisque tentationibus eum impugnavit horrificisque spectris.

Decantabat aliquando bonus Pater in choro Responsorium, cujus librum diabolus caligine obtenebrans (adeo ut Franciscus notas legere non posset), dixit : « Ego te molam et conteram. » Cui vir Dei humiliter subjunxit : « Paratus sum libenter pati quidquid Domino Jesu Christo placuerit. » Unde, persolutis precibus nocturnis, in cellulam se recipiens, tam fœde a dæmone verberibus flagellatus est, ut præ vulnerum acerbitate stare nequiret. Victor tandem evasit e prælio, plagas diaboli ac insultus mira patientia et hilaritate debellans.

Horas Canonicas quæ in choro persolvuntur, tanta religione ac sollicitudine prosequebatur, ut præscriptum illarum tempus tam diurno quam nocturno tempore ne minimum quidem præteriri pateretur, adeo ut ipso die sui obitus Sacrum in ecclesia celebraverit. Hoc cœlesti alimento confortatus, viam universæ carnis ingreditur in senectute bona, anno 1578, die 10 Junii. Magnum reliquit apud omnes suæ sanctitatis odorem.

Manuscriptum Cartusiæ de Covis.

PETRUS MUNOS

EREMITA PRÆBENDARIUS VALLIS CHRISTI

Oriundus ex oppido de Puzol prope Valentiam, ab infantia Deum timere cœpit. Natus imprimis videbatur ad opera misericordiæ; cum enim pauper quis peregrinus ei occurrebat, illum ex-

cipiebat magna cum humanitate in domum paternam, ac pro modulo refectum opipare inopem dimittens, eum etiam deducebat Valentiam, quo facilius in ignota regione ille faceret iter.

Hoc exhibitum peregrinis officium ita Deo placuit, ut Christum meruerit videre sub forma pauperis. Aliquando enim hyeme, cum in hortulum mane intrasset deambulandi gratia, conjiciens oculos in Floreum, cernit mendicum nudum frigore trementem. Ardentissima charitate flagrans, Petrus confestim advolat in cubiculum, exuensque vestem novam et indusium, induensque veterem quam deposuerat, accurrit ad egenum, cujus nuditatem novo hoc texit vestimento. Arrisit multum Christo Salvatori speciem pauperis mentito tantus compassionis affectus ; qui mox ex oculis Petri se subducens, cœlesti plane consolatione illius eleemosynam remuneratus est, adauctumque novis charismatum donis reliquit, ut ad anteriora magis ac magis se se extenderet.

Crescebat in dies Petri charitas, cujus ardori ut faceret satis, diebus festivis adibat nosocomium ægrotis ministraturus; mirum plane, quo studio, quave diligentia se se effunderet in pium opus, quanta sollicitudine curaret infirmos, quamque indefesso labore illos juvaret, foveret, consolaretur, quibus etiam erogabat quidquid per hebdomadam labore manuum suarum sibi comparaverat. Frequentabat monasteria de Puzol, et Vallis Jesus; apud Patres Franciscanos Vallis Jesus Observantiæ strictioris, Pœnitentiæ Sacramento animi labes solutus erat expiare. Horum Patrum conversatione, præsertim B. Nicolai Factoris et Jacobi Sanchis, ad omnis sanctitatis perfectionem formabatur.

Contigit sub hæc tempora, ut vir perillustris D. Christophorus Roig, Eques Valentinus ex nobili familia Roig, Juris utriusque Doctor ac Inquisitor hæreticæ pravitatis in Aragonum provincia, jam senio confectus, ad prædium (in quo postea Cartusia Aræ Christi constructa est) se receperit, ubi vitæ reliquum transegit cum pace et tranquillitate. Porro amicitia conjunctissimus erat Petro Munos, cui, quadam die oranti in oppido de Puzol et res ac negotia Inquisitoris Deo maxime commendanti, quatenus ea ad laudem et gloriam divini Numinis disponeret, revelatum fuit hoc prædium futurum esse Domum orationis. Quod quidem vaticinium novæ Cartusiæ erectione comprobatum est.

Sublatis ex hac mortali vita Petri parentibus, divisaque inter fratres hæreditaria successione, obvenit ei angusta domus, ad quam secedens, ibi vacabat orationi cæterisque Christianæ pietatis ac pœnitentiæ exercitiis. Sub ea tempestate oppidi parochus, volens instaurare sacram augustissimi Sacramenti pyxidem, hanc in serico heteromalo inclusam appendit collo Petri, qui eam bajularet resarciendam ad

quemdam aurarium fabrum Valentinensem. Profectus statim itinerisque comites duos de vicinis suis habens, mentem semper suspensam in Salvatorem nostrum gerebat propter delatum a se vasculum. Unde cum in bivio quodam viarum de Muceros et de Meliana vehementioribus devotionis facibus exæstuaret, veritusque ne ibi deficeret præ amoris vi, hæsit in vestigio; capsamque suo collo appensam deponens, divinitus cognovit in ea reconditum esse illum, qui tantos ignes in corde suo excitaverat; aperiens igitur pyxidem in ea Hostiæ particulam reperit, quam sacerdos per imprudentiam non extraxerat. Attonitus stetit hic aliquandiu Petrus, donec ad se tandem rediens, sacratissimum hoc pignus summa cum reverentia ad proximiorem locum de Puzol detulit.

Singulari devotione afficiebatur erga sacellum Beatissimæ Virginis Mariæ de la Cueva Santa, quod frequentabat, Deum pro suis necessitatibus ac publicis exoraturus. Cum aliquando hanc sacram ædem adiisset, pro nepte sua graviter ægrotante novemdialem facturus comprecationem, domum repetens invisit Cartusianos Vallis Christi (jamque per circumvicinam regionem virtutum illius odore diffuso), ab iisdem Patribus anno 1588 admissus est in eremitorium S. Juliani. Hic locus pendet a supra memorata Cartusia. Quotidie Petrus intererat Missæ conventuali, et tanquam monasterii præbendarius a coquinario recipiebat obsonium. Mira simplicitate planeque cœlesti puritate præcellebat, qua inescati Patres mire Petri conversatione delectabantur; unde licentiam obtinuerat a Superioribus, qua monachos conveniebat ad libitum. Ipsi Petri Confessionem excipiebant; ille vero, si quis eorum ægrotaret, tanquam Christo Domino ex animo serviens, eo promptius et perfectius suum ei ministerium exhibebat, quo se credebat non hominibus, sed Domino famulari.

Ea erga augustissimum Eucharistiæ Sacramentum veneratione ferebatur, ut quoties loquentem aut legentem audiret aliquem de hoc divini amoris pretiosissimo pignore, toties in extasim raperetur. Cum aliquando nepos illius valde periclitaretur ob cruris inflammationem, avunculum advocat, qui statim ad consuetum sanctissimi Altaris Sacramenti azylum confugiens, magno cum spiritus fervore pro nepotis incolumitate Deum rogavit; a quo exauditus pro sua in sacram Eucharistiam reverentia, degens in eremitorio, perfectam obtinuit illi sanitatem. Hoc postea miraculum nonnullis narrans in divina totus abreptus est; cumque per semihoram velut exanimis jacuisset, ad se rediit. Quotidie celebranti solitus erat ministrare; cum aliquando sacerdos, post Christi Corporis sumptionem, calicem pro prima ablutione Petro porrigeret, ille corde palpitans totus in tremorem solutus clamavit : « Totus est plenus,

totus est plenus; nequeo vinum infundere. » Ad has voces celebrans attonitus, diligenterque calicem inspiciens, animadvertit Hostiæ particulam adhærere calici. Hanc reverenter extrahens Sacra peregit, Petro postea vinum ipsi propinante.

Multa divinitus cognoscens, vidit animam Gaspari de Navarro, in ipso suæ mortis instanti, ab innumeris Angelis in cœlos asportari. Cœlitus etiam ei nunciatum est quod quædam antiqua imago, lapidea affabre elaborata, in territorio de Puzol inveniretur; quam postea Joannes de Ribera, Valentiæ archiepiscopus, in ecclesia præfati oppidi collocavit.

Interim ita divinis inebriabatur delitiis, ut tantis voluptatibus impar totus in Deum absorberetur. Cum in uno Pentecostes pervigilio Vesperis Cartusiæ Vallis Christi adesset, post decantatos Hymni *Veni Creator* aliquos versus, cœlesti igne exæstuans clamare cœpit : « Totus ardeo, flamma comburor. » E choro divina charitate ebrius defertur in alium locum, ubi voces easdem internæ flammæ indices ingeminans, rogabat ut ad refrigerium in aquam immergeretur : unde astantes ad cisternam viciniorem accurrentes, aqua Petrum perfuderunt; verum hujusmodi aquæ multæ non potuerunt illius extinguere charitatem; sic autem per unius horæ spatium e sensibus excedens perstitit, cunctis Deum ob talia servi sui charismata laudantibus.

Dum Deus famulum suum tot præveniebat benedictionibus dulcedinis, Satan nimis ægre ferens cœlestes hosce favores, variis modis eum aggressus est, ut ab orationis studio et a pietatis exercitiis absterreret.

Diu Petrus laboraverat febre quartana, cum dæmon vetulæ mulieris formam mentitus, seque multum fatigatam simulans, consedit juxta Petri cellulam. Cumque prævia salutatione mutua, quomodo se vir Dei haberet, interrogasset anus, ille sanitatis statum indicavit. Vetula statim arteriæ pulsum contrectans, partamque fraudulentis verborum ambagibus jactans ætate longæva in arte medica peritiam, fingit se ab oppidi Magistratibus delegatam, ut ei restitueret sanitatem. Verum cum Petrus carnis quamdam titillationem sentiret, procul diaboli bellum et technas odoratus, salutiferæ Crucis signo ipsum fugavit.

Victus hostis rediit postea ferocior; minisque, tentationibus ac terroribus nihil se prorsus agere animadvertens, tot plagis eum affecit, ut vix semivivus Petrus fuerit relictus. Is interim Beatissimæ Virginis et Bonifacii Ferrer opem implorans, oratione pugnabat adversus dæmonem, fortiorque ac validior quam dæmonum impetus Petri fuit oratio, quæ illorum conatus cœlesti accito sibi præsidio delusit : repente enim Virgo Deipara dispersit illam impiam dæmonum catervam.

Quiescit, ut alibi diximus, in cœme-

terio Vallis Christi Bonifacius Ferrer, quondam Prior Majoris Cartusiæ. Hunc beatum Patrem magna devotione prosequebatur, illumque venerabatur tanquam patronum et advocatum singularem; quotidie ad sepulchrum illius statas preces recitabat, cujus tutelam multoties se expertum fuisse affirmabat, illiusque visione recreatum. Cum aliquando febre correptus ad Bonifacii tumulum accessisset supplicabundus, osculans superpositum lapidem, herbasque ibidem excrescentes legens, cum omni simplicitate et devotionis affectu dixit : « Pater Bonifaci, vides qualiter crucior : non hinc discedam donec me sanaveris. » Mirum ! statim reliquit eum febris, et recepit sanitatem.

Dum ægrotaret alia vice in eodem inclusus eremitorio, Bonifacii patrocinium imploravit; et ecce concubia nocte adest fulgor splendidus, totamque cellulam collustrans eremitæ appropinquat, qui ex illa luce audivit aliquem ita sibi alloquentem : « Mox sanaberis quia invocasti me, sed in morbum de integro incides; sic enim divina voluntas disposuit ad tuam salutem. » Quibus dictis disparuit; ipse interim convalescens post triduum amisit sanitatem.

Multas alias Satanæ infestationes Petrus, alter hujus sæculi Antonius, sustinebat. Si enim aliquid somno per noctem indulgebat, statim diabolus horrendis vocibus clamoribusque terrificis excitabat dormientem ; modo canebat tibicine; modo mugitus, modo tormenti bellici crepitus, modo fragores edebat horrificos. Si mensæ Petrus assidebat cibum sumpturus, mox Satan obsonium auferebat, ut famulus Dei signa daret animi impatientis. Verum semper stetit victor Petrus, multisque de diabolo reportatis triumphis nobilitatus e prælio recessit ; ad cujus assiduos impetus reprimendos stolam collo appensam cum bona Superiorum venia gestabat, cujus virtute fugebat cacodæmones.

Tanti viri fama excitus, perillustris Joannes de Ribera, Valentiæ archipræsul, Petrum advocavit ut in palatio suo demoraretur. Non sine ingenti dolore primævam stationem sancti Juliani eremita dereliquit, eo gratiorem quo viciniorem Cartusiæ Vallis Christi ; verum cum Præsuli obtemperandum sibi crederet, anno 1602 se se recepit apud Archiepiscopum ; ubi eamdem vitæ normam ad obitum usque servans, tandem nonagenarius die sacro Eucharistiæ, sicuti ipse antea prædixerat, magna cum sanctitatis opinione animam efflavit, anno 1610, die 10 Junii. Cujus corpus, de mandato ejusdem Præsulis, postea sepultum est apud insigne suum Collegium in singulari sarcophago.

Hujus Vitam descripsit Hispanice Joachim Alfaura.

XI DIE JUNII

ODO

ABBAS SANCTI REMIGII, FUNDATOR MONTIS DEI.

Transactis apud Moriniacum in omni pietate et doctrina juvenilibus annis, ad instantiam Willelmi de Campellis episcopi Catalaunensis, a Conone Prænestino episcopo et Apostolicæ Sedis Legato, circa annum 1109, ordinatur in Abbatem sancti Crispini Suessionensis; ubi Odo collapsam regularem disciplinam ita restauravit, ut ubique Crispiniana disciplina celebraretur. Translatus postea ad moderamen Abbatiæ Sancti Remigii Remensis, Fundator fuit Cartusiæ Montis Dei.

Rem narrat Dorlandus, lib. 6, cap. 29 Chronici Cartusiensis, his verbis : « Felicis recordationis Dominus Odo, Abbas Sancti Remigii, Dei servorum noscitur amator ferventissimus extitisse. Hic assensu Fratrum suorum, promptissima devotione, Domus nostræ, videlicet Montis Dei, Fundator extitit et consummator. Nam fundum ipsum qui ad suam pertinebat Ecclesiam, una cum terris, pratis, nemoribusque profusa admodum largitate concessit. Qui et Ecclesiam et officinas ædesque ac cellas omnes incredibili fervore, et cœpit et consummavit. Huic post Deum, super omnia mella Mons Dei sapiebat. Hunc Montem corde volvebat, ore sonabat, et laus ejus omnis in nostra Religione fervebat. Hac occasione sumpta : Cum enim ipse quodam tempore pro negotiis Ecclesiæ suæ Romam attractus esset, et moram ibi aliquantam faceret, vidit sæpenumero in somnis monachos albicantibus vestibus indutos, ceremonias, quas ante non viderat, observantes. Vidit etiam eos, nunc in ecclesia psallere, nunc in refectorio parcissime victitare, nunc in cellis separatim solitarios diversari, cæterasque sacri Ordinis Cartusiensis regulas, observantiasque exercere.

« Hæc videns stupensque, scire cupidus gestiebat, cujus hi novi monachi Religionis existerent. Cum hæc revelante Spiritu esset intuitus, tandem contigit eum expeditis ad suum monasterium negotiis remeare. Inter ambulandum autem casu inscius deviavit in montes, et post longos errores, ad quoddam declinans hospitium, intellexit ab hospite se longius ab itinere declinasse. Dato igitur pretio, hominem optime itinera scientem accersiit, quem et viæ suæ ductorem instituit. Sed te-

nebrosa nebula præpediente, iterum (ut creditur Dei nutu) erraticus cœpit viator incedere, nec ante destitit, quam ad Majorem nostri Ordinis Domum, quam Cartusiam dicimus, fessus et anhelus, stupente etiam ductore, applicuerit. Ingressus vero, a memorabili et sancto Patre Guigone, tunc Cartusiæ Priore, cum omni sua familia devote hilariterque exceptus est, et tantam illic expertus humanitatem, ut erroris sui devia et detrimentum sui itineris apprime solaretur.

« Hic Odo venerabilis ductus a Priore ad ecclesiam est, et cum dies festus adesset, considerabat intentus monachos divinum Officium suo illo more celebrantes, et ceremonias ac ritus, quos ante in visu perspexerat, peragentes. Tunc cœpit apud se recolere, illos ipsos esse monachos quos ante in visu, Deo monstrante, vidisset, ac tunc primum agnovit Divina se illuc voluntate (post longos terrarum tractus) esse deductum. Interrogans igitur et cuncta considerans, magno cœpit affectionis igne succendi, et erga Religionem nostram flammatissima devotione constringi. Dehinc supplicat Priori, et multa eum ambiens reverentia postulat Fratres aliquos ex suis sibi transmitti : firmissime promittens Domum illis suæ Institutioni commodam, in sua se diœcesi fundaturum. Cujus equidem petitioni favit Guigo honorabilis, et Fratres omnes, concurrente ad hæc vota sanctissimo Hugone Gratianopolitano præsule, cujus tunc virtus et sanctimonia longissime reflorebat. Votorum igitur compos suorum, sacer Odo Abbas prospero cursu ad propria remeavit, et ardoris sui flammam non capiens, non ante destitit, quam Domum Montis Dei nostro Ordini fabricaret. » Hæc Dorlandus.

Reversus igitur Odo e Cartusia Majori, statim manum ædificandæ novæ Cartusiæ admovit; quam tamen postea retrahere cogitur tum propter vexationes, quas a multis Magnatibus sustinere habuit, tum ob Concilium Pisanum anno 1134 celebratum, ad quod perrexit. Rediens a Synodo incidit in manus grassatorum, a quibus tandem liberatus intermissum opus persecutus est : absolutisque magis necessariis ædificiis, Hugonem virum religiosum, tum Priorem ad Sanctum Remigium et antea Abbatem Marchianensem, cum litteris Raynaldi archiepiscopi Remensis ad Guigonem Cartusiæ Majoris Cœnobiarcham delegavit, qui monachos ad Montem Dei incolendum peteret. Postulatis statim annuit Guigo, Hugonemque cum monachis remittens rescripsit ad Remensem Archiepiscopum.

Post absolutam confirmatamque publicis codicillis suam fundationem Odo diu superstes, bonis operibus deditissimus, munificus erga pauperes, ea qua vixerat sanctitate vitæ cursum feliciter absolvit anno 1151, die 11 Junii.

Nicolaus Suessionensis in Vita Sancti Godefridi episcopi Ambianensis. Vincentius Belvacensis. Chronicon Montis Dei.

B. ROSSELINA

PRIORISSA CELLÆ ROBAUDI

Hæc sancta nobilisque virgo, cujus memoria apud Provinciales magna est in veneratione, ex perillustri familia de Villanova in Provincia ortum habuit, Arnaldo barone de Arcubus et de Trans, et Burgola (aliis Sibylla) de Sabrano, sorore Ermengaldi magni apud Neapolitanos, ut tunc vocabant, Justiciarii, qui ex Lauduna Alba sustulit sanctum Elzearium Ariani comitem et B. Delphinæ maritum, quorum proinde sobrina extitit nostra Rosselina, ut Acta antiqua utriusque præfati conjugis docent, sicut refert Theophilus Raynaudus.

Ab ipsa pueritia virtutis adeo studiosa fuit, ut sanctitatis futuræ plurima jam tum præ se ferret indicia; juniorque adhuc, virginitatis voto, ut habet ms. Codex Majoris Cartusiæ, se totam divini Numinis obsequio consecravit. Eximia certe sunt quæ de hujus virginis, etiam cum in sæculo puella degeret, cœlestibus favoribus prodita sunt. Nam præter cætera hoc unum miraculum omnes Scriptores uno ore referunt : nempe, cum a teneris annis multum esset benefica in egenos, ipsisque obvia quæque promiscue erogaret, ipsam aliquando nonnulla cibaria in perizonio præferentem a genitore fuisse interceptam ; qui, properantem increpans, et sciendi quid gestaret avidus senex, nihil præter flores stupendo plane prodigio reperit, cum excusans Rosselina factum suum rosas esse dixisset. Facto plane gemino ei quod de B. Petro Luxemburgensi, deque B. Casilla Toletana in consimili eventu habent eorum Acta.

Pictam hodie cernere est pro ipso ecclesiæ vestibulo, vestitamque eodem prorsus quo moniales Cartusianæ modo, hoc excepto uno, quod crucem partim rubram partimque cæruleam stomacho appictam gerat, anterioremque cucullæ suæ partem rosis refertam, in hujus miraculi fidem, manibus teneat.

Ætate grandior effecta, Cartusianum Institutum in hac Domo amplexa est; sive in Domo Bertaudi, ut aliqui volunt, unde ad regimen Cartusiæ Cellæ Robaudi assumptam esse dicunt. Dum autem in hac Domo degeret, Hallio (sive Elio) de Villanova frater ejus, sorori gratificaturus, multa bona huic parthenoni contulit; qui ideo a nonnullis hujus monasterii Fundator nominatur, quod ecclesiam suis sumptibus construxerit, quam quidem consecravit Elzearius Digniensis antistes, Rosselinæ frater. Mortua tandem Rosselina cum opinione sanctitatis in communi cœmeterio sepulta est, quod parentes ejus ægre ferentes in ecclesiam corpus ejus transferri curarunt.

Hujus translationis meminit Dorlandus, tacito tamen Rosselinæ nomine. Ad eam enim referenda esse vult Theophylus Raynaudus, quæ Dorlandus lib. 5, cap. 34 refert his verbis :

« Monialis olim nostri Ordinis, illu-

stri genere orta est virgo prudentissima, sanctitatisque titulo admodum insignita, cujus bonarum virtutum odor cæteras Sorores aspergebat, quæ talem, ut ipse legi, scribitur habuisse sepulturam. Cum jam defuncta esset, instar aliarum Sororum in communi cœmeterio sepulta est. Affines autem ejus, alto sanguine nati, illiusque cœnobii Fundatores, indigne ferentes neptem suam communi humatam sepultura, nimis instant acriter, ut exhumata in ecclesiam cum suis parentibus sepeliatur. Annuunt omnes vim facere paratis, et virginem exhumare contendunt. Mira res! Jacuerat corpus quinque jam diebus sub terra, ubi ex canalibus abundans pluvia stillaverat, et tamen nec in vestibus maculæ ullæ aut sordes conspiciebantur, nec fœtor ullus e corpore erumpebat. Sic candida, sic integra, florida, obesa, et suaviter fragrans erat, ac si esset tunc primum sepulta et suavibus aromatibus delibuta. » Hactenus Dorlandus.

Post primam vero translationem, crebrescentibus miraculis ac suavi odore e tumulo afflante, iterum post 25 annos integrum repertum sub altari quodam erigitur, in sarcophago aurato sed simplici conclusum, ubi in longum jacens per vitrea quædam specularia etiam nunc conspicitur. Paucis tamen abhinc annis sive casu, sive custodum incuria, nonnihil videtur circa os vitiatum. In Sanctorum numerum nondum auctoritate Ecclesiæ asserta legitur, quanquam ab omnibus colatur ut Beata, ob continua miracula et continuam incorruptionem, quæ a tot annis perseverat. Cumque superioris sæculi bellis flagrantibus humi reconditum fuisset sacrum illud cadaver, tantum abest, ut vel minimum ibi corrumperetur, quin et odore longe quam antea fragrantiori totam ecclesiam perfunderet. Sed aliud incorruptionis miraculum attexo.

Rosselinæ oculi e suis locellis extracti et in pyxide asservati seorsim, raro prodigio æque vigent, et vivaci lumine feriunt intuentium oculos, ac si virgo adhuc esset in vivis ; cum tamen in mortuis primi langueant et concidant. Cur hæc oculis sacræ virginis a Deo repensa sit gratia, conjectare licet ex oculo Ludovici Catalaunensis episcopi, quem adversus impuram Reginam virum ultro rapientem, nullo fœdatum immundo conspectu, post mortem Deus vividum et inextinctum servavit. Similiter itaque hujus Ascetriæ pupillas in mortis jura transire par non fuit, quæ semper fuerant virgines ac usquequaque puræ. Propter autem divinorum signorum, quibus in dies sanctum ejus corpus decoratur, frequentiam, anno 1607, die 4 Octobris, in sacello novo coram ingenti populorum multitudine a Patribus Observantinis fuit collocatum.

Memoria Rosselinæ colitur die 11 Junii, quo creditur fatis excessisse. B. Rosselinæ obitus notatur in Charta anni 1329 his verbis : « Obiit Rosselina quondam Priorissa Cellæ Robaudi. »

De anno illius obitus, consule quid diximus in Volumine Cartusiarum Provinciæ.

ELISIARIUS GRIMOARD

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

E familia Dominorum de Grissac sive Comitum de Rouvre in Vivaresio, patruum habuit Urbanum V, Summum Pontificem, virum sanctissimum. De Elisiario agit Dorlandus in Chronico Cartusiensi lib. 4 cap. 23 his verbis :

Hic, cum monachus esset Domus Cartusiæ, in Domo Boni passus Prior est institutus; post vero totius Ordinis caput ob sanctitatis suæ singularem gloriam effectus est. Hic tantæ austeritatis sibi ipsi, ac rigidæ abstinentiæ noscitur extitisse, ut post Lauduinum, cujus supra meminimus, nullus illi in gratia hac potuerit coæquari. Hinc plurimi parsimoniam ejus considerantes, errare illum et limites fragilis naturæ excedere querebantur. Tantus in eo fervor erat divini Spiritus, ut vir sanctus naturam vincere conaretur. Sed dum vincere laborat naturam, a natura aliquoties ipse vincebatur. Cadebat quippe asellus sub onere, sed sublevans Dei manus illum ocyus erigebat.

Tam vehemens etiam erat illi et frequens mentis excessus in Deum, ut diem crebro nocti conjungeret, raptu usque adeo perdurante. Dabat quoque summam operam ut somnum superaret, orando, psallendo, meditando. Hinc factum est sæpe ut ambitum claustri circumiens, meditandi seu visitandi gratia, natura vim faciente, inventus sit humi prostratus obdormivisse. In asperrima hieme, et in magnis, quæ illic rigent, frigoribus, semper fere nudus, discalceatusque, ac detecto capite incedebat. Tantus enimvero inerat illi divinus ignis, qui ejus pectora conflagrabat, ut externos algores parum respiceret. Vix unquam lecto decumbebat, vix cilicium aut tunicam immutabat, nisi cum nimium detrita ferre ultra non posset; superfluum enim arbitrabatur, munditias in veste requirere. Tam pertinax fuit hic vir mitissimus in vigiliis, jejuniis, spiritaliumque rerum exercitiis, ut ea nec linguis promere, nec calamis quis depingere queat; modum enim et naturam transibat humanam.

Sæpe etiam psallens cum Fratribus in Dei templo, visus est rapi ad superna, mente pariter et corpore sursum suspensus in Deum. Missarum quoque Sacrificia contrito semper corde concelebrans, mentis sæpenumero patiebatur excessum. Secretis etiam cœlestibus, utpote verus amicus Dei, crebrius transportabatur, dignus meritis, cui Deus secretorum suorum arcana revelaret. Ad se insuper reversus, ut nosse daretur læta multum et jucunda illum vidisse, præ nimio cordis gaudio tripudiare, et quasi insanire præ jubilo in ecclesia videbatur. Crebro namque ob nimiam

mentis elevationem sui oblitus, atque ubi esset nescius, altissimas voces in Dei laudibus attollebat, quibus ab aliis plurimum notabili sono discordabat. Ad se autem rediens de discordantia, quam nesciens fecerat, verecundus ac metuens erubescebat. Dum ipsa Dominica Capituli generalis Missam in præsentia tot venerabilium Patrum, qui convenerant, celebraret, adeo circa Offertorium stans ad altare, raptus attollitur, ut Diaconum calicem offerentem et graves strepitus facientem non attenderet, sed immobilis diu atque insensibilis perduraret.

Erat præterea in hoc Dei viro summæ humilitatis submissio. In omni nempe verbo et opere, adeo simplicem humilemque se gerebat, ut multi dicerent, non hoc ad dignitatis suæ celsitudinem pertinere. Cumque ab amicis super hoc redargueretur, ridens lætusque aiebat : « Vere, ut dicitis, amici, nimium rudis sum et agrestis, atque ideo etiam ad hanc Prælationem nequaquam idoneus. »

Cardinalis Mimatensis hujus erat nepos admodum propinquus. A quo cum literas acciperet, tristabatur, nec ut rescriberet operam impendebat. Si quando necesse erat respondere, ex industria tam abjecte humiliterque, et in brevi vilique papyro scribebat, ut Cardinalis se ab eo contemni quereretur. Et iratus dicere solebat, qui per illum transibant, Prioribus nostri Ordinis, non se ultra velle suo nepoti literas scribere, a quo videret se aspernanter haberi. Ipse vero hoc audito, plurimum lætatus aiebat : « Absque dubio id summo opere desidero, ut posthac nunquam me suis defatiget literis. Quid enim mihi et illi est ? Ille sublimis et ego humilis ; ille unus e cardinibus mundi, ego ut vilis sæculi peripsema æstimatus sum. Agat ergo ille res suas, et ego meas ; meque dimittat in pace. »

Interim vero nolo, ut existimes, o Dionysi, hunc Patrem dictandi peritia atque ornatu caruisse (erat nempe scientia et eloquentia singularis), sed se despici ac nihilipendi cupiebat. Summas certe delicias arbitrabatur, quando despectio se se aliqua offerebat. Sed quis talem sciens, despiceret ? Erat enim ob nimiam sanctitatem plurimum venerabilis, et ob suavitatis suæ dulcedinem complexibilis valde. Sed verus mundi aspernator, non honoribus, sed contemptibus lætabatur.

Secundo regiminis sui anno, unum ex gravi infirmitate oculum perdidit. Qui putans bonam se nactus occasionem, amore quietis et supernæ dulcedinis, in generali se Capitulo postulavit absolvi : causam insinuans turpitudinem cæcitatis. Cui Patres responderunt, non justam se causam objecisse, præsertim cum inter cætera membra corporis nullum, quemadmodum oculus, alterius soleat supplere defectum. Siquidem orbitas unius oculi, alteri præstat virtutem acutius pervidendi. Verum Helisiarius lætus, quod faciem gestaret

informem, jocans dicere solebat : « Ego damnum habens, non queror; sufficit enim mihi unus pro voto oculus, qui faciem turpem timentem honestet. »

Hic post cumulatas magnorum meritorum merces, ad cœlestem cœpit remunerationem a Domino revocari. Illo igitur supremæ ægritudinis lectulo decumbente, Fratres tristes ac lugubres Dominum precabantur, ut eis suum Patrem non auferret. Quod ille ut comperit, accitos, flens increpavit dicens : « Quid est, charissimi· Fratres, quod miserum hominem retinere molimini? Oro Deum, ut non vos exaudiat. » Idipsum dicebat eis qui coram illo ejus incommoda lachrymabantur. « Oro, inquit, Dominum, ut lachrymas vestras non respiciat. »

Sequente feria sexta revelatum est illi a Spiritu Sancto, quod hoc ipso die esset migraturus, et cum Christo cœlestia regna possessurus. Tunc ille exhilaratus jussit ocyus Vicarium et Conventum adesse, ultima sibi poscens Sacramenta largiri. Mirabantur omnes, cum non adeo videretur infirmus, quod Sacramenta requireret; ejus tamen votis obtemperatum est. Post hæc, cum Fratres panem et aquam, ut mos habet, tali die in prandio gustassent, convenerunt omnes, facto per tabulam signo, ut exitum dulcissimi Patris Domino commendarent. Stabant filii circa Patrem, et uberrimis lachrymis ora rigabant. Illis itaque Passiones Christi de more legentibus, cum ipse se se vellet erigere et manus ad superna porrigere, in manus Dei Patris spiritum suum humillime commendavit ac tradidit. Obiit vero anno Christianæ salutis 1367, ipso Barnabæ apostoli die. » Hactenus Dorlandi Chronicon. Signatur obitus Elisiarii in Charta anni 1368, ad 3 Idus Junii.

Gallia Christiana.

JOANNES SASSE

PRIOR LUBECK

De quo agitur in Chronico Slavico, ab anonymo Auctore edito, his verbis: « Anno 1483, undecima Junii, nequiter occisus est a quodam Ribaldo Dominus Joannes Sasse, Prior Cartusiensis, vir simplex et devotus, circa gurgustium Cartusiensium ante Plonc, ubi eodem tempore habebat operarios et carpentarios, et occisor Dacus fuit; apprehensus est et rotatus ante idem oppidum. Lamento dignum valde : homo iste bonus dereliquit præbendam in Ozilia, intrans arctam Vitam Cartusiæ, et heu! a filio diaboli occiditur. »

MARGARITA DE FRAMECOURT

MONIALIS GOSNAY

Quondam hujus parthenii Subpriorissa; post exactos in Ordine valde exemplariter 58 annos, naturæ debitum persolvit anno 1563, die 11 Junii.

Ex Mss. hujus parthenii.

CHRISTOPHORUS BENET

MONACHUS DE PAULARI

Cæsaraugustanus Nobilis; optimis humanioribus litteris instructus, peractis studiis, vitæ fuit dissolutioris. Divina tandem illustrante gratia, prævaricator ad cor rediens, annum agens ætatis vigesimum quartum, inter Novitios hujus eremi adscriptus, post expletum magno cum fervore tyrocinium, anno 1567, die 13 Aprilis, vota professionis emisit. Bene aliquandiu Christophorus se se exercuit in palæstra Religionis; cum non multo post, effrenatis animi motibus abreptus, se se aliis intolerabilem præberet, ipseque præceps ingenio ad iracundiam omnibus gravis esset et onerosus, ad salutaria Fratrum et Superiorum monita obsurdescens; cum ingravesceret in dies, tandem carceri mancipatur, pœnas a Statutis injunctas daturus. Vexatio huic dedit intellectum. Ad Deum etenim toto corde conversus, flagella cum omni humilitate ac mansuetudine sustinuit.

A mente sua illum parumper, dum custodia detineretur, discessisse nonnulli crediderunt; quidam vero semper sui fuisse compotem affirmant. Ut ut sit, cum, ubi delictum abundaverat, abundasset et gratia, Christophorus in alterum virum mutatus, post aliquot annos tandem e carcere educitur, Fratribusque adjungitur. Vix eum agnoscebant omnes, talemque receperunt, qualem somniare potius quam cernere crederent; cujus sanctitatis puritatem suspicientes, non hominem sed Angelum videre sibi videbantur: iracundus qui traditus fuerat vinculis, solutus est mitis atque mansuetus; phrenesi laborans, sicuti nonnulli conjiciebant ex verbis illius et actionibus, exiit ex carcere divina repletus sapientia. Ille, a cujus ingenii ferocitate abhorrebant omnes, cujusque congressum antea fugiebant, singulos ad se trahebat morum verborumque suorum suavitate; cumque alias nemo esset qui Christophorum oculis non fugerat, respuerat auribus, animoque aspernatus fuerat, jam illum venerabatur unusquisque, captus illius humilitatis philtro atque illice, ejusdemque conversatione mire delectabatur. Audiebat enim apud omnes tanquam sanctus, et vir omni virtutum genere exornatus.

Cum enim Christophorus indignis viro Religioso probrosisque actionibus monasterium se offendisse considerabat, erubescens ad vitæ prioris aspectum, dolensque indomitis cupiditatibus indulsisse, marte feliciori bellum iisdem indixit; quo in certamine tam strenuum et eximium se athletam gessit, ut carnem assiduis jejuniis domaret, corpus diris attereret flagellis, linguam maceraret silentio. His et aliud in animo adversus vitia prælium accedebat, in quo fortissimum pugilem, hic superbiam, ad quam olim fuerat proclivis,

vidisses humilitate calcare; illic ambitum honorum contemptu prosternere; hac effrenes quibus se quondam dederat, iræ motus mansuetudine cohibere. Denique cum vitiorum turmas, quibus addictus fuerat, undique ab instructa virtutum acie cerneres profligari, quid his, præterquam Deo atque Angelis tunc dignum atque jucundum ab eo spectaculum parari judicasses?

Tot igitur cœlestium copia donorum efflorescens, terrena fastidiebat, pauperemque Christum sequens, paupertatem sponsam ac individuam comitem tam arcto sibi necessitudinis vinculo copulaverat, ut nihil præter eam quærere, nihil appetere aut diligere videretur. Nihil habebat in cellula curiosum, nihil superfluum; erat tenuis supellex illius, attrita confectaque vetustate; quatuor vel sex codices tanquam virtutum suarum incitamenta, Crux Dominica super oratorium sparteo digitis suis contexto extructum posita, instrumentaque quibus corpus suum affligebat, exornabant; præterea nihil.

Porro tribus tantummodo vacabat exercitiis, mentali videlicet orationi, sacrorum lectioni librorum, ac manuum operibus; ad instar enim priscorum Eremi Patrum otii osor maximus, quotidie laborans, stragula conficiebat digitis suis pro hyberno tempore, ad frigoris defensionem: ad hyemis asperitatem, niviumque, quibus hæc regio circumvallatur, magnitudinem, remedium hoc monachis comparabat. Orationi mentali jugiter intentus, de Domino sentiens in bonitate, non tanquam judicem terribilem, sed velut Deum totius consolationis et Patrem misericordiarum deprecabatur: in cujus conspectu semper ambulans, mirifice delectabatur illius præsentia. Ex hac jugi Dei memoria, singularique per mentis in eum continuam suspensionem familiaritate, haud vulgarem morum innocentiam et simplicitatem contraxerat, qua bonum de omnibus cogitabat, de nemine malum. Uni necessario vacabat, et quæ retro sunt oblitus, semper se extendebat ad anteriora; hoc unum curans ut nihil curaret præter suam salutem. Nihil cupiebat scire præter Jesum, ad quem anhelabat totis animæ medullis.

Anno 1588 monachus quidam professus de Paulari, e magna Cartusia revertens ad hanc Domum, pertransiit Cæsaraugustam, Christophori patriam. Ibidem germanus Christophori, ad aspectum Cartusiani recordatus sui fratris, accedit ad monachum, rogans quomodo se germanus suus haberet. Certior factus de illius incolumitate, lætus hoc nuncium accepit (neque enim a viginti annorum spatio quos in Ordine vixerat, quicquam parentes ejus de illo audierant), statimque frater Religioso tradens epistolam, instanter petiit responsionem. Perlectis litteris, Christophorus coactus necessitate rescripsit; cumque litteras sigillaturus vellet antea diem et annum apponere, horum nescius, aper-

to cellulæ ostio, rusticum quemdam obvium mercenarium advocans, interrogat, quotus a Nativitate Domini annus ageretur. Cui ille ait : « Nescio, Pater; opinor tamen annum decurrere quingentesimum sexagesimum supra millesimum. » His fidem adhibens, ostium claudit et litteras, quibus ad calcem apposuit quicquid bonus ille vir suaserat. Litteras deinde Priori tradit, quas ut perlegit, leniter subrisit ad Christophori simplicitatem.

Haud vulgaris fuit illius humilitas, qua se se ad abjecta quæque munia deprimebat. Totum se devoverat in aliorum obsequium ; obtentaque a Superioribus licentia, cum quis illius opera indigebat, ipse accersitus, nihil erat tam laboriosum, tam difficile, tam operosum, quod non aggrederetur lubens, singulari voluptate perfusus cum alicui deservire posset. Quoties monachus aliquis ex una cellula migrabat in aliam, bajulo supellectilis Christophoro utebatur ; abstergebat ille monachorum scutellas et vasa coquinaria, emundabat matulas, singulorum mancipatus obsequiis; postque exhibitum charitatis officium, ad quod fuerat requisitus, abiens ad alia se se ultro offerebat. Verum Superiores tanto aliis inserviendi ardori modum imponentes prohibuerunt, ne quis imposterum talibus Christophorum occuparet.

Monachus quidam multum faciens illius sanctitatem, ipse pictor egregius, effigiem ejus habere cupiebat tanquam monimentum posteris relinquendum. Christophorum igitur accersens, eidem injunxit ut coram se in eodem situ permaneret immobilis, quo solitus erat in oratione permanere. Ille statim obtemperans, immotus perseveravit donec alter imaginem veris ac nativis coloribus expressisset. Recessit Christophorus nescius quid pictor egisset, intentus quippe per id temporis spatium orationi fuerat, non secus ac si caruisset sensu. Unde cum Fratres per jocum postea illum reprehenderent quod permisisset suam iconem delineari, respondebat : « Quid mihi, quæso vos, erat agendum ? jusserat etenim ille monachus, ut sic coram eo starem ; num fas mihi erat reluctari ? numquid erat facturus suspicari debebam ? »

Quoties viri sæculares ad hanc Domum divertebant apud nos hospitaturi, ad Christophori cellulam deducebantur, a quo recedebant piis illius colloquiis delectati; omnes enim Pater religiosus ad devotionem excitabat, nullumque nisi virtutum suarum fragrantia perfusum dimittebat.

Anno 1600, Philippus, Hispaniarum rex, venit ad hoc monasterium; cui cum obvius iret Conventus, in cellula Christophorus solus remansit, Regem Angelorum hominumque immortalem magis videre cupiens quam mortalem Principem. Interim Magnates Christophori fama sanctitatis exciti ipsum adeunt; quos vir Dei mira cum humilitate et verborum plane cœlestium suavitate

excipiens, suo exemplo illos provocabat ad pœnitentiam, qui corde compuncti recedentes admirabundi his verbis Christophoro valedicebant: «Tu vere, Pater, de cella ad cœlum recta via evolabis. »

Porro cum hi non hominem sed Angelum in deserto solitudinis se vidisse renunciassent, Philippus tantum virum alloquendi cupidus, ad cellam illius accessit. Ea qua par erat reverentia Regem excepit Christophorus, quem Princeps benignissime salutans, ait, « Quia videre me noluisti, Pater, vos convenio. Nunc me adaugeas, velim, tua benedictione, et ora pro me, pro Regina, et Regno meo.» Cui respondens Pater subjunxit : « Non meum est benedicere, Domine mi Rex ; hoc longissime est a mea tenuitate, qui sum minimus omnium. Tu vero qui parem Majestate habes neminem, debes mihi tuam benedictionem impertiri, qui ad extremum usque spiritum semper vestri memor ero in orationibus ; absit namque a me hoc grande peccatum ut orare cessem pro his pro quibus mihi præcepisti. » Admiratus est Rex servi Dei humilitatem et cellulæ illius paupertatem, cujus parietes clamabant mundi contemptum et pœnitentiam. Porro quamdiu in hac domo Philippus demoratus est, noluit ut Christophorus a latere suo discederet ; qui Spiritu Dei plenus, semper verbum bonum eructabat, et de rebus divinis sermonem instituens, circumstantes excitabat ad pœnitentiæ fructus et Legis observantiam.

Summo honore sacerdotes prosequebatur, ad quorum dignitatem promoveri non ambiit præ tanti ministerii reverentia, solummodo Diaconatu initiatus. Cum enim, ut jam diximus, sub suæ conversionis exordium ea fuisset correptus infirmitate, quæ juxta Superiorum sententiam Christophoro Sacris Ordinibus interdicebat, ipse postea plane convalescens, et prioris vitæ labes abstergens moribus laudatissimis ; tanti nihilominus faciebat sacerdotii præstantiam, ut se hoc munere Angelicis humeris formidando plane indignum judicans, nunquam ad hunc gradum ascendere petierit, contentus Diaconi ministerio. Quamvis cæteri hujus Cartusiæ monachi sacerdotes officii excellentia Christophorum præcederent, illos tamen pius Pater longe anteibat suarum virtutum præstantia.

Singulis hebdomadæ Sabbatis, in quibus per totum Ordinem Missa celebratur in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, juxta concessam sibi a Superioribus facultatem, hac die Sabbati agebat Diaconum ; quamvis aliunde ob antiquitatem et ob Diaconos juniores qui tunc occurrebant, hoc munere esset immunis. Summa cum voluptate suum explebat ministerium, adeo ut charitatis eximiæ flammis exæstuans, tanquam Angelus Domini ad altare stans appareret. Tanto autem desiderio ministrandi sacerdotibus divina Mysteria celebrantibus flagrabat, ut quacumque hora vocaretur a Con-

fratribus suis, copiam sui libenter faceret, semper ad id officii paratissimus, cum nihil antiquius nihilque magis sibi cordi esset, quam Sacra facientis ministerium agere. Unde cum sacerdotes plurimum veneraretur, nulla suæ ætatis habita ratione, sed illorum dignitatem pensans, se totum impendebat in obsequium eorum qui illius opera indigebant. Totum etiam se aliis devoverat, omnibus omnia factus. Infirmorum charitas tam perfecte illius animum accenderat, ut eum in ægrotum cura totus animo liquefieri, nullosque prorsus labores ac molestias refugere, demum in ea studium omne ac sollicitudinem contulisse videretur. Pro hac siquidem somnum ab oculis subripere molestaque omnia perferre, quasi minimum ducebat. Nullaque erant tam vilia abjectaque ministeria, quæ non sanis et ægrotis exhiberet. Hæc autem agebat Christophorus sine regularis observantiæ detrimento ; nam silentii erat tenacissimus, assiduus in frequentando choro, ubi summa cum modestia et devotione conjunctus assistebat psallentibus.

Demum omnigenis virtutibus coruscans, fuit etiam illustratus spiritu prophetiæ. In cujus rei argumentum mortem Philippi II, regis Hispaniarum, præsagiit. Res contigit in hunc modum. Anno Domini 1598, die 3 Martii, undecima diei hora, coram toto Conventu, qui ea ipsa hora in templo Vesperas decantabat (erat quippe Quadragesimale tempus), arma seu insignia regia ad perpetuam hominum memoriam in signum fundationis posita in sublimiori Ecclesiæ loco, in medium chori dicta hora repente ceciderunt, quæ in minutissimas partes divisa huc atque illuc sparsa fuere. Quod videns Christophorus dixit illico : « Quid est quod accidit? Corruit scutum regium! insignia regis Magni Philippi confracta sunt! Quid enim est hoc, nisi quia hoc anno Rex sit moriturus, et in aliud regnum longe excellentius migraturus? » Quod cum vir Dei semel atque iterum repeteret, aliqui ex his qui eum audiebant cognoscentes illius abstractionem rerumque hujus sæculi ignorantiam (neque enim sciebat ille utrum rex Philippus an alius regnaret), propter hoc igitur rem tacite considerantes, post menses sex Regis morte comprobatam vaticinii veritatem cognoverunt.

Tandem Pius Pater pleuritide correptus, cum chirurgus scalpello illius nervum graviter læsisset, contracto ex hac incisione lethali vulnere ; cujus acutissimos dolores patientissime sustinuit, sexagenarius spiritum Deo reddidit anno 1602, die 11 Junii, relicta sanctitatis opinione. Hujus cadaver post mortem modestissime compositum fragrantiam suavissimam exhalavit. Funus celebratum est cum magno concursu.

Ex Mss. hujus Domus.

XII DIE JUNII

ARNOLDUS DE TRAJECTO

PRIOR ARGENTINENSIS

Non minus pietate quam eruditione clarus, morumque suavitate gratus Deo ac hominibus; præfuit Domibus Herbipoli, Argentinensi, Confluentiæ cujus professus erat. Cumque senio gravatus exauctorationem impetrasset, rursum coactus administrare Domum Argentinensem, vix quintam in Prioratu hebdomadam exegerat, cum præ senectute deficiens feliciter a laboribus pro Ordinis incremento susceptis requievit, anno 1382, circa mensem Junium, relicta sanctitatis opinione.

Catalogus Priorum Argentinæ.

HERMANNUS HOLTZMINNE

VICARIUS COLONIÆ

De quo Chronicon hujus Cartusiæ loquitur his verbis : « Domnus Hermannus Holtzminne, natione Westphalus, patria Burensis, cum matura jam esset ætate, presbyter ac parochus in Dornebach, diœcesis Paderbornensis, ac sæculi hujus quiete, pace ac commodo temporali haud mediocriter floreret: attendens prudenter veram sapientiam non in terra suaviter viventium inveniri, sed de occulto trahi; præsentis vitæ blanditiis calcatis, ad pretiosæ margaritæ (æternæ scilicet vitæ) fulgorem mentis aciem attollens, solum proprium deseruit; et ad monasticæ conversationis disciplinam aspirans, dimissis omnibus, Deo militaturus Ordinem nostrum Coloniæ assumpsit, anno 1374; in quo annis fere 24 sic laudabiliter sine reprehensione vixit, ut vita ipsius et conversatio sancta aliis esset in exemplum. Ministerium quoque ejusdem in diversis officiis adeo utile fuit huic Domui, ut circumspectione, diligentia, providentia et labore ejusdem gravi ac multiplici, hæc eadem, a debitis quibus gravabatur exuta, ad fundamentum bonum et stabile perducta fuerit. Cessit e vita Vicarius anno 1398, 12 Junii.

Hactenus Chronicon Cartusiæ Coloniensis.

BERNARDUS LENADOR

VICARIUS SCALÆ DEI

Ex oppido Mansonis in Aragonia oriundus, anno 1500 suscepit habitum

Religionis. Cujus vita, ob exactam disciplinæ regularis observantiam multum commendabilis, omnium existimationem ipsi comparaverat. Quapropter primum Vicarius, deinde Procurator institutus, cum hæc munia laudabiliter exercuisset, redditus cellulæ quieti, jugi addictus orationi, naturæ debitum persolvit anno 1549.

Ex Manuscriptis.

XIII DIE JUNII

JOANNES PETRI

PRIOR ZIRICZÆÆ

Patria Delfensis; ante Ordinis ingressum nominatissimus Clericus, se se in Cartusia Capellæ cultui divino mancipans, hancque eremum suis bonis adaugens, multo amplius suis ditavit virtutibus; singulari namque humilitate, devotione, ac morum innocentia effulsit. Vicarii officio ibidem religiose perfunctus, Priorem etiam egit in Domo Ziriczææ, a quo munere exoneratus, sancte e vivis excessit anno 1449, die 13 Junii.

Chronicon Capellæ.

THILEMANUS MOSENUS

PRIOR BUXIÆ

Hujus venerandi Patris memoria celebratur in Chronico Cartusiæ Buxiæ, cujus verba hic subjicimus : « Thilemanus (vel Tillemannus) Mosenus, vel ut alii malunt, Moscus, Westerburgo oriundus, professor olim Academiæ Trevirensis, et seminarii, quod Bursam vocant, Rector : vita in melius mutata, Religionem Cartusianam professus est in Domo Montis S. Joannis Baptistæ in Hassia, tantosque fecit in ea brevi profectus, ut post mores suis probatos, ad alios et exteros religiose vel formandos vel fovendos missus fuerit.

Institutus ergo Prior in Cartusia Boni lapidis, prope oppidum et castrum Urach in Ducatu Wirtenbergensi sita, tumultuantibus jam rusticis, ac Principibus ad Lutheri hæresim deficientibus, præest, et tanta prudentia vitæque cum suis innocentia prodest, ut etsi alii Ordines passim Wirtenbergensi territorio pellerentur, ipse tamen, nisi facta sibi spe redeundi, et pacto quotannis ex destitutæ Domus redditibus aliquot centenos florenos recipiendi, quos Principes illi tanquam obligationem pro illato damno refunderent, cedere noluerit ; quod, suas partes interponendo glorioso et mirabili suorum hostium victore et triumphatore Carolo hujus

nominis Imperatore Quinto, Udalricus et Christophorus, Wirtenbergenses duces, se facturos affirmarunt, et promissis (quod syngraphis doceri potest) steterunt, donec Fide virtute theologica jam extincta, moralis quoque cum altera tanquam sua basi concideret. Cartusia autem jure prioribus annis a VV. PP. Visitatoribus repetita, cum Dei Imperatorisque favore recuperanda sperabatur.

« Pulsis, ut præfabar, vel hoc pacto, anno 1535, Cartusianis ab asceterio suo Boni lapidis, B. Virgini et Matri mirabili sacro, furibunda hæresis super lapidem non reliquit lapidem. Bonis interim incolis, aliis Erphordiam, aliis alio concedentibus, V. P. Thilemanus Aulæ nostræ (id est Buxiæ), donec postliminio revocaretur, per Capitulum generale eodem anno 1535 celebratum præficitur. Ubi tam strenue suas partes egit, ut a Capitulo generali ejusdem anni tota illi Provincia Alemaniæ Inferioris tot inter pericula visitanda, confirmanda et restauranda primario committeretur : vel potius in Bono lapide institutus Visitator, hic in eodem officio stabiliretur, quod usque ad mortem egit per annos circiter octodecim.

« Virum fuisse apprime doctum et perfectum, ac magnum divini honoris, Ordinis nostri atque orthodoxæ Fidei zelatorem, plurimæ ad eum conscriptæ litteræ testantur. Quibus etiam de singulari rerum agendarum experientia, magna sapientia, aliisque bono Pastore dignis virtutibus commendatur. Et revera opus tunc erat hujusmodi Pastoribus, qui excubias super gregem Dominicum, caliginosa illa ingruentium hæreseon nocte agerent. Illa namque tempestate (ut alicubi V. hic Pater conquestus est) lupi non defuerunt, qui oves rapere, et syrenum more bonos Ulysses incantare tentarunt : sed expertus nauclerus, suo probe functus officio, cum suis ad portum salutis evasit.

« Extant ad hunc V. Patrem Reverendi, scriptis rebusque gestis celeberrimi, Patris Generalis Guillelmi Bibaucii litteræ, periculoso illo tempore in hæc scriptæ : « Velut strenuus Christi miles et fidelis dispensator collabora, ut nec te adversa frangant, nec dulcia carnalium hominum figmenta decipiant; sed fortis et fidelis pro Dei honore hominumque salute et Ordinis laude semper persevera. Fidelis et potens est qui promittit, nec pro se certantes æterna mercede fraudabit. Si quid possum pro te et tua consolatione, fratrem et amicum me semper habebis, etc. » Quod sane Thilemanus noster supra quam credi potest egregie præstitit, et susceptam provinciam laudabiliter administravit. Nec inanis aut irritus fuit illius labor, tum in bonis confirmandis, tum in discolis arguendis, tum in rejectis quoquomodo asceteriis restituendis.

« Magna quippe, dissoluto illo per hæreses sæculo, competitorum penuria fuerat; quo defectu, mirum, quam Patres Superiores cruciabantur. In tanta

etenim morum nequitia et dissolutione, hominumque lascivientium instar pecudum licentia, ipsum etiam nomen monachi in contemptionem fuit adductum. Propter varios rerum eventus et tumultus bellicos accidit, ut superiore ætate satis grande æs alienum conflaretur; quod tamen Thilemanus sua dexteritate non tantum dissolvit, sed et annuos præterea census numerata pecunia emit.

« Anno denique 1543, vita pie edita, ad cœlum remeasse religiosum hunc Patrem merito et ex multiplici merito speramus. Prior alias fuit Domus Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi in Reinschaw prope Zwickaw in Misnia, et Domus suæ professionis in Hassia. Præclarum sane ejus elogium legitur in Charta anni 1544 his verbis : Obiit D. Thilemanus Prior Aulæ Beatæ Mariæ in Buxia, Visitator principalis Alemaniæ Inferioris, et alias Prior in Hassia, qui a Lutheranis multas persecutiones passus, in fide Jesu Christi perseverans, obiit die 13 Junii, habens plenum cum psalteriis monachatum, etc. »

HIERONYMUS DE VILLAFRANCA

PRIOR DE COVIS

Ex oppido de Montblanc apud Cathalanos ortus; generis sui splendorem parvipendens, anno 1503, 3 Aprilis, Cartusianis Scalæ Dei dedit nomen, ubi Ludovicus frater ejus monasticum etiam susceperat habitum. Inter Christi milites adscriptus sub divi Brunonis vexillo, prælia Domini strenue prælians, multas de hoste generis humani reportavit victorias. Adstrictus autem per vota professionis, cum singulari præcelleret morum maturitate, admotus est Procuratoris officio, quod per quindecim annos exercuit non minus solerter quam religiose; nam curis occupatus licet externis, nihil de devotionis exercitiis detrahebat, semper vacans spiritualibus, quantum sibi licebat per domestica negotia.

Fragrantia virtutum ejus ubique diffusa, anno 1534 electus est a monachis de Covis in Superiorem ; quod quidem onus renitenti prorsus animo suscipiens, post biennium exauctorationem suam, quam precibus petierat instantissimis, a Comitiis generalibus extorsit. Ad cellam Scalæ Dei redux, quasi in alterum revolutus, non secus ac si hora novissima venisset, oblitus quæ hactenus fecerat, strenue salutem suam operatur, lectioni, scriptioni, orationi contemplationique addictissimus.

Ad laboris et meriti cumulum plurimis examinatus morbis, cum patientiam pene incredibilem inter dolores exhibuisset, tandem confectus jejuniis aliisque Ordinis macerationibus, in senectute bona migravit ad Dominum, relicta haud vulgaris sanctitatis apud omnes opinione, anno 1550, die 13 Junii.

Hujus eximii Patris perhonorifice meminerunt Annales Scalæ Dei part. 2ª. Josephus de Valles in Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

TIMOTHEUS DE LILIIS

PRIOR NEAPOLIS

Patria Mediolanensis; Cartusiæ Ticinensis alumnus; vir fuit ingenio, moribus, solertia, religione, modestia, gravitate, doctrina virtutibusque eximiis excellenter ornatus, tantaque dicendi præditus facundia, ut omnes ad sui venerationem simul et amorem alliceret. Anno 1541 ex regimine Cartusiæ Bononiensis translatus ad moderamen Domus SS. Stephani et Brunonis, postquam admiranda cum pace et tranquillitate Religionisque provectu huic eremo præfuisset, anno 1549, a Capitulo generali Prior Cartusiæ Neapolitanæ ordinatur. Ita autem gratus et familiaris erat Pio IV Pontifici Maximo, ut ab ipso inter purpuratos Patres adscriptus fuisset, si vixisset diutius. Nam morte præventus anno 1564, die 13 Junii, hanc non potuit consequi dignitatem. Retulit hoc ipse Summus Pontifex in hortis Bellaym, coram Patribus amplissimis Simonetta et Alciato, et D. Antonio Satriano, ac D. Hugone tunc Priore Trisulti. Luxere pauperes Timotheum tanquam patrem.

Ex Mss. Nicolai Riccii.

THOMAS DE AVERSA

PROCURATOR CAPRI

Anno 1515, die 27 Septembris, habitum Novitii suscipiens, post emissam professionem honestate morum et exterioris hominis compositione præcellens, Sacristæ primum, deinde Procuratoris, invitus licet, obivit munus. Petiit aliquando Neapolim negotiorum causa, ubi cum in hospitio degeret, contigit, ut leo ex arce evadens per civitatem ferociret. Commotus Thomas populi lamentabili clamore, beati Marci evangelistæ opem inclamans, feram cingulo suo apprehensam quasi agnum mansuefaciens, ad dominum de Ribera Neapolis proregem, plebe spectaculum hoc mirante, reduxit. Tali triumpho vir Dei nobilitatus, statim clam transfretavit ad eremum suam, quo totius Neapolitanæ civitatis plausum declinaret.

En alterum divinæ tutelæ miraculum. Post Thomæ in Cartusiam reditum, Turcæ prædones devastantes circumvicinas insulas, tandem Capreas appulerunt. Monachis ad Piratarum adventum se Neapolim recipientibus, Thomas remansit in cœnobio; cumque Christiani nominis hostes omnia igni necique traderent, totamque diriperent Cartusiam, ipse ante augustissimum Altaris Sacramentum in oratione perseverans, tectus sub umbraculo divinæ protectionis, Turcarum oculos fugit. « Vere, ut Divus Paulinus in Vita S. Felicis No-

lani loquitur, ubicumque Christus adest nobis, et aranea murus fiet : at cui Christus abest, et murus aranea fiet. »

Tale promeritus vitæ suæ sanctimonia patrocinium, Thomas præ humilitate dicebat se a Deo judicatum fuisse indignum qui pro nomine illius pateretur, suamque vitam fuisse productam, ut faceret dignos fructus pœnitentiæ. Quibus per longam macerationem collectis, tandem in senectute bona spiritum Creatori suo reddidit, anno 1575, die 13 Junii, postquam 60 annos in Ordine exegisset.

Ex Mss. Cartusiæ Capri.

XIV DIE JUNII

OLIVARIUS BEURMANT

MONACHUS GLANDERII

Sæcularium et divinarum litterarum scientia apprime eruditus; majorem ætatis suæ partem aut in discendo aut in docendo expenderat, cum post multas regiones peragratas, tanquam alter Appollonius Tyanæus nova semper discendi cupidus, advenit ad urbem Glanderio proximam : ubi forte Evangeliorum volumen legens, derepente mutatus in alium, cœpit divini Consilii secreta circa se mirari, modo ea, quibus tam tenaciter adhæserat, aspernari litterarum studia, toto adnisu quærere Dominum, qui eum in suis præveniebat benedictionibus dulcedinis. Igitur annum agens quadragesimum, se se recipiens ad hanc Cartusiam, cæteris præfulsit humilitate præsertim et strictiori Statutorum observantia.

Unde paulo post institutus in Sacristam, deinde in Vicarium, et tandem in Procuratorem, duce obedientia hisce officiis religiosissime perfunctus est. Ab his enim exterioribus plurimum abhorrebat, vir solitudinis ac silentii studiosissimus, et deditus multum spiritualibus exercitiis. Sed se se ad Superioris nutum et voluntatem componens, nullum refugiebat laborem. At ante obitum suum exhibuit incredibilem pene patientiam inter dolores corporis acutissimos, chirurgis morbo cogente carnem ejus lancinantibus. E vivis excessit anno 1619, die 14 Junii. Et post mortem cuidam monacho se visendum præbens, se translatum fuisse ad cœlestem patriam dixit absque ullo Purgatorii examine.

AMBROSIUS HELIOT

MONACHUS PARISIENSIS

Patria Parisinus; anno 1667, die 14 Junii, plenus dierum et bonorum operum e vivis excessit. Vir fuit austeræ admodum vitæ. Singulis feriis sextis crucem, in suo genu scalpello efformatam, non sine sanguinis effusione eodem instrumento in memoriam Dominicæ Passionis renovabat; eadem die solo pane et aqua victitans: feriis etiam secunda et quarta solitus cum Superioris licentia abstinentias servare. Fuit insuper ita silentio et solitudini addictus, ut rarissime in cellam admitteret sæculares vel Religiosos. Tibiarum ulceribus diutissime cruciatus, nunquam tamen ab Officiis tam diurnis quam nocturnis aberat indefessus divinarum laudum cantor. Quamvis crebris infirmitatibus laboraret, nullum nihilominus, qui sibi ministraret, famulum voluit, quem nunquam in cellula sustinuit, nisi paucas ante mortis suæ horas, Domno Vicario etiam hoc ei imperante. Chorum semper frequentavit usque ad ultimum fere diem, quo adstans Sabbati Vesperis, ibi extremo correptus morbo, seu potius natura viribus deficiente, ad cellulam deportatur; ubi Dominica die transacta, sub Matutinas feriæ secundæ placidissime expiravit. Vixit in Ordine annos 56.

Ex Manuscripto Domus Parisiensis.

XV DIE JUNII

JOANNES LUSTODE (LUSCOTE)

PRIOR LONDONIARUM

Vir ob pietatem, morum probitatem, regularis observantiæ zelum, haud vulgarem prudentiam ita celebris, ut omnes Angliæ Domus, juxta Capitulorum generalium Ordinationes, a Joanne tanquam a sapientissimo Moderatore regerentur. Ad ejus etenim consilium singuli Priores recurrebant in rebus arduis, quas ipse ad felicem exitum adducebat. Anno 1368 agebat Priorem in Domo Henton et Angliæ Visitatorem. Anno 1370 institutus primus Rector Domus Londoniarum, deinde primus Prior ibidem usque ad annum 1398 præfuit, quo meritis dives, in senectute bona sancte diem extremum clausit 15 Junii. Fuit initiator Domus Conventriæ. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis celebrati in Domo Seiz anno 1399, et post extinctum Ordinis schisma rursum fuit descriptus in Chartis Capitulorum generalium annorum 1412 et 1415.

Agit de Joanne Lustode Monasticum Anglicanum.

GUILLELMUS RAYNALDI

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Arvernus patria; professus Cartusiæ; ex gubernaculo Vallis bonæ in Ordinis Generalem sublimatus anno 1367, clavum tenuit usque ad annum 1402 quo vitæ cursum absolvit die 15 Junii, non autem 5, uti refert Petræus.

Tanta Guillelmo inerat antiquæ severitatis auctoritas ab usu rerum, insignique prudentia triginta et eo amplius annos parta, totius Ordinis vel certe Magnæ Cartusiæ moderamen habenti, ut cunctis virtutis nomine venerabilem se præberet : prorsus ut, inusitata quadam vere Christiani animi libertate, non dubitaret, incorruptus rerum censor, Principes viros gravissimos perscriptis litteris ad officium cohortari, et corruptos aliquando Curiæ Pontificiæ mores acriter perstringere. Qua gravi religiosi animi severitate tantum sibi Guillelmus integerrimæ vitæ nominis comparavit, tantumque honestissimis hisce virtutis studiis existimationis adeptus fuit tempore schismatis apud Pontificiam Curiam Avenione versantem, ut cum, per interregnum Clementis VII, 26 Cardinales Comitium essent ingressi ad successorem illi deligendum, undecim ex illis Guillelmo nostro constantissime faverent, eumque Summo Sacerdotio a sanctitate morum dignum ducerent; ubi primum Comitia illa paululum in dissidium spectare conjecerunt, Gallica natione Pontificem sui nominis, non autem alterius, deligi peroptante.

Quod tam honorificum Cardinalium judicium de Guillelmo cum inde Benedictus XIII, qui iisdem in Comitiis Pontifex renunciatus fuit, versaret animo, eumdem Guillelmum, in vastas suas abditum solitudines ac nihil tale cogitantem, in Senatorum numerum cooptare voluit. Quod ubi ille audivit, indoluit vehementer, et tanquam sui propositi tenax præstantissimus Pontifici maximas gratias egit, oblatum vero punicei galeri decus pertinaci animi decreto repudiavit omnino, quod ille septuagenario major, non de purpura sed de sepulchro sibi cogitandum esse diceret.

Sub ejus regimine tota Cartusiæ Domus flebili incendio conflagrata est circa annum 1372. Cum autem Guillelmus, uti erat vir admodum timoratus, formidaret ne ob peccata sua aut suorum Deus istud incendium suscitasset, hoc pacto meruit a Deo consolari. Per id temporis erat in Sabaudia quædam virgo monialis sanctitate conspicua, quæ misit ad Majorem Cartusiam viros, qui Reverendo Patri id dicerent : « Noli, Pater Reverende, noli mœrore tabescere, noli timere. Non enim ob culpam aut tuam aut tuorum, hæc tibi calamitas obvenit, sed maligni hostis invidentia hæ flammæ suscitatæ sunt, qui Domum tuam ob sacræ Religionis observantiam molitur extinguere ; fecit pestifer ille quod potuit, sed citius commentum ma-

ligni in suum caput Deus optimus retorquebit. Nam quæ nunc Domus jacet in cineres resoluta, multo quam ante excelsior reflorebit. »

Quod quidem Prophetissæ verbum ocyus completum est. Nam Summus Ecclesiæ Præsul Gregorius XI, audita Domus conflagratione (erat autem tunc adhuc Avenione degens) ingemuit, et maximam auri summam, qua Domus restauraretur, impertiit. Carolus Quintus Franciæ rex, multum propensus in Cartusianos optimeque affectus erga Guillelmum, misit illi quatuor millia florenorum pro reparatione monasterii, ea lege tamen ut quotidie pro eo Missa celebraretur; quod Prior intelligens noluit tali sub conditione florenos recipere. Rex vero arbitrans Guillelmum propter conscientiæ scrupulum remisisse pecuniam, rursus eamdem summam nulla conditione adhibita dono dedit. Tunc Prior florenos pro reædificanda Domo impendens, pro Rege singulis diebus sanxit celebrari Missam in perpetuum. Multi alii Magnates porrexerunt etiam manus auxiliatrices Guillelmo Cartusiæ Majoris restauratori, qui antea Novas Consuetudines Ordinis seu Statuta promulgaverat.

De Guillelmo agunt Dorlandus, Sutor, et multi alii.

JOANNES DE EICK

NOVITIUS TREVIRENSIS

Dimisso Canonicatu, habitum in hac Domo suscipiens, obiit anno 1439, die 15 Junii, relicta ingenti sanctitatis opinione.

Ex Manuscriptis.

XVI DIE JUNII

ROBERTUS PALMER

PRIOR CONVENTRIÆ

Ex professo et Procuratore Domus Londoniarum primus Conventrensis Cartusiæ Rector, ac deinde primus Prior ordinatus, per vitam omni genere virtutum exornatam factus forma gregis, diu hoc officium exercuit, quod quidem multoties infirmitates causatus voluit excutere. Verum humeros oneri subjicere coactus, post laudabilem 28 annorum spatio administrationem, tandem felici morte a laboribus requievit. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anno 1409 in Domo Seiz celebrati. De Roberto mira narrat quidam Joannes Broeyres, professus Cartusiæ Bruxellensis, cujus verba licet inculta hic subjicio :

« Imperante Wenceslao Rege, erat

Pastor quidam ecclesiæ parochialis in Anglia, Robertus nomine, vir simplex, rectus, ac timens Deum; qui ex devotione transtulit se cum quodam alio presbytero ad Terram Sanctam, ad visitandum Sepulchrum Domini, et loca Passionis Dominicæ; proposuitque in corde suo semper ibidem manere. Unde rogavit Dominum ut eum dirigeret ad aliquem locum, ubi ei devote et quiete servire posset. Sed ei revelatum fuit divinitus in Missa, cum super Sepulchrum Domini celebraret, in idiomate Anglicano, ut reverteretur in Angliam, et Ordinem Cartusiensem intraret, quia Ordo ille esset semita recta ad vitam et Deo magis placens. Quo audito lætus effectus, retulit hæc socio suo, qui ambo inde recesserunt et in Angliam redierunt.

« Robertus vero cum venisset ad ecclesiam suam, revelatus est divinitus locus ubi deberet ædificare monasterium Ordinis Cartusiensis, et ibidem in Priorem eligi ad faciendum sibi ibidem populum acceptabilem Domino. Statim igitur surrexit festinans ad locum sibi divinitus revelatum, et incepit fodere sarculo et facere quadrangulum juxta longitudinem et latitudinem sibi divinitus ostensam. Quod cum vidissent villani ad quos spectabat prædium, cohibere conati sunt ne ulterius foderet, se dominos fundi dicentes; quibus ipse respondit in simplicitate sua, quod Domini esset terra et plenitudo ejus, qui et sibi hoc præcepisset pro monasterio construendo. Villani probitatem simul et simplicitatem sui Pastoris agnoscentes, noluerunt secum contendere, nec eum contristare : sed negotia et facta sua ad Regem Angliæ detulerunt, qui optime noverat virum et Pastorem præfatum, quoniam vir timens Deum erat ; citavitque eum ad audientiam suam, ut rationem redderet super sibi objectis, et cur alienam possessionem propria auctoritate fodere cœpisset.

« Tunc Robertus jam dictus Pastor comparens, constanter necessitate compulsus retulit et exposuit coram Rege ordinem visionis, Regem interpellando quatenus advocatus et patronus causæ suæ esse dignaretur. Quod audiens, admirans pariter et agnoscens viri simplicitatem et sanctitatem, provocatus est ad risum, dixitque Rex adstantibus : « Quid vobis videtur? Ecce Robertus citatus est coram me tanquam ad judicem, ad definiendum quod justum est in causa hac, et jam me requirit et postulat advocatum ; quid vobis videtur ? » Videntes igitur omnes simplicitatem et sanctitatem Pastoris dixerunt Regi : « Assumat, obsecramus, regia Majestas vestra hanc causam terminandam. » Et factum est ut Rex emeret agrum illum et ædificaret ibi Domum ad laudem Dei et Ordinis Cartusiensis honorem, factusque est in eadem Domo sæpe dictus Robertus monachus et postea, Deo disponente, Prior; multis se exhibendo exemplarem per vitæ sanctitatem, atque transeundo de virtute in virtutem, in senectute bona quievit in pace. »

Hactenus Manuscriptum Bruxellense, ubi error emendandus occurrit cum dicitur quod Robertus in hac domo habitum Religionis susceperit; cum constat fuisse professum Cartusiæ Londoniarum. Ut primum namque Rex fundandæ Cartusiæ negotium in se recepit, ad sanctum virum Joannem Luscote Priorem Cartusiæ Londinensis Robertus accurrens, absque mora habitum petit, recipit, vixque professione emissa Procurator instituitur, quo fundationem hanc suam facilius promoveret. Nec diu laboravit pius Œconomus, quin votorum suorum expletionem cumulate impetraret, agente maxime nobilissimo viro Guillelmo de la Sowche, Regi a consiliis, et apud eum multa gratia pollente, qui rem totam absolvit, ut testatur Monastici Anglicani Auctor his verbis :

« Anno Domini 1381, ad instantiam domini Willelmi domini de la Sowche proponentis primo fundare Domum Ordinis Cartusiensis juxta Conventriam in honorem sanctæ Annæ, rex Ricardus secundus, post Conquestum, concessit et acceptavit dictam fundationem, et se fecit principalem Fundatorem ejusdem. Et in Parliamento apud Westmonasterium post festum sancti Michaelis eodem anno celebrato, auctorisata et confirmata fuit dicta fundatio.

« Facta deinde ab eodem Domino de la Sowche fide de sufficienti dotatione facienda eidem Domui, missi fuerunt Conventriæ ad instantiam dicti Domini per auctoritatem Domni Joannis Luscote, tunc Prioris Domus Cartusiensis London et Visitatoris provinciæ, tres monachi ejusdem Domus London : videlicet Robertus Palmer tunc Procurator Londinensis qui fuit primus motor et causa ejusdem fundationis ; Joannes Neterbiry tunc Vicarius ejusdem Domus, et Edmundus Dallyng, qui in Vigilia sancti Andreæ apostoli venerunt Conventriam, et in eremitorio sanctæ Annæ ibidem demorari cœperunt; et deinde associatis eisdem tribus monachis Domus Bellæ vallis et aliis quatuor ibidem de novo professis, per septem annos in eodem eremitorio morati sunt. Deinde ad instantiam ipsius Domini de la Sowche, dominus Baldewinus de Freuylle miles, filius Baldewini senioris, dedit regi Ricardo pro fundatione prædicta 14 acras terræ, in quibus Domus ipsa nunc sita est, de suo dominio de Shoterley. Et ulterius tempore quadragesimali sequente, pro eo quod prædictus Dominus de la Sowche infirmabatur ad mortem... »

Cætera require in nostro Volumine Cartusiarum Angliæ.

BARTHOLOMÆUS

PRIOR RUREMUNDÆ

Mosæ Trajecti natus ; ante Ordinis ingressum publice sacram Theologiam professus fuerat. Inter Cartusianos Ru-

remundenses annumeratus, tot virtutibus floruit, ut non multo post non solum hujus monasterii, sed etiam totius Provinciæ susceperit moderamen. Erat enim ob mores egregios spectabilis et in regulari disciplina exercitatissimus, ac veluti quoddam Cartusiensis familiæ sidus præstantissimum, ubique doctrinæ simul et virtutis suæ radios spargebat. Quamvis Statutorum esset zelator maximus, zelum temperabat summa mansuetudine, adeo ut paterna omnibus exhiberet misericordiæ viscera, dum ipse sibi durus ac austerus, suique corporis erat acerrimus castigator.

Cumque Christi bonus odor factus optime audiret apud Priorem Cartusiæ, Ordinis Ministrum generalem, frequenter ab eodem ad Ordinis Comitia convocabatur. Ille vero tanti laborem itineris aggrediens, non equo insidens, sed castigandæ carnis causa per tot viarum anfractus pedibus iter conficiebat, ibique tanquam Dei Angelus eccipiebatur.

Tandem cum senio et morbis attritus multoties exauctorationem petiisset, anno 1446 voti compos factus, mense in solitudine vix expleto, sanctissime naturæ debitum persolvit, eodem anno 1446, die 16 Junii, uti notatur in Charta Capituli generalis, non autem 4 Idus Julii uti scripsit Dorlandus.

Bartholomæum celebrant Trithemius, Bostius, Sutor, Arnoldus Raissius in suo Auctuario ad Molanum, Possevinus, Conradus Gessnerus in Bibliotheca, Henricus, Pantaleon, Bibliotheca Cartusiensis Petræi.

XVII DIE JUNII

LEOBAUDUS

PRIOR BELLILARICI

Floruit circa annum 1225 ; de quo Auctor Chronici ms. Bellilarici agit his verbis : « Secundus post virum sanctum Stephanum fuit Prior Leobaudus, sicut et ipse Portarum monachus, qui Domum rexit quinque annis. Hic magnus et honoratus in sæculo fuit, magnis divitiis affluens ; qui paupertatem et humilitatem Christi eligens, magnum exemplum virtutis nobis dedit. Qui profecto nihil melius quam suus Conventus accipere voluit. Nam quadam die foras ituro coquinarius ei pitantiam attulit ; ipse vero percipiens, quod Conventus pitantiam non haberet, præcepit ei in virtute obedientiæ, ut eam comederet, et nunquam ei de cætero pitantiam sine Conventu afferret. Coquinarius vero dictam pitantiam coactus et invitus cum lachrymis manducavit. Magnam Bibliothecam scribi fecit, et textum quatuor Evangelistarum quod in claustro legi-

tur, et multa bona alia fecit. Qui postea petitam ab eo *misericordiam* a generali Capitulo recepit, et ad Domum propriam reversus, quievit in Domino in senectute bona. »

ALPHONSUS SEGURA

MONACHUS SCALÆ DEI

Castellanus, in oppido, quod civitatem Roderici vocant, natus ex obscura familia; Juri civili dedit operam, in quo multum se reddidit commendabilem. De oratoria etiam facultate politioribusque litteris optime meritus, magnam sibi comparavit laudem et Magnates quosque viros sibi devinxit, qui plurimum apud Regem valebant, quorum quidem favore Alphonsus dignitates ambiebat. Hic enim una cum Lucio Marinæo, Siculo Auctore non incelebri, a quo valde diligebatur, aliisque nonnullis, eloquentiam in Hispania per id temporis collapsam a suo statu quondam florentissimo, ad pristinum splendorem sedulo revocavit.

Primum enim sub Ferdinando Herrariensi, Latinos inter suo tempore principe, deinde sub Ildephonso Isla Ferdinandi discipulo, Compluti edoctus in humanioribus litteris, Cæsaraugustam Aragonum Regiam profectus, Marinæum Siculum invisit; quo adjuvante, aliisque ejusdem facultatis alumnis, conscendit ad altiora; et Joannem a Cavallaria nobilem adolescentem, qui Alphonsum in Aragonum corona Vicecancellarium avum habuerat, a Seguritano nostro jam institutum in oratoria facultate, Ilerdam ac post biennium Salmanticam proficiscentem secutus est, ut Jurisprudentiam adipisceretur. Cujus feliciter absoluto curriculo, dum in regia Curia bene meritus versaretur, evocatus ad vitam religiosam, regressus in Cataloniam, anno 1514, die 20 Decembris, Cartusianis Scalæ Dei nomen dedit.

Hac in eremo se se regularis observantiæ exemplar præbens, silentio ac solitudini fuit addictissimus; erat autem aspectu austerus, quamvis aliunde erga omnes singulari charitate afficeretur. His accedebat haud vulgaris morum gravitas, quæ Alphonso venerationem omnium conciliabat. Hujus præstantissimi viri virtutem Deus molestissimis carnis tentationibus probari permisit, adeo ut sæpe sæpius Alphonsum tæderet vivere; verum fortiter dimicans adversus diabolum semper victor evasit. Vidit aliquando dæmonem, quem statim fugavit signans se Crucis signaculo. Ex ore ejus frequenter benedictiones audiebantur; unde si quem volebat alloqui, a benedictione incipiens, tacito nomine proprio ipsius, sic eum vocabat : *Benedicion de Dios, audi* vel *vide*.

Cum autem ad vitam meliorem jam erat migraturus, tale contigit : Erat Alphonsus in cella sua Defunctorum

Officium persolvens, et ecce quidam monachus alludens ejus consuetudini, qua omnes *Benedicion de Dios* appellabat, ait illi : « Benedictio Domini super caput justi. » Et ille : « Pax tecum, Pater. » Cui monachus : « Vis, eamus ad deambulandum animi gratia ? » « Fiat, inquit, quandoquidem ex charitate petitur. » Cumque egressi fuissent Domum ad tertium jactum lapidis, et Lectionem Defunctorum septimam diceret, quæ incipit : *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur,* exclamavit : « O bone Jesu! esto mihi Jesus in hac hora, quia morior et valde crucior. » Et genibus flexis Confessionem socio suo fecit ; dicebatque : « Domine Jesu, in cella moriar; sed fiat voluntas tua. O bone Jesu! suscipe animam meam. » Inter hos sermones spiritum Creatori suo reddidit anno 1542. Scripsit Colloquia quædam inter Deum et animam idiomate Hispano ad hominis conversionem facientia.

Annales mss. Scalæ Dei. Joseph de Valles in Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ Hispanico sermone scripto.

ANNA MAZERS

CELLERARIA BRUGIS

Cujus virtus et religiosi mores per sexaginta annos, quibus in Ordine vixit, semper effulserunt; ad Sponsum meritis dives migravit anno 1586, die 17 Junii.

GUNDISALVUS DE DIOSDADO

RECTOR XERITII

Anno 1574, die nona Augusti, habitum Religionis suscipiens, ab ipso sui ingressus exordio fundamenta perfectionis posuit in plena suæ voluntatis ad omnem obedientiæ nutum compositione. Sic obedientiæ addictus ne latum quidem unguem recessit unquam a regularibus observantiis, in extrema etiam ætate illas petens licentias, quæ antiquioribus permittuntur. Silentium tenebat religiosissime, quo plures horas quotidie procul ab arbitris orationi daret, sic Deo conjunctus, ut ipsi terrena essent fastidiosa. Fuit familiarissimus illius viri venerabilis, qui ob suam humilitatem vocatus est Joannes Peccator, fundavitque xenodochium sancti Joannis de Dios in Xeritio, cujus Vitam scripsit Hieronymus Mascarenas episcopus Segoviensis. Is Dei servus frequenter ad hanc Cartusiam accedebat, de rebus divinis una cum Gundisalvo locuturus; quem et Gundisalvus aliquando in sua cellula vidit orantem in aera sublevatum fulgoribusque circumdatum.

Devotissimus fuit erga augustissimum Altaris Sacramentum, cujus cor facibus charitatis ardebat ad tanti Mysterii contemplationem. Accidit quod cum celebrasset, die Octavarum festi Corporis Christi, Missæ Sacrificium ea qua solebat pietate, Vesperisque sanus

adfuisset, tanto repente fuit divini amoris igne succensus, ut foras exiens, vultu coruscante, dicensque, « Calix tuus inebrians, o dulcissime Jesu, quam præclarus est! » se se receperit in suam cellulam; ubi cum genua flexisset, tantis ardoribus impar, suaviter expiravit anno 1621, die 17 Junii. Paulo post ingressi monachi corpus exanime prostratum et decenter compositum repererunt, Deo gloriam dantes, qui servum suum tam pretiosa morte ad cœlestem patriam evocaverat. Decessit Gundisalvus annum agens ætatis 70, Rectoris olim functus officio hujus Cartusiæ.

ANTHELMUS GIACCHI

CONVERSUS FLORENTIÆ

Anno 1656, die 17 Junii, carnis exuvias deposuit, desideratus, desideratus, inquam, Mariæ et Marthæ muneribus.

Ex Kalendario Domus Florentiæ.

XVIII DIE JUNII

GUILLELMUS DE MOTA

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Natione Gallus; professus ac multo tempore Majoris Cartusiæ Procurator; dum id muneris ageret, morantem R. P. Bonifacium Ferrer in Cartusia Vallis Christi, ibique ex mandato Benedicti Pseudopontificis, Generalis officium in Hispaniis obeuntem, anno 1411 ob quædam negotia, convenit; et cum credulus nimis, Bonifacio, minime canonicam fuisse Alexandri V Summi Pontificis factam a Patribus Concilii Pisani electionem demonstranti, assensisset, a vero legitimoque Christi in terris Vicario Guillelmus desciscens, stetit a partibus Benedicti et in præfata Domo Vallis Christi remansit, Alexandro adhæsisse pœnitens. Postea ab Hispanis in locum Bonifacii fatis functi suffectus, expleto biennio, Martinum V Sacrorum Antistitem ab Ecclesia universa tanquam verum Petri successorem habitum conspiciens, statuit schismati quod in Hispanis adhuc perseverabat finem imponere.

Ad id operis prudenter tractandum, Domnum Franciscum Maresme Priorem Portæ Cœli, virum singulari prudentia, morum gravitate, ingenio ac dexteritate in rebus agendis præditum, et Domnum Joannem Sans Priorem Vallis Christi, virum utique pietate ac doctrina spectabilem, ad Patres primariæ Cartusiæ delegavit, qui cum iisdem Patribus de mediis ad procurandam totius Ordinis unionem tractarent. Ipse interim Guillelmus, pacis et concordiæ

zelator, per eosdem deputatos Patribus significavit se alacri promptoque animo renunciaturum Generalatui, modo totus Ordo noster sub unius Pastoris regimine pristinam pacem, unitatem splendoremque recuperaret.

Ambo igitur Patres ad Majorem Cartusiam profecti, mense Januario, anno 1419, perhumaniter a R. P. Joanne de Griffomonte Majoris Cartusiæ Moderatore suscepti, causam itineris sui Patribus exposuerunt; cumque coadunati omnes agerent de desiderata tamdiu toti Cartusianæ familiæ concilianda unione, ab utroque Præfecturam generalem abdicandam esse veluti medium pacis tutissimum decreverunt. At antequam res perficeretur, Hispani Patres Martinum Summum Pontificem, Florentiæ per id temporis versantem convenerunt, a quo summa cum humanitate ad oscula pedum fuerunt admissi. Re consulta, explorata approbataque a Christi Vicario, adaucti ambo benedictione Apostolica, Prior Vallis Christi ob domestica negotia ibi aliquandiu demoratus est, dum Franciscus Maresme in Cartusiam Majorem revertitur.

Convocantur interim ad Capitulum quoddam privatum adjacentium Domorum Priores. De utriusque deliberatur renunciatione; verum rebus omnibus diligenter circumspectis, rationibusque subductis, Joannem de Griffomonte in officio confirmantes, Guillelmum de Mota a generali Præfectura unanimi consensu absolverunt. Cujus quidem faustæ adeo negotiationis exitus in Charta Capituli eodem anno in Majori Cartusia celebrati fuit intimatus, quo unusquisque ad referendas divino Numini gratias pro collato unionis beneficio vehementius excitaretur. Hujus autem Ordinationis talis est tenor :

« Quia divina operante Clementia, Ordo noster per omnes mundi partes est ad plenum reformatus pariter et unitus, prout in quadam publica scriptura dilecti Fratris nostri Prioris Portæ Cœli, ad quam nos referimus, certis Priorum subscriptionibus et sigillis impendenti authenticis roborata, extensius continetur : idcirco de ipsa unione tanquam de nostro totali bono in immensum gaudentes, Deoque nostro pro suorum beneficiorum recognitione, et gratiarum actione pro modulo nostræ paupertatis gratifice satisfacere cupientes, ordinamus quod in qualibet Domo Ordinis una Missa de SS. Trinitate cum Collecta pro gratiarum actione in Conventu celebretur ; dictaque scriptura Prioris Portæ Cœli post lectam Chartam nostri Capituli generalis, eadem die vel sequenti, in pleno Conventu pro consolatione et informatione omnium recitetur, et Fratribus laicis in Capitulo ipsorum lingua materna a Præsidentibus exponatur. »

Finito tam feliciter negotio, redux in Hispaniam Guillelmo legationis suæ faustum exitum Franciscus denunciavit, qui summopere de tali exitu gavisus totus in gratiarum actiones effundeba-

tur; exultabat quod se se a gravi molestaque Præfecturæ sarcina exoneratum et a sollicitudinibus pastoralis officii liberatum cerneret. Interim pius Pater, cujus morum comitas et vitæ sanctimonia Hispanis omnibus erant amori et venerationi, instantibus Cartusiæ Patribus, in Domum suæ professionis multum desideratus revertitur. Ibi elapso biennio, post mortem Joannis de Griffomonte ad Ordinis regimen assumptus est.

Vir miræ humilitatis, quo magis sibi subditos dignitate præcellebat et sanctitate, eo magis nihil de se sentiens, se existimabat omnium peripsema et servum plane inutilem. Magnæ quoque fuit sollicitudinis in his quæ divinum cultum spectabant, cujus honorem et gloriam promovere ac adaugere studebat totis nisibus; unde ea cum modestia et reverentia divinum persolvebat Officium, ut tanquam Angelus apparens circumstantes provocaret ad devotionem. Crebra jejunia, parcus somnus, prolixæ vigiliæ, atque aliæ corporis castigationes illi tam leves ac jucundæ videbantur, perinde ac si his opipare convivaretur; nihil de rigore vitæ remittebat unquam, etiam in ipsa senecta, solitus servare abstinentias.

Homo adeo durus sibi ac immisericors totam aliis impendebat misericordiam; divini siquidem amoris et honoris flamma flammam pepererat, qua Guillelmus tantopere ardebat erga quoscumque sive pauperes, sive ægrotos, sive molestia aliqua afflictos, ut universa atque adeo se ipsum ad eos sublevandos erogaret. Nihil tam sibi necessarium esse putabat, quin non conferret libentissime ad alterius inopiam sublevandam. Tempore famis, cum circumvicina regio maxima necessitate premeretur, frumentum, panem, pecunias, pannos, et cætera id genus egenis abundantissime tribuit. Porro justitiæ, rectitudinisque ita fuit tenax, ut nec precibus, nec litteris, nec Principum minis a vero judicio discederet, nec ad dexteram deflecteret aut ad sinistram. Recte enim judicabat sine acceptione personarum, quapropter justus ac sanctus ab omnibus existimabatur.

Se se facillimum monachis exhibens libenter eis faciebat sui copiam, quos ad se venientes benignissime susceptos, non Fratres sed Patres illos vocare solitus erat, et sæpius volebat sedere juxta se. Quando autem descendebat ad inferiorem domum, nunquam equitando, sed peditando, libros in bissaculis super humeros portans, ibat sæpe solus et revertebatur. Aderat etiam operibus communibus, quæ statis anni temporibus injunguntur, cum monachis quasi unus ex illis laborans, Statutorum observantissimus. In Confessionibus audiendis, Sacramentis administrandis et cæteris spectantibus ad officium suum sedulus et promptus erat.

Cum autem, ut jam diximus, Ordinis abstinentias religiosissime servaret, erat tamen aliis indulgentior, præsertim se-

nibus ac infirmis, quibus se propitium exhibebat ac patrem benignissimum. Cum autem tanta erga extraneos charitate afficeretur, nec minor ei in suos amor erat : nam si quæ Domus Ordinis patiebatur necessitatem, ei Guillelmus subveniebat, magnas erogans eleemosynas, seque multum suis liberalem demonstrans. Porro Deus tantam charitatem compensavit ; nam industria Guillelmi, facultates Capituli generalis ac Majoris Cartusiæ bona multo amplius adaucta fuere. Ille interim in alios ita beneficus, vix sibi necessaria concedebat : paupertatis siquidem cultor eximius, unica tunica contentus erat.

Tandem post multos hujus vitæ agones, sempiterna immarcescibilique corona donatus est anno 1437, die 18 Junii. Cujus sanctitati post felicem obitum miracula multa testimonium perhibuerunt, quæ ab Auctore Chronici Majoris Cartusiæ referuntur his verbis :

« Post obitum ejus quidam Religiosus Domus Cartusiæ dolore viscerum graviter cruciatus, cum præ nimio dolore huc illucque se transferret, nec remedium inveniret, tandem per cœmeterium transiens, super sepulchrum dicti Patris se prostravit, si forte ex hoc aliquod alleviamen sentiret. Mira res ! statim ut hoc fecit, cœpit dolor mitigari et decrescere paulatim, donec penitus sanatus fuit. Alio quoque tempore, quædam mulier de Chamberiaco (quæ per octo annos continuis febribus laboraverat, nec ullum remedium invenire potuerat), cum ad Capellam Beatæ Mariæ de Casalibus infra terminos Domus Cartusiæ (ubi primi Patres Ordinis habitaverant) duos viros misisset facere oblationem suam, eo quod ibi plurima sanitatis remedia largiuntur ; fuit eis suasum, quod eidem mulieri portarent de herba quæ crescit super sepulchrum dicti Patris. Confestim ut hoc fecerunt, mulier ab infirmitate sua liberata est ; unde tantæ gratiæ non ingrata, misit ad Cartusiam unam albam sacerdotalem.

« Alia quoque mulier pari infirmitate detenta, audito quod factum fuerat, misit ad quærendum de herba sepulchri ejusdem Patris, quam ut recepit, mox sanata est. Nonnulli etiam de locis circumvicinis et de partibus remotioribus, variis infirmitatibus detenti, ad sepulchrum dicti Patris advenientes, desuper se prosternunt, et sanitati restituuntur. Facit adhuc ad propositum quod dictus Pater tertia die post mortem suam cuidam Religioso dictæ Domus apparuit, eique dixit : « Non propter me venio, sed propter te, ut te corrigas. »

De Guillelmo agunt Dorlandus, Sutor, Joannes Baptista Civera in Vita Bonifacii Ferrer, Nicolaus Molin, Martyrologium Gallicanum, Gallia Christiana.

HUGO LOERIUS

MONACHUS COLONIÆ

Theodorici et Brunonis Cartusianorum frater; discipulus V. P. Joannis Lanspergii, a quo ad omnem pietatem institutus; cum brevi temporis spatio monasticæ perfectionis palæstram decurrisset, a fratrum suorum virtute minime degener, devotissimus adolescens morumque innocentia haud vulgari exornatus, obiit phthisi, anno 1540, 18 Junii. Vota professionis emiserat anno 1535, 1 Aprilis.

Chronicon Cartusiæ Coloniensis.

PETRUS SUTOR

PRIOR PARISIENSIS

De quo Clemens Bohic in Chronico Parci meminit his verbis :

Petrus Sutor natione fuit Cœnomanensis, oriundus oppido du Chemere le Roy, quod tribus leucis distat a Cartusia Parci. Anno vero 1510, Cartusianus fuit factus in Domo Vallis viridis. Ipsum audiamus de se suaque conversionis causa loquentem, in epistola liminari Libri sui de translatione Bibliæ ad Doctores Sorbonicos :

« Multi sunt anni, quidem nostis, Patres Venerandi, quibus a vestro cœtu tum sapientissimo tum mihi gratissimo, post diutinos Theologicæ palæstræ agones tandem abscessi, et in Cartusianam solitudinem fugiens me recepi, quod et feci non sine difficultate gravi; verum multa spe refertus, id ipsum, multis admirantibus, ausus sum. Sperabam enim hoc pacto me posse fallacis delirantisque mundi vesaniam facilius diutiusque devitare, et ita devitare, ut nec rumores ejus quidem haurire mihi liceret; at vero spem ipsam eventus secutus non est. Non est, inquam, votis meis responsum, sed longe aliter quam speraveram, obtigit. Siquidem post aliquot annos in silentis angulo claustri traductos, tandem me vis obedientiæ impulit foras proficisci variosque adire locos, et demum multis incumbere negotiis; in quibus obeundis et plurimum distractus et sæculi rumusculis affatim refertus animus est, etc. »

Hæc ille. Sed quo anno Religionem sit ingressus non notat; patet tamen ex tabulis testamenti ejus (quæ servantur in Domo Parci, et scriptæ sunt anno 1510, 28 Januarii), quod sæculum non deseruerit ante prædictum annum. Hactenus Clemens Bohic.

Postea ob doctrinam et pietatem admotus regimini Domorum Vallis Dei, Parisiensis, Prateæ (Trecensis), et Parci, decessit in hac Domo Parci die 18 Junii, anno 1537, sepultus in Sacello Beatæ Mariæ Magdalenæ subtus gradum ad meridiem. Fuit Visitator Provinciæ Franciæ, multum laudatus in Charta Capituli ob ejus eruditionem non solum Ordini, sed toto mundo utilem.

BENIGNUS SCARSELLA

CONVERSUS BONONIÆ

Bononiæ natus ex honesta locupleteque familia. Primo monachorum habitum suscepit; at impar solitudini, cum mire erga Ordinem afficeretur, statum Conversorum sectatus est, diu coquinæ inserviens eo quod esset robusto corpore. Interim lingua Latina probe instructus Ecclesiæ ceremonias, Statuta, Ordinisque ministeria cæteris Fratribus interpretabatur, eosque serio erudiebat de vero sensu ac spiritu, quo hæc opera exteriora erant obeunda, ut Deo velut sacrificia a mente elicita magis placerent.

In his totus erat vere pius, vere benignus, sua exemplari conversatione cunctis antesignanus, omnibus gratus et urbanus janitor, discretus dispensator atque fidelis, prudens Novitiorum Magister, monasterio utilis, humilis, mitis corde ac pacificus. In hospitio S. Annæ degens se se ad nutum Procuratoris componebat, summaque cum Superiorum laude et confratrum auxilio rem administrabat domesticam, ambulans sine querela coram Deo et hominibus; famulos dirigebat in viam salutis, quibus miscebat de divinis rebus ac Sanctorum Vitis sermones. Erat aspectu venerabilis, prudens, modestus et paupertatis ac solitudinis amator, et multum laboriosus.

Cumque ætate provecta esset, reversus ad Cartusiam vacabat operibus pietatis : ac otii maximus osor, innixus baculo lignorum segmenta colligebat, quæ calathulo suo imposita pedetentim pro usu foci ad suam deferebat cellam. Varias infirmitates multa cum patientia diu sustinuit, quibus purgatus tanquam aurum in fornace, postquam dignis pœnitentiæ fructibus ad mortem, cujus præscius fuit, se se præparasset, ad beatam immortalitatem perrexit anno 1663, die 18 Junii.

Ex Chron. Cartusiæ Bononiensis.

XIX DIE JUNII

JOANNES GENESTA

MONACHUS GLANDERII

Multos libros conscribens, præsertim Vitas Sanctorum, hos sategit moribus sanctis exprimere. Vixit enim observantiæ regularis studiosissimus, silentii solitudinisque amator, cibi parcissimus, multum addictus jejuniis et abstinentiis per Statuta præscriptis, quin etiam cum sui Superioris licentia per multos annos abstinuit a vino. Pie efflavit animam anno 1488, 19 Junii.

HUMFRIDUS MIDDLEMORE, WILHELMUS EXMEW, SEBASTIANUS NEWDIGATE,

MONACHI LONDINENSES MARTYRES

De his Martyribus auctor Historiæ Martyrum Angliæ cap. 13 ita scribit : « His itaque sanctis eo quo prædictum est modo trucidatis, cum vix tres hebdomadæ intercessissent, quidam infimæ conditionis homines, et nullo digni honore, nec alicujus pretii aut existimationis, adierunt Vicarium Regis, postulantes ab eo auctoritatem vel potestatem plures Cartusianos divexandi et illudendi. Qua libenter concessa, mox concito gradu ad Cartusiam accesserunt, et tres alios Venerabiles Patres (qui tanquam capita remanserant) rapuere, videlicet Patrem Humfridum Middlemore tunc Vicarium existentem, qui antea Domus Procurator fuerat; deinde Patrem Wilhelmum Exmew prius Vicarium, nunc vero Procuratorem, eximiæ sanctitatis virum et apprime doctum, Græcarumque litterarum et Latinarum peritum; tertio Patrem Sebastianum Newdigate sacerdotem, nobilique genere natum.

« Qui omnes tres illius Domus Londinensis erant monachi professi : ætate quidem juvenes, sed animo morumque gravitate senes, sanctæ conversationis insignes, atque ex præclara familia et prosapia oriundi, et tertius eorum Sebastianus in aula Regis educatus, omnes bene eruditi magnæque constantiæ.

« Hos illi immanes et truculenti ignominiose comprehensos, in tenebricosum et fœtidissimum carcerem detruserunt, ac catenis ferreis circa colla et crura injectis constrinxerunt, postibus et columnis dirissime alligatos : cogebanturque hoc modo vincti sancti Patres continuo erecto corpore stare. Et quidem sic steterunt in isto crudelissimo martyrii genere sine ulla relaxatione, quacumque etiam corporis necessitate naturali premerentur, duabus integris hebdomadibus. Quibus transactis, producti sunt singuli seorsum in concilium, ac interrogati singulatim de eodem articulo, propter quem alii prædicti Patres (id est, DD. J. Houghton etc., de quibus ad diem 4 Maii egimus) interfecti fuerunt.

« Illi vero summa animi constantia profitentur se nulla ratione decretis et traditioni sanctæ Matris Ecclesiæ velle aut posse refragari : allegantes (ut erant egregie docti) ante tribunal judicum ex fonte Divinarum Scripturarum loca et sententias atque diversas auctoritates, quibus comprobabant Regem nulla juris auctoritate sibi posse Primatum Ecclesiæ vendicare, quem Summus Rex et Summus ille Pontifex Christus Jesus soli B. Petro, et ejus successoribus Romanis Pontificibus attribuit. His ita constantissime peroratis, cum in sententia immobiles persisterent, similiter ut Patres eorum, a quibus uti legitimi

filii nequaquam degeneraverunt, morti adjudicati sunt.

« Illi vero exultantes in Domino, cum omni alacritate se invicem ad tolerantiam passionum exhortabantur; *ibantque,* sicut de Apostolis dicitur, *gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati,* et subire mortem, ad quam veluti ad epulas properare videbantur : præ se ferentes magnam vultus hilaritatem cordisque lætitiam, et spem vitæ æternæ. Sicque tandem tres isti viri eodem mortis supplicio et tormentis eisdem affecti, quibus tres superiores Patres, sanctas Deo animas tradiderunt anno Domini 1535, die 19 Junii.

« Illud vero hic prætereundum non est, quod partim hi Patres, partim antedicti, cum carnifex (quod horrendum est) viva adhuc et palpitantia corda pectoribus raptim evulsa in eorum ora ingereret, simulque exprobraret illorum erga Regem inobedientiam et infidelitatem, unanimiter dixerunt : « Nostra illic sunt corda, ubi est thesaurus noster Jesus Christus, cui fidem promisimus et obedientiam, eamque a Supremo illo omnium Rege audivimus in cœlo commendari, qui et ipse jam incipit capitibus nostris imponere coronas de lapidibus pretiosis. Hæc tu Regi tuo renuncia, ut et is per ejusdem Summi Regis misericordiam aliquando conversus divina gratia, æterna corona non privetur, neque cœlesti gloria regnoque excludatur. Hoc nos illi, ut vere fideles subditi, piis semper votis sumus precati. »

Auctor præfatæ Historiæ cap. 8 de Wilhelmo Exmew egerat his verbis : « Extitit alius quidam inter eos magnæ humilitatis vir, qui et martyrio fuit donatus, venerabilis Pater Wilhelmus Exmew, de quo Auctor hujus Historiæ, qui ipsum familiariter noverat, quam humiliter de se ipso senserit hujusmodi recenset exemplum. Hic, inquit, cum esset juvenis annorum 28, genere præclarus, ingenio acutus, Græcis Latinisque litteris non mediocriter excultus, Religionis magnus zelator, strenuusque cultor Dei, cui vix similis aut par in omnibus Domibus Provinciæ inveniretur, primo Vicarius, postea Procurator Domus Londinensis designatus; cum singulis noctibus in fine secundi Nocturni, juxta consuetudinem quarumdam Domorum Ordinis, ab ecclesia recederet, tam verecunde quasi confusus, atque ita tristis exibat e templo (sicuti mihi crebro referre solebat), tanquam reprobatus esset a Deo; indignum se judicans, qui non solum annumeraretur, verum etiam appropinquaret Confratribus suis, vel in consortio Fratrum permaneret, cum iisque in laude Dei staret, atque in oratione consisteret; insuper timere se aiebat, idcirco electum se esse ad officium Judæ obeundum, ut forte cum Juda in fine condemnaretur.

« Quibus autem lachrymis illud munus Procuratoris admiserit, quæque

adhibuerit, et quot media pervestigarit, ut ab illo exoneraretur, noverunt omnes. Nunquam vidi quempiam magis ex animo dolentem vel amarius plorantem, quam cum ille, solitudine cellæ relicta, in tumultum sæcularium exire cogeretur, injunctum sibi ab obedientia executurus officium. Dolor ingens tunc attrivit cor humile. Margaritam enim pretiosam in solitudine et quiete inventam verebatur perdere in strepitu negotiorum; et gustato spiritu suavitatis ac dulcedine quietis internæ, desipiebat illi caro libertasque servilis. »

V. P. Georgius Transamus, natione Anglus, Prior Cartusiæ Neoporti, Manuscriptum nobis submisit de Sebastiani Newdigate conversione, quod hic de verbo ad verbum subjicimus : « Sebastianus Newdigate illustri familia ortus, generis nobilitatem præclaris animi dotibus superavit. Primam juventutem aulæ dedicavit, inserviens Henrico Regi ejus nominis Octavo. Huic soror fuit præstantissima matrona, cujus filia peperit magnam illam benefactricem Cartusianorum Domus Shene, quæ (Maria apud Anglos regnum obtinente) nupsit Duci de Feria. Hæc animadvertens Henricum Regem indomitis cupiditatibus de recta virtutis semita (quam tot annis institerat) abreptum in transversum agi, et illicitis aliarum mulierum captum amoribus, uxoris Catharinæ tædio affici; timens Sebastiano fratri suo, ne et ipsum tam mali exempli contagio absorberet (nihil enim tam usitatum quam servos ad dominorum mores se componere et iisdem vitiis delectari), invitavit illum ad domum suam, quæ unius diei itinere Londino aberat.

« Venientem cum summo gaudio excepit. Ac primo de perditis aulicorum moribus ingerit sermonem. Deinde memorat quæ fama sparserat de infami Regis libidine atque impio molimine, quærentis a legitima uxore Catharina pientissima fœmina separari. Hortatur ut caveat sibi a mundi illecebris et a diaboli laqueis; cogitet se Christianum esse, cui non licet vel minima peccati macula conscientiam inquinare.

« Ille Regem defendere : hanc affirmare famam atque de ipsius Rege opinionem immerito; Regis iniqua atque immane, quantum a vero abhorrere. Quid enim tam inauditum, tam incredibile, atque a vero alienum, quod non in populum fama disseminat pro veris? « Verumtamen, soror, si talis evaserit Rex, qualem ominaris, ex animi sententia promitto tibi, me futurum memorem consilii tui, et prospecturum saluti animæ meæ. » « Optime facies, inquit illa, si sic feceris. » « Faciam, ait ille. » Illa autem : « Timeo ne hæc omnia, ubi a me recesseris, excidant memoriæ tuæ. » Ad hæc ille, fixis in terram oculis, cogitabundus obticuit. Et post paululum : « Soror charissima, quid dices, si brevi audieris me factum Cartusianum ? » Illa : « Cartusianum ! timeo ne prius te videam suspensum e patibulo. Deus sua gratia

faciat te bonum laicum Christianum; nam tanta vitæ perfectio in illos competit, qui longe melioris metalli sunt, quam nos floribus innutriti, et molles aulici. » His auditis, subrisit ille, et dicto vale sorori ad aulam reversus est.

« Interea Rex impuris cupiditatibus pessumdatus et versus in reprobum sensum, antiquam pietatem deserit, obedientiam Sedi Apostolicæ debitam exuit, corruptissimos nebulones et sycophantas, qui parati erant sceleratissimas ejus cum pellice nuptias approbare, ad præcipua regni munia et summas dignitates evehit, dejectis illis, quibus timor Dei et conscientia bona honoribus et divitiis potiora erant. Quæ cum Sebastianus noster non sine summo animi dolore observaret, præsagiens atrocissimam tempestatem toti regno imminere, quæ magnas animabus clades importaret, memor verborum sororis, decrevit (abruptis omnibus retinaculis quibus erat mundo alligatus) se ipsum in libertatem vendicare, et quod vitæ superesset, in cella Cartusiana Deo et rerum divinarum assiduæ contemplationi impendere.

« Non illum locus quem in aula tenebat, retardare potuit, non Regis favor, quo præ cæteris felix credebatur, non dignitatum consequendarum spes certissima, modo se ad dissimulandum componere, et Regi, saltem in speciem, morem gerere et consentire vellet. Quippe cor illius Dei amore penitus succensum, peritura et caduca cœpit fastidire, et sola æterna suspirare. Itaque Cartusiam Londinensem adit, habitum postulat impetratque.

« Quod cum soror ejus audivisset, pene diriguit nimia admiratione. Arbitrabatur enim incredibile posse hominem tam repente ab uno ad aliud migrare extremum : a deliciis et voluptatibus, ad summam vitæ austeritatem; ab honorum et divitiarum ambitione, ad omnium rerum mundanarum contemptum; ab hominum societate et colloquio, ad silentium et solitudinem; a libertate, ad perpetuam clausuram, vel, ut ita dicam, carcerem. Suspicabatur fraudem aliquam diaboli satagentis imprudentem et incautum in altum tollere, ut subito inde deturbatum gravi morum ruina elideret, et flagitiorum cœno profundius immergeret. Nam quamvis, dum in aula maneret, indolis haud pessimæ credidit, tamen (virtutem si spectes) æstimabat nihilo cæteris aulicis meliorem. Adde insuper, quod naturali inclinatione adeo semper abhorruit ab esu piscium, ut comestos statim evomeret. Quid ergo illi cum Vita Cartusiana, quæ solis piscibus toleratur, et omnem a se usuram carnium, etiam in summis infirmitatibus arcet?

« Hæc secum animo volvens, decrevit Londinum proficisci, et Priorem horum omnium certiorem facere, atque etiam commonere, quod nimis inconsiderate juvenem ad se recepisset, cujus vitam anteactam et mores perspectos non haberet.

« Igitur plena talium cogitationum, Londinum properat, Cartusiam petit, et Priori sibi occurrenti (præmissa comiter salutatione) statim de Sebastiano fratre suo mentionem ingerit. Obsecrat ut secum bene consideret, an is qui totam vitam suam inter aulæ delicias et voluptates egit, idoneus sit ad subeundam Cartusianæ Vitæ austeritatem. Cui Prior : « Ne metuas, Domina; laus Deo, idoneus est. Pelle, quæso, hanc a te supervacuam sollicitudinem. Frater tuus emensa juventute, virilem ætatem emensus est : intellectu et judicio jam maturuit. Nihil temere, ut reris, aut inconsiderate egit : evidentibus signis manifestum fecit Deus, quod eum sua gratia (cui nihil impervium est) mutatum in alium virum huc attraxit, et novo spiritu donavit, ut repente ex nobili et perfecto aulico prodiret multo perfectior et nobilior Cartusianus. » « Si hæc ita se habent, inquit illa, benedicta lux, quæ prima nascentem vidit. Benedictus Deus qui tantis ereptum periculis et corruptelis aulæ in hunc tranquillum et securum portum collocavit, atque insuper donis spiritualibus supra votum et expectationem meam instruxit. Vere misericordia Domini super omnia opera ejus. Jam quod amplius illi timeam non est; quod vero gratuler et gaudeam semper est. »

« Tunc Prior jussit Fratrem Sebastianum accersiri. Venit ille, sed quantum a se mutatus! Modesta severitas in vultu, summa humilitas in incessu, summa gravitas in gestu, dejecti in terram et castigati oculi, animus in se reductus, et nihil mundi cogitans, signatæ profluvio lachrymarum genæ, lingua freni patiens et taciturna, vile et detritum vestimentum, ut verbo absolvam, omnia spirantia summam sanctitatem. Quod illa cernens, a lachrymis præ gaudio stillantibus non temperavit. Ergo Priori valedicens ac Sebastiano fratri suo, cujus se precibus enixe commendabat, discessit.

« Post illa, egregius athleta Sebastianus magnos quotidie in studiis et virtutibus progressus fecit, donec tandem ad gradum sacerdotalem non multo post professionem promotus est. Trucidato Regis jussu hujus Domus Priore, Sebastianus in carcerem cum duobus aliis conjectus, per aliquot dies et noctes steterat ad columnam alligatus catenis ferreis circa collum et crura injectis, neque cibi somnive inopia aut membrorum lassitudine expugnari poterat invictæ mentis constantia.

« Rex depositis regiis insignibus et mutatis vestibus, ut homines lateret, ad carcerem venit, et exhibitum hunc athletam blandissimis verbis aggressus est : Vide quam tenere te diligam, quantam curam habeam salutis tuæ? Quid hic meus erga te amor mereatur, considera; redde vicem, et dum tempus est, gere mihi morem ac subscribe legibus meis. Si feceris, cumulabo te divitiis et honoribus. Quid ergo hæres? Numquid aliud exigo, quod non omnes

totius regni mei Dynastæ et Cœnobitarum pars maxima præstiterunt ? Nisi forte te ipsum æstimas his omnibus sapientiorem et sanctiorem. Dimitte per Deum hanc contumaciam, neque obstinate eas te perditum. Erudiaris supplicio istorum trium Cartusianorum (Priorem videlicet Londinensis, Bellævallensis et Axholmensis Cartusiarum), qui paucis ahhinc diebus infami proditorum morte extincti sunt. Quorum si pergis exemplum imitari, idem te manet exitus. » Hæc et alia multa Rex, sed frustra ; nam neque blanditiis neque minis egregius hic martyrii candidatus plus movetur ; quare etiam cum aliis duobus laqueo suspensus est. »

Hactenus Georgii Transami Manuscriptum, quod, licet stylo admodum simplici exaratum sit, hic tamen adjecimus, de antiquitatis thesauro nova et vetera proferentes.

BALDUINUS CLOETINGHEN

PRIOR SANCTÆ SOPHIÆ

Vir in omnes effusæ bonitatis, vitæ admodum exemplaris et religiosæ ; post octennii laudabile regimen e vivis excessit anno 1548, 19 Junii.

Chronicon Domus S. Sophiæ.

NICOLAUS DISSEVERT

COADJUTOR ROTHOMAGI

Vir admodum devotus, exemplaris, promptissimus semper ad obediendum, miro fervore affectus ad divinas laudes decantandas ; plenus dierum et bonorum operum ad vitam meliorem migrat anno 1652, die 19 Junii.

XX DIE JUNII

GUILLELMUS DE MONGRIU

FUNDATOR SANCTI PAULI DE MARITIMO

Guillelmus de Mongriu, Sacrista major Canonicusque Gerundensis, anno 1269 hanc Cartusiam fundavit in vicecomitatu de Cabrera Gerundensis diœcesis. Quanta autem fuerit Guillelmi morum probitas, quantæ animi dotes, patet ex testimonio sancti Raymundi de Pennafort, Magistri generalis Ordinis Prædicatorum, cujus author Vitæ rem narrat his verbis :

« Hisce lucubrationibus (videlicet Raymundus) et assiduo humilitatis studio, quamdiu Romæ vixit, contra otiosam mentis evagationem et inanis gloriæ cupiditatem se ipsum tuebatur diligentissime. Quare oblatos etiam ho-

nores et amplissimas ecclesiarum Cathedras omni conatu repudiavit. Nam cum Gregorius Nonus Papa Archiepiscopatum Tarraconensem ei deferre decrevisset, id ille adeo graviter et moleste tulit, ut illico febri correptus, aliquot dies ingenti corporis animique dolore torqueretur. Itaque ab hujus mundi gloria alienissimus, omni ope contendit, ut eam a se dignitatem averteret. Quod cum per se non posset, adhibitis multorum precibus et quorumdam Cardinalium auctoritate, ejusdem Gregorii prædecessoris animum ita inflexit, ut illius Ecclesiæ onus in eum transtulerit, quem ei muneri B. Raymundus aptissimum esse judicavit. Nominavit autem, teste Diago, in locum Aspargi (sive Asparagi) Archiepiscopi Tarraconensis anno 1232 defuncti, Guillelmum de Mongriu tum Ædilem Ecclesiæ Gerundensis, virum egregium; qui tamen consecratus non est, sed aliquot post annis, videlicet 1237, ultro se quoque ea dignitate postea abdicavit. »

Decessit Guillelmus anno 1273, 20 Junii. Cujus obitus signatur ad hanc diem in Charta Capituli generalis 1274.

Joseph de Valles in suo Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

JOANNES FERREBOUCH

PRIOR NOVIOMI

Vir ob pietatem, regularis observantiæ zelum et prudentiam nominatissimus; qui primum egit Vicarium in Domo Ligeti, deinde ab anno 1405 usque ad obitum suum admotus regimini Cartusiarum Belnæ, Tornaci, Noviomi, Valencennarum; tandem rursus Prior ordinatus Cartusiæ Noviomi, in hoc officio moritur, anno 1438, die 20 Junii, postquam diu Picardiæ Visitator fuisset. Reliquit ingens sui desiderium; sub tanto etenim Pastore Provincia Picardiæ prospere Domini viam incedebat.

Catalogus Priorum Valencennarum.

MATHIAS VIGILIUS

PRIOR FRIBURGI

Prior Portæ montis (Bernensis), deinde Domus Friburgi, et Convisitator Provinciæ Rheni, non minus virtute quam eruditione celebris; plenus dierum et bonorum operum, ad vitam immortalem migravit anno 1572, die 20 Junii.

Catalogus Priorum Friburgi.

DOMINICUS DE CARRAGO

MONACHUS BURDIGALÆ

Venerandæ memoriæ Pacificus Tixier, quondam Prior Burdigalæ, scribens ad R. Patrem Leonem Tixier fratrem suum, testimonium de Dominico perhibet his verbis, quæ e patrio idiomate in Latinum a nobis translata subjicimus:

« Brevem, ni fallor, ad te misi V. P. D. Dominici de Carrago, in quo præcipuas ejus virtutes paucis retexebam: qua nimirum constantia, a Novitiatu ad extremum usque spiritum, Domini jugum portaverit, quantum fuerit obedientiæ deditus, cultor paupertatis, corporis sui severus castigator. Is in cilicio et stramine constanter mortuus nullum levamen quæsivit; ac licet ossibus suis cutem suam perforantibus dolores acutissimos sustineret, nihil in vultu tetricum, nihil in ore querulum, nihil denique in reliquo corpore minus ad modestiam compositum exhibuit.

« Neque pavebat ad mortis advenientis conspectum, ad quam, per tot mortificationum et jejuniorum genera, sibi tutum struxerat iter, imo giganteis passibus properabat. Morti igitur proximus cum a medicis judicaretur, Domnus Vicarius noster, morbo me tunc præpediente, Sacramenta ei subministravit, quibus corroboratus placidissime expiravit. Ad ipsius elogii cumulum adjicere juvat auream illam indifferentiam assecutum eum fuisse, qua omnia suscipiebat indiscriminatim tanquam a Deo sibi liberalissime concessa.

« Die Sanctorum Omnium festo, cum inter orandum beatitudinem eorum contemplarer, et tacitus apud me perpenderem, num forte ipsis aggregatus esset aliquis eorum quorum consortio in hac vita usus fueram, astitit ille mihi derepente Dominicus hilari soleque ipso fulgentiori vultu, qui non sermone, sed nutu se participem eorum jugis gloriæ esse mihi subinnuebat. Quanta lætitia perfusus fuerim, hæc intelligens, haud satis valeo tibi exprimere. Interim ejus conversationem religiosissimam, non narrantis visionem, æstima; nec cuiquam illam dixeris, tu enim me talia tibi revelare coegisti. »

Hactenus epistola Pacifici Tixier de virtutibus Dominici. Qui ante Ordinis ingressum Canonicus erat; diemque extremum clausit anno 1623, 20 Junii, in Cartusia Burdigalæ.

AUGUSTINUS GARZONUS

PRIOR PAPIÆ

Professus hujus monasterii, Lombardiæ propinquioris Visitator; pietate gravis, sapientia et doctrina nominatissimus. Adfuit anno 1631 in electione R. Patris Justi Perrot facta tempore Capituli generalis, cujus inter Diffinitores primas ipse Augustinus tenebat; qui electum Generalem ad tanti oneris sarcinam forti et masculo pectore subeundam, brevi quidem sed disertissima oratiuncula, cohortatus est. Sancte obiit anno 1633, die 20 Junii.

Catalogus Priorum Domus Papiæ.

XXI DIE JUNII

HUGONIUS

PROCURATOR REPAUSATORII

De quo fit mentio in veteri Manuscripto hujus Domus his verbis : « Hugonius cum aliquando, ut officio Procuratoris sibi demandato fungeretur, ad Clusam villam descendisset, forteque in itinere mulier occurrisset brachium aridum omnique prorsus sensu privatum deferens, ab eoque eleemosynam petiisset, ille misericordia motus dixit: « Et hoc, mulier, tibi do quicquid habeo. Pecunia non est mihi; at sanet te Dominus meus Jesus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.» Atque ita mulier restitutum sibi continuo brachium sensit, cunctis vicinis mirantibus et Deum laudantibus. »

STEPHANUS DE ARGENO

PRIOR BELLILARICI

De quo agitur in antiquo Chronico Bellilarici his verbis : « Stephanus de Argeno oriundus, nobilis genere, vir valde religiosus et religiose quatuor annis monasterium rexit. In illius tempore tertia pars claustri, quæ perficienda restabat, consummata est. Terram quoque de Avenis, campum etiam qui appellatur *Campus Comitis,* et quasdam alias possessiones Domui acquisivit. In Officio siquidem divino, sive in ecclesia sive ubicumque esset, si dictionem vel etiam syllabam se præteriisse perciperet, statim sumpta venia etiam plusquam debebat nimis sæpius repetendo iterabat. Hoc autem infortunio toto tempore suo multum extitit fatigatus. Quod nimirum ex labili memoria vel potius forsitan et timore fervoris et fervore timoris prætermittendi aliquid eidem credimus accidisse. Hic itaque ea nocte qua obiit, dicto Completorio ipse suum tenuit silentium; post modicum vero temporis vocato Procuratore dixit : *Domine, labia mea aperies*. Incipientes igitur qui ibi pernoctabant Matutinas, ipso etiam cum eis psalmodiante, cum continue Primam explicarent, ecce eisdem dicentibus : *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, et ipse (ut vere credimus) animam in conspectu Domini reddidit pretiosam. » Floruit circa annum Domini 1240.

MARTINUS GALINDEZ

MONACHUS DE PAULARI

Vir laudatissimæ conversationis, solitudinis ac silentii studiosissimus, addictus multum spiritualibus exercitiis atque accuratissimus ad obeunda singula Conventualium munia. Semel tantum quotidie comedebat. Præclarissimum semper extitit omnium virtutum exemplar, præditus moribus valde pacificis, et eximia in Fratres suos charitate, qua nihil ipsis denegavit unquam, singulis quantum in se erat satisfaciens. Ingenio siquidem præstans, sculpturam, toreuticen lignariam, mathesin, astrologiam, artes illiberales et alia hujusmodi perfecte callebat; harum peritia et mira morum facilitate Confratribus suis erat amabilis. Egregius etiam pictor multa reliquit tum in templo hujus monasterii, tum in cellis monachorum penicilli sui monimenta. Sed quod in Martino magis occurrit admiratione dignum, fuit ejus in frequentando choro sedulitas, adeo ut pene sit incredibile, quomodo tot rebus intentus, fractus insuper ætate devexa, accurate se se componeret ad omnes Cartusianas leges. Multis probatus morbis, quos absque ullo querimoniæ verbulo tulit constanter, octogenarius spiritum Deo reddidit, anno 1627, die 21 Junii.

XXII DIE JUNII

MICHAEL BLASCO

PRIOR VALLIS CHRISTI

De quo mentio fit in Chronico Portæ Cœli, capitulo 16, his verbis :

« Circa annum Domini 1460 factus est monachus in præsenti Domo honorabilis Pater D. Michael Blasco, magni meriti et sanctitatis vir, qui officium Vicarii strenue hic exercuit, postea vero factus est Prior Domus Vallis Christi. Qui cum ad Capitulum generale proficisceretur infirmatus Gerundæ in quodam cœnobio Fratrum Prædicatorum fuit charitative hospitatus. Rem quamdam in spiritu sibi præsensit futuram, quæ ad ostensionem perfectionis ejus a Domino illic permissa est fieri.

« Venerabiles enim Patres illi zelo etsi non secundum scientiam permoti, gravi ejus infirmitati nimis compatientes, remque innoxiam se facere arbitrantes, carnium substantiam secrete et simulate ei ministrare disponebant. Quod in spiritu prævidens noster hic sanctus Pater, talia in nostri Ordinis dedecus attentare prohibuit. Cumque illa devictus infirmitate ad Dominum migrasset, quidam illorum Fratrum

exscandalizati manserunt. Inter cæteros autem quidam scientiæ sibi nomen arrogans, venerandum Patrem nostrum non esse in statu salutis magnis se vocibus asserebat probaturum, eo quod, ut ipse opinabatur, poterat carnium, quas respuerat,esu a morte præservari. Sed ecce Deus noster vincens omnem scientiam, eduxit quasi lumen justitiam nostram et judicium nostrum quasi meridiem.

« Post paucos enim dies, Fratrem illum eadem infirmitatis specie, qua et Patrem nostrum, laborare permisit; adjutusque carnium suffragio, haudquaquam ultra dies octo vivere valuit, cum noster V. Pater suis tenuibus alimentis per unum mensem vitam prorogasset. Quod totum ad sanctitatem et innocentiam ejus demonstrandam nostrique propositi confirmationem factum creditur, utque non in inferno cruciari, sed in cœlo cum Christo gloriari Patrem nostrum oblocutores fateri cogerentur. »

Obiit autem anno 1488 circa hunc diem non completo anno in prædicto Prioratu.

PETRUS LASTANOSA

MONACHUS SCALÆ DEI

Ex illustri stirpe de Lastanosa natus; anno 1504, in Vigilia sancti Martini episcopi habitu Religionis donatus, non solum litteris sed etiam insigni morum probitate floruit. Cumque vitam longævam in silentio, solitudine, vigiliis, orationibus, ac jejuniis traduxisset, plenus dierum supremum diem obiit, anno 1566.

Joseph de Valles in Fundationibus Cartusiarum Hispaniæ.

CHRISTOPHORUS BOCHARD

PRIOR LIGETI

Germanus frater beati Honorati de Champigny, Ordinis Capucinorum, clari miraculis; filius Joannis Bochard domini de Champigny, Noroy la Lande, Regii publico de statu consiliarii. Calcato generis splendore, juvenis adhuc, Cartusianis Parisiensibus nomen dedit. Varia multum exemplariter obivit munia, Vicarium siquidem Vallis viridis et Coadjutorem, postea Priorem Bellilarici, Vallis Sancti Georgii et Ligeti egit. Demum ab hac sarcina exoneratus ad Domum suæ professionis redux, ibidem Antiquior Domus, meritis dives, anno 1644, die 22 Junii, spiritum Creatori suo reddidit.

Vir fuit eximiæ probitatis, innocentiæ et miri spiritus fervoris, quo omnes ad observantiam regularem, silentii solitudinisque amorem suo exemplo provocabat. In extremis annis pius senex velut in alterum revolutus, singula Ordinis munia tanta cum alacritate persolvebat, ut nullus eum conspicere posset ad ecclesiam properantem, choro assistentem, quin statim devotionem conciperet. Erat verborum parcissimus,

adeo ut si quis ipsum adiret, stans semper sæculares alloqueretur, ipsosque brevi quidem sed devoto sermone refectos dimitteret.

XXIII DIE JUNII

HENRICUS WEETHUSEN

PRIOR ULTRAJECTI

Professus Monichusen, vir laudatissimæ conversationis; decessit in senectute bona anno 1421, 23 Junii.

Chronicon Cartusiæ Ultrajectinæ.

PETRUS BAYONA

MONACHUS PORTÆ CŒLI

Author Historiæ Portæ Cœli de Petro sic loquitur cap. 24 :

« In Cella litteræ L, vixit quidam monachus juvenis, nomine D. Petrus Bayona Valentinus, cui ultima infirmitate laboranti quadam die cum paroxysmo contigit; cumque hoc accidente gravaretur solus manens vehementer sudavit. Quidam vero monachus nomine D. Ludovicus Palles ea ipsa hora accessit visitare eum; quem cum sudore madidum invenisset, sic allocutus est : « Si vis, fili, madefacta hac veste te exuam, et alia sicca te induam. » Cui juvenis, valde sibi gratum fore respondit. Tunc Domnus Palles madefacta illa veste juvenem nudans, ipsius corpus fricare cœpit, ut eum a sudore mundaret. Hæc ipso agente, morbus ille qui a medicis syncopa vocatur juveni supervenit, et inter fricantis brachia veluti mortuus corruit. Perterritus autem D. Palles et conturbatus infirmum destituens vicinum monachum festinus vocare perrexit, magnisque vocibus ipsum D. Bayonam mori insinuavit.

« Cumque his dictis reverteretur, juvenem ad se reversum, veste sicca indutum, in lecto reclinatum reperit et coopertum. Stupefactus D. Palles a quonam indutus esset et coopertus vigilanter inquisivit. Cui juvenis : « Nescio, Pater, inquit, credo tamen quod ab Angelo Dei; » ignorabat enim a quo vel quomodo indutus fuisset. Quis autem ab alio, quam a piissimo Jesu, Angelorum ministerio factum dubitet? Confusus autem et erubescens D. Palles quod juvenem in tali hora solum reliquisset, « Parce, inquit, o fili; credebam enim te in extremam venisse horam. » Cui lætus juvenis, usque ad diem tertiam se hinc non discessurum respondit. Quod et evenit. Vixitque in Ordine nostro annos novem, a die 23 Junii anni 1480 usque ad annum 1489. »

TRISTANDUS DE LAON

PRIOR ROTHOMAGENSIS

Cartusiæ Parisiensis alumnus ; qui admotus regimini Novitiorum, omnium calculo se se bonorum operum exemplar exhibuit. Prior postea Domorum Rothomagensis et Luviniaci constitutus, abdicata Præfectura, pie obdormivit in Domino anno 1579, die 23 Junii.

XXIV DIE JUNII

SANCTUS JOANNES BAPTISTA

Omnium Eremitarum antesignanus, et præcipuus Cartusianorum Patronus; circa cujus Nativitatis Solemnitatem sanctus Bruno ejusque socii anno Salutis 1084, antecedente, comitante ac dirigente et adjuvante eos in omnibus, res quoque necessarias eis suppeditante beato Hugone Gratianopolitano episcopo, Cartusiæ solitudinem incolere cœperunt. Quem sanctissimum Salvatoris nostri Præcursorem, prisci Patres nostri in Patrem et Patriarcham elegerunt, cui et omnes suas dedicarunt ecclesias, et cum nominis ejus invocatione suas emittunt professiones.

Surius in Vita S. P. N. Brunonis.

TILMANNUS DE STIGEN

MONACHUS TREVIRIS

Juxta Beati Dominici Cartusiani Trevirensis testimonium, vir in Beatissimam Virginem Mariam et in Cœlites devotissimus; pie animam efflavit anno 1439, die 24 Junii.

JOANNES BOLHUSEN

PRIOR AMSTELODAMI

De quo sic agitur in Chronico Cartusiæ Gandavensis : « Joannes Bolhusen olim Prior Domus in Amsterdam, professus vero hujus Domus, sibi in dandis disciplinis et aliis austeritatibus durus admodum, licet erga alios levis et suavis. Is quasi alter magnus anachoreta Antonius sui sæculi extitit. Quem cum humani generis hostis communis suis non valeret fraudibus supplantare, ei varia objecit terriculamenta animalium ; ac tandem assumpta aliquoties specie ursi, ante fenestram cellæ ejus sic apparens, minis eum terrere conabatur ; sed dæmonis astutias nisusque deridens, ad Christum vir Dei confugiebat. Obiit, eximiæ sanctimoniæ

fragrantia apud omnes diffusa, anno 1455, 24 Junii; ferturque plura edidisse miracula. »

PACIFICUS SALARD

PRIOR VERNÆ

Professus Villæ novæ, primus Vicarius Massiliæ, deinde Vicarius Boni passus et Montis rivii; tandem sub finem anni 1646 Prior Vernæ institutus, præfuit usque ad annum 1666, quo die solemnitatis Corporis Christi, 24 videlicet Junii, ad beatam æternitatem Angelorum pane reficiendus evocatur. Vir etenim re et nomine vere pacificus fuit, singulari mansuetudine morum exornatus, effusæ in omnes bonitatis, mitis atque humilis corde, incredibili pene præditus benignitate omnes ad sui amorem alliciebat.

Hunc religiosissimum Patrem Præsules Tolonenses tanquam Sanctum venerabantur; elucebat siquidem in Pacifici vultu Angelica plane modestia. Ita fuit addictus orationi, ut suspensam semper in Deum mentem gerens, etiam in extremo morbo, jam animam agens precibus ardentissimis cœlum pulsaret. His accedebat haud vulgaris prudentia, eruditio et patientia, qua in sui admirationem rapiebat omnes. Vixit in Ordine 35 annos.

Literæ ad nos scriptæ.

XXV DIE JUNII

JOANNES HISPANUS

PRIMUS PRIOR REPAUSATORII

Theophylus Raynaudus in suo Brunone Mystico (puncto 10 § 2) refert hunc servum Dei tot etiamnum coruscare miraculis, ut terra tumulo ejus circumfusa, quantumcunque sublegatur pio studio ad morbosorum utilitatem, non sentiat dispendia ; et quod decerpitur, occultis ortum accrementis, imminutionem deprehendi non patiatur. Hujus Vita manuscripta asservatur in Domo Repausatorii, cujus tenor talis est :

Joannes, natione Hispanus, civitate quadam ortus extitit nomine Almanceps, parentibus non ignobilis, plebeis tamen civibus. Hic a primævo pueritiæ suæ tempore, litteralibus studiis ab eisdem traditus est. Erat enim elegantis et subtilis ingenii ac tenacis memoriæ, adeo ut omnium sociorum ingenium sensus illius capacitas superaret. Cumque cresceret corpore proficeretque sensu, flagrans discendi desiderio, re-

lictis suis genitoribus assumptoque uno secum comite, tertio decimo ætatis anno, ex sua egressus, in alienam profectus est patriam. Et perveniens ad quoddam quod adjacet Rotaneæ partibus provinciæ castrum, ibique circiter unum etiam annum commoratus, ad extremum Arelatum pervenit.

Post paucos autem dies, inter alios se scholasticos contulit, cœpitque cum eis conversari. Inter quos cum ipsorum Doctor scholarium subito illum intueretur, protinus cœpit ab eo percontari, quisnam et unde esset, ac quorum gratia advenisset. Videbat enim illustrissimum juvenem, bonæ indolis adolescentem, vultu alacrem, atque omni elegantia adornatum. Cui vero ille respondens, se Hispanum natione et cujus rei gratia adesset profitetur. Quo audito studiosus Doctor prædictus, pensans tanti itineris laborem, et sollicitum studio discendi alienis in patriis convenisse exulem, protinus illum docere atque multum ei prodesse se pollicetur, et insuper aliquem nobilium civium inquirere, qui ei quæcumque victui vestituique necessaria essent alacri tribueret animo.

His itaque gestis accidit, quod sæpe solet contingere, ut promissum beneficium hospitii necdum haberet, et pecunias (ex sua quanquam plusculas patria attulerat) diurnis in sumptibus expendisset. Itaque multis miseriarum angustiis circumdatus, et multo nutantium cogitationum angore circumseptus, tandem cœpit egere. Quod ego factum divina Providentia esse reor, ut quem præponere pluribus jam decreverat, aliquantulum calamitatis sentire ipsum prius permitteret; quatenus ex sua egestate disceret, quomodo postea sibi subditos regere debuisset. Sed subito ab eadem respectus divina Clementia, quidam e spectabilium numero civium, Deo ita disponente, accepit eum in domum suam, præstans ipsi quidquid ad victum vestitumque necessarium erat abundanter: tantæque gratiæ tam apud prædictum virum quam erga conjugem fuit, ut non solum supradicta beneficia ei facerent, verum et in unicum filium sibi, si ipse vellet, adoptarent.

Mansit quoque apud eos fere duobus annis, omnium in circuitu se videntium vultibus ac cognoscentium valde existens gratus; a quibus cum discederet tristibus ac flentibus (nam comes ejus cogebat eum in suam patriam redire), nequaquam tamen eo regressus est; sed perrexit ad quemdam locum, vocabulo Sancti Basilii, in quo unum nuper audierat verum habitare Religiosum, qui a multis, illis temporibus, frequentabatur. Quo accedens ut quorumdam illicitorum, sicut pluribus mos est scholaribus, pœnitentiam ab eodem efflagitaret (tempus enim imminebat Quadragesimæ), contigit quidem, ut paucis ab ipso verbis admonitus, et divina desuper gratia illustratus, litteris tam divinis quam humanis admodum

eruditus, eumdem sacræ Religionis habitum indueret.

Quo in loco tanti fervoris tantæque regularis districtionis sibimet extitisse refertur, ut præ nimio jejuniorum exercitio abstinentiarumque frequentia, gravem in se morbum pectoris, qui *Defecit* a medicis vocatur, conciperet. Nam plerumque vir ille, cujus supra mentionem fecimus, cum se ab eo in Religionis exercitio sæpe præcelli conspiceret, et illum carnium esus, quibus tamen fruebatur, sæpissime respuere cerneret, aiebat ei : « Frater Joannes, nobis vescentibus, vos abstinetis ; unde arbitror vos deinceps virtutes operari. »

Mansit denique ibidem duorum et dimidii per spatium annorum, tam Deo quam hominibus placens ; usquequo relata est ei fama et fervor cultusque Religionis cujusdam Domus, videlicet Montis rivii, quæ Cartusiensi Ordini mancipatur. Ad quam etiam cum festinus veniret, cordisque sui affectum et propositum voluntatis ejusdem Domus habitatoribus innotesceret, indifferenter atque honeste ab eis susceptus est.

Non post multum vero temporis, memoratæ Domus Prior, cernens illum in omnibus quæ ad prædicti Ordinis cultum pertinerent valde esse sollicitum, moribus et vita honestum, tentavit illi officium Sacristæ et totius ecclesiæ curam imponere. Qui in accepto utique ministerio sic modeste atque ordinate se exercuit, quatenus ferme in cella transactis sex annis, in septimo quoque, Deo placente, ad totius Domus regimen ascendit.

Præterea delectat audire ac subtiliter indagare, quomodo sit ab eo Domus disposita, qualiterve plurima domorum vel nova constructa, vel vetera sint renovata. Sed et vias, quæ præfatæ Domus terminos influebant, eamdem infestantes, cum pluribus aliis perturbationibus Deo auxiliante correxit atque sedavit. Libris autem authenticis scribendis et emendandis magnum studium præbuit; necnon sanctimonialibus Pratibajonis Consuetudines, quas ab eo postulabant, nobili stylo edidit.

Cujus tamen felicibus actibus hostis invidens antiquus, excitavit contra eum quemdam hominem, quem suæ veneno diræ potaverat iræ. At vir discretus, plus timens recentium discipulorum detrimentum, quam formidans excitatæ iræ perfidi provocamentum ; ac juxta Dominicam vocem : *Si persecuti vos fuerint in una civitate fugite in aliam,* duobus annis cum dimidio Prioratu prudenter administrato, discessit inde venitque Cartusiam. Cujus regimen eo tempore tenebat S. Anthelmus, et huic antea jam fuerat notus ; a quo et tunc et benigne est susceptus atque humaniter, manens secum per aliquot tempus, tam illi quam universis amabilis.

Postmodum autem dum præfatus Prior et ejus consiliarii inter se tra-

ctare cœpissent, quid illi et sociis facere possent, repente Aymo de Fulciniaco, vir divitiis pollens et gloria, legatos Cartusiam misit : optans atque humiliter deprecans, quatenus ad eremum quamdam (quæ in territorio ejusdem jacet, et sub potestate Præsulis Gebennarum continetur et adminiculo) inhabitandam, cultores quoque ejusdem Ordinis transmitterent; eo quod ipsa antiquitus ab eodem aliis tradita fuerat hujus Religionis habitatoribus, sed parumper ab eis possessa vacua remanserat. Cujus precibus auditis, cognoscentes quod consilio Dei res ipsa ageretur, petitionibus ejus assensum præbuerunt, et memoratis hominibus plurima vestium, nummorum librorumque beneficia impertiverunt ad incolendum hoc desertum.

Iste nimirum locus, quem vir venerabilis ad ædificandum adiit, vallis est quædam profunda inter montana sita, et, ut hoc dicam, sicut congruit Ordini : valde hyemosa, ab omni ligno pomifero funditus aliena, neque satis abundanter frugifera; in cujus medio juxta aquarum fluenta, planities jacet permodica, in qua domorum sedent ædificia; in circuitu vero magnis altissimarum montibus rupium eminentibus, in quibus pulcherrima abietum aliarumque silvestrium nemora sunt consita arborum; in quarum rupium summitatibus optima sunt undique pascua ad alenda animalia.

Huc dum vir venerandus cum comitibus suis 11 Kal. Februarii intraret (tali quippe tempore prædicta eremus cœpit ab eo inhabitari), vix pauca in ea corporea alimenta, et quasdam domunculas veteres, et ipsas sordido schemate compositas invenit. Unde utique compulsi qui ingressi sunt, ob cibi potusque penuriam nimis austera ducebant Religionis exercitia, quibus avenaceus panis tunc erat dulcis et ipse festivus. Exinde tamen cœpit homo cognosci, et ab universis qui illum noverant, magna in reverentia haberi, domos ædificare, loca angusta dilatare, humum colere. Sub ejus namque regimine, universa superioris atque inferioris Domus ædificia, quæ hodie cernuntur, fere sunt constructa. In ejus quoque tempore, consilio illius ac dispositione, præfata Domus magnum tam hominum a Deo, quam aliorum incrementum beneficiorum invenire meruit et obtinere. Libris quoque divinis scribendis et emendandis, eumdem quem prædiximus modum retinuit. Sed et Historiam quam ipse manibus suis scripserat optimam sanctimonialibus virginibus supra dictis, Deo sibi inspirante, ante obitum suum impendit.

Qualis autem erga sibi subditos fuerit, difficile videtur posse narrari; quorum mores singulorum, sive magni sive parvi, sive fortes sive pusillanimes fuerint, penitus noverat. Erat in eo sapientia et gratia ipsa, unde magni altius ditarentur, parvi crescerent et amplificarentur, fortes magis robora-

rentur, pusillanimes, ne funditus ruerint, fulcirentur. Sibimet enim erat in oratione pernox, in disciplina nimis crudelior, in jejuniis austerior, in corripiendo severus, ut in sufferendo mansuetus.

Novem igitur annis Prioratu Domus Repausatorii gubernato, cum a conversatione sua vigesimus, a nativitate vero trigesimus septimus circiter annus ageretur, prædictus Prior, septimo Kal. Julii, bonorum studiorum actuumque piorum faciens finem, felicem Domino spiritum commendavit, circa annum Domini 1160.

Eodem etiam tempore quo memoratus vir venerabilis præfatum gubernabat Prioratum, tale fertur subito infortunium evenisse: ut petrosis Alpibus, vehementi et inopinato concursu, ab ipsorum altissimorum montium cacumine, nives in tanta quantitate cum velocitate et impetuositate defluerent, quod duo de numero pastorum famuli, de loco, qui dicitur Agnes, ubi tunc greges animalium commanebant, ad Domum monachorum accedentes ut victualia necessaria secum ferrent, subito sub ipsis nivibus suffocati spiritum exhalarent. Quam tribulationem ad ejus probandam patientiam (sicut de beato Job legitur) et meritum amplificandum, pie credimus sui temporibus regiminis evenisse.

Aliquanto siquidem non modico temporis curriculo evoluto, et nivibus in resolutionem revolutis, corpora defunctorum inventa ad locum monasterii adduci fecit, honorificæ tradenda sepulturæ. Disposuit tamen in cœmeterio nullatenus inhumare, ne forsan sententiæ, quam merito poterat ignorare, nodo qualicumque innodati fuissent; sed in loco ecclesiæ contiguo, quasi circa medium, fecit honorabiliter, ut est moris in Ordine, eorum corpora sepeliri; licet ab ipsius Ordinis professoribus nullatenus quoad extraneos apud eorum loca foret assuetum.

Quapropter cum a suis Majoribus, prout fertur, fuerit reprehensus, licet pura intentione et justa causa et excusabili hoc egerit; cum ad extrema pervenisset, se ipsum mulctare voluit et punire, non formidans hujus sæculi perlabentis confusionem, ut futuram extremi ultionem judicii, si culpa fuisset, mereretur evadere. Adjuravit ergo cunctos Fratres suos, ut juxta prædictorum corpora extra cœmeterium, post ejus obitum terram sui corporis terræ redderent, (juxta ipsum B. Marcellini Papæ, qui ob quamdam offensam sub anathemate prohibuit, ne Ecclesiasticæ sepulturæ corpus ejus traderetur). In quo quidem loco, processu temporis, nutu divino, capella cum altari in eadem pulchro tabulato extitit perornata. Ubi quamplurimi correpti febribus, nedum levibus sed etiam gravibus, cum fide ac devotione accedentes, cum super ejus tumbam dormierint ad propria redeuntes, ejus suffragantibus meritis et precibus, beneficia reportant indubitanter sanitatum.

Multo magis animabus sauciatis credendus est medicinam spiritalem adhibere, indulgentiam a Deo et gratiam obtinendo, si fides et devotio exigat poscentium humiliter. Cujusmodi autem meriti in sua conversatione, dum advixit, extiterit, post ejus mortem pretiosam, præstando beneficia sanitatum, usque hodie pius Dominus Jesus, cui fideliter servivit in vita, dignatur misericorditer propalare, ad laudem et gloriam sanctissimi sui Nominis, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hactenus Manuscriptum.

Subjicimus nunc quædam miracula Joannis Hispani intercessione patrata.

Memoriæ traditum est hunc B. Joannem accessisse ad fontem in itinere Repausatorii, in iisdem montibus constitutum; cujus cum aquam bibiturus hausisset, subito hujus Sancti gratia in vinum conversa est; et ab hoc tempore huc usque Fons sancti Joannis est nuncupatus.

Ab annis circiter 40, vexatus a dæmone Religiosus Conventus Observantiæ S. Francisci Clusarum urbis in Sabaudia, ductus est a Reverendis Patribus Guardiano et aliis hujus Domus, ad præfatum S. Joannem; qui cum curassent solemnem (hujus sanandi energumeni Religiosi causa) Missam celebrari, solum incluserunt in cavo sito supra Beati tumbam, ad cujus ostium apposito gravi lapide, pransuri discesserunt. Redeuntibus autem ad sepulchrum hisce Patribus post duas circiter horas, apparet Religiosus et sanatus et in sacrario ambulans. Nec amplius in posterum agitatus est, quamvis multis annis supervixerit.

Venerabilis Pater Domnus Raphael Guillelmus, tunc Repausatorii Prior, servo Cartusiæ Vallis sanctæ morbo caduco laboranti, dedit excerptam terram de Beati sepulchro in modum *Agni Dei* involutam, cujus virtute sanatus est.

Ante novem annos Claudius Hudry, pagi Clusarum, in Gebennensi tractu, incola, suam a dæmone vexatam conjugem duxit ad Repausatorii Cartusiam, adimplendi voti novemdialis temporis causa; quo persoluto plane liberata est.

Cum quidam habitans prope Mentum in Sabaudia factus esset insanus, parentes ejus Beato voverunt, promittentes suum infirmum ducturos ad Repausatorium; quo voto per infirmum completo, compos mentis factus est. Hoc factum est ante 14 annos.

Mulier quædam puellam suam vehementi febre laborantem S. Joannis precibus commendavit, et puerum ad Repausatorium misit, qui Missam celebrari curaret pro filiæ sanitate recuperanda. Explens hic mandatum, terram de Sancti sepulchro secum deferens, matri profert, qua appensa ad collum puellæ febre inhorrescentis, confestim quievit tremula; lapsa tamen fortuito terra, subito cœpit agitari vehementer.

Cujus agnita causa, lapsam terram mater appendens iterum, febris omnino discessit. Hæc habitatrix erat Clusæ in Sabaudia, et contigit tempore V. P. Irenæi de Gournay Prioris.

Hæc miracula excerpsimus ex quodam Manuscripto, patrio idiomate, quod in Latinum sermonem transtulimus.

TRANSLATIO RELIQUIARUM B. JOANNIS HISPANI

PRIORIS REPAUSATORII

Cum autem divinis signis Joannes coruscaret, perillustris Carolus Augustus de Sales, Gebennensis antistes, ejusdem Reliquias anno 1649 et 1650, ad instantiam venerandi Patris Joannis de Bely Cartusiæ Repausatorii Prioris, transtulit in alium locum, uti videre est in Instrumento quod hic adjecimus, cujus tenor talis :

« Carolus Augustus de Sales, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus et princeps Gebennensis, ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus et manifestum, quatenus volente Deo (qui, cum sit mirabilis in Sanctis suis, ex quorum coagmentatione æternum sibi præparat habitaculum, disponit omnia suaviter ad suam gloriam) post exactas aliquot diœcesis nostræ visitationes in Faucigniensi provincia, cum essemus statim in nostram ordinariam residentiam redituri, rogavit nos R. Pater D. Joannes Baptista de Bely, presbyter ac devotæ Domus Repausatorii Ordinis Cartusiensis Prior, uti ad benedicendum sacellum, de novo in honorem Beatissimæ Mariæ Virginis Compatientis juxta ipsam Domum extructum, huc divertere dignaremur.

« Cujus petitioni continuo annuentes, quandoquidem ipsum V. Priorem cum familia sibi credita ac totum Ordinem Cartusiensem singulari amore merito prosequimur, venimus ad hoc monasterium hesterna die septima Decembris : ac hodie inter Missarum solemnia, quæ in Pontificalibus celebravimus, venit nobis in mentem fama venerandi servi Dei Joannis Hispani, primi Prioris hujusce Domus ; quem multis ægrotorum curationibus celebrem jampridem Deus reddidit, cujusque sepulchrum multa populorum religione in hac eadem Domo frequentatur.

« Existimavimus hanc cogitationem esse S. Spiritus afflatum. Quocirca re cum aliquot piis et eruditis sacerdotibus nobis assistentibus pensata et deliberata, advocato quoque ipso Domno Priore et cum suis Religiosis in consilium adhibito, de nostra et eorum sententia visum fuit operæ pretium ipsius servi Dei sepulchrum et Reliquias juxta formam Constitutionum Apostolicarum primum visitare : quandoquidem de fama sanctitatis ipsius servi Dei satis superque constat, estque de illorum numero, qui post longissimi temporis

spatium cum sanctitatis odore migraverunt ad Dominum, ac proinde Ordinariorum cognitioni relinquuntur.

« Igitur hac præsenti die et hora meridiana, adhibitis testibus infra scriptis et Episcopalis nostræ curiæ Cancellario, publico Notario, duxerunt nos versus sepulchrum dicti servi Dei Venerabiles Patres, D. Joannes Baptista de Bely supradictus Prior, et DD. Anthelmus Philippus Vicarius, Petrus Feris, Joannes Doncieu, Nicolaus Julliard Sacrista, Antonius Pigouche, Philippus Mercier, Placidus Bremond, Ambrosius Fontaine, Carolus Emmanuel Jacques Procurator, Ludovicus Bally Coadjutor : omnes sacerdotes et Religiosi professi ejusdem Ordinis Cartusiensis constituentes familiam et Capitulum hujus Repausatorii Domus ; cum quibus ab inferiori parte chori ecclesiæ intravimus in quoddam sacellum, juxta muros ipsius ecclesiæ ad Septentrionem, quæ est pars Evangelii, opere fornicato constructum ac depicto; ad cujus parietem, qui est ipsi ecclesiæ communis, legitur characteribus capitalibus Romanis hujusmodi inscriptio : Hoc in sacello jacet Beatus Joannes Hispanus primus Prior hujus Domus, super cujus sepulchrum a febribus sanatur ægrotus. Obiit anno 1160, 25 Junii.

« Statim prædictus Prior ostendit nobis sepulchrum dicti servi Dei, quod est fere in medio ipsius sacelli ante altare prope clathra ex ligno nuceo, super quo est operculum seu parva porta ex simili ligno nuceo, quod notatum est emblematico opere et circulo solari, habente in medio crucem candidam, et in quatuor angulis totidem stellas. Ad ipsum vero altare, inter quatuor columnas ligneas venuste depictas, sunt tres imagines ad longum opere oleario super tela, scilicet, in medio S. Joannes Baptista, a dextris S. Joannes Evangelista, et a sinistris ipse servus Dei Joannes Hispanus, habitu Cartusiensi, manu dextra palmam tenens et sinistra librum, capite radiis circumdato.

« Ac ad majorem confirmationem famæ et existimationis de ejus sanctitate, duxerunt nos supradicti Religiosi in aliud inferius sacellum conjunctum, ac divo Joanni Baptistæ et divo Antonio Abbati dicatum; ad cujus sacelli parietem affixa est antiquissima imago super tela, repræsentans tres Beatos ex Ordine Cartusiensi, nempe S. Hugonem Lincolniensem episcopum, S. Brunonem ejusdem Ordinis initiatorem, post quorum nomina legitur hujusmodi subscriptio, videlicet : B. Joannes Hispanus primus Prior Repausatorii; qui pariter ad longum ut supra palmam tenens et librum, etiam radios habet in capite ex auro; et dicitur hæc imago ipsum ad vivum repræsentare, quæ repræsentatio est ætatis non multum provectæ.

« Itaque in primum sacellum redeuntes vocari jussimus voce ipsius Domni Prioris devotos Fratres, Franciscum

Faure et Jacobum Dieulefitpetit, hujus Domus Donatos, ac januis statim clausis, per ipsos aperiri supradictam portam sepulchralem duos pedes longam et latam ; descendimusque nos ipsi per scalam in foveam quinque pedes altam, duos pedes et sex uncias latam, et octo pedes longam, opere fornicato constructam et dealbatam, cujus pavimentum aliud non erat quam terra bene compressa, fornix autem ac parietes innumeris guttulis madebant. Qua structura bene perspecta, per dictos Fratres Donatos præcepimus effodi ac egeri terram ad altitudinem trium pedum ; post quam effossionem reperti sunt lapides quadri male compacti et disjuncti præ nimio pondere, ac ita loculo abiegno omnino putrido incumbentes, ut subjectum corpus præcipue circa pectus et crura fregerint : unde et imprudenter etiam ligone ferreo percussum caput in multas partes sit divisum.

« Interrogavimus ipsum Domnum Priorem ac alios Religiosos, num aliquando effossa fuerit illa terra et apertum id sepulchrum ; qui responderunt unanimiter se nunquam audivisse fuisse apertum, imo semper clausum a tempore obitus dicti servi Dei. Unde jussimus amplius aperiri. Et tunc primo extracta sunt ossa capitis, in quibus circa dentes hærebat adhuc caro cum pelle, ipsique dentes optime infixi erant. Successive extracta sunt ossa brachiorum, quæ decussata erant in modum crucis, et circa illa inventa est ligula ex corio nigro ac ut videtur bubulo longitudinis circiter sex unciarum, ac multa præterea ossa imminuta et minuta. Deinde extracta sunt ossa crurum et tibiarum, in quibus hærebat adhuc caro cum pelle. Cætera ossa terræ madefactæ immixta erant quam extersimus.

« Ipsa vero ossa quæ sexaginta sex dinumeravimus, et cum mandibulis dentes, quos dinumeravimus etiam ad viginti quatuor, reposuimus reverenter in capsula seu arcula ex platano, unum pedem et sex uncias longa, unum pedem lata, decem uncias alta, aliquot characteribus gothicis incisa lectu difficillima cum pari operculo tractili ; ac Domno Priori commisimus fideliter et reverenter in sacrario dictæ ecclesiæ asservanda, quousque post acceptum R. Patris Generalis dicti Ordinis Cartusiensis sensum, ac si opus fuerit Sedis Apostolicæ, aliter provideatur. Ipseque Domnus Prior cum omnibus Religiosis suis ipsam capsam seu arculam accipiens, promisit se eam sic fideliter et reverenter asservaturum.

« In quorum omnium fidem præsentibus subscripsimus, sigilloque nostro eas firmavimus et per Secretarium nostrum et episcopalem Cancellarium publicumque Notarium contranscribi et subsignari jussimus. Acta autem fuerunt in hac Domo Repausatorii dicti Ordinis Cartusiensis, die 8 Septembris, anno 1649, Indictione secunda, Pontifi-

catus SS. D. N. D. Innocentii divina providentia Papæ X anno 5, præsentibus testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis : R. Domino Petro Maguin sacræ Theologiæ Doctore, Canonico ecclesiæ nostræ Cathedralis et Vicario Generali ac Officiali nostro; R. Domino Renato Sauvage sacræ Theologiæ Doctore, presbytero Congregationis Missionis; venerabilibus Nicolao Carral et Joanne Philippo Chappet presbyteris, Capellanis nostris, ac Jacobo Mermaz clerico familiari nostro ; testibus, ut supra dictum est, vocatis et rogatis : qui omnes in originali in Archivio Episcopatus remanente signaverunt. »

Sic signatum : « Carolus Augustus episcopus Gebennensis.... »

« Et ego Amadeus Flory notarius publicus et scriba Episcopalis, hoc exscriptum rei gestæ Actum subscripsi, et signo meo consueto signavi, de mandato Illustrissimi et Reverendissimi D. D. Episcopi et Principis Gebennensis. » Sic signatum, « Flory. »

« Carolus Augustus de Sales, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus et princeps Gebennensis, omnibus quorum intererit viventibus et posteris, et ad perpetuam rei memoriam, testatum facimus ac manifestum, quod, cum Sacris Litteris nimis honoratos amicos Dei Spiritus Sanctus pronunciet, nihil eorum omittere debemus quæ ad majorem Sanctorum gloriam pertinent. Et quanquam nostris laudationibus et honorificis actionibus eam promovere, cum tanta sit apud Deum, satis pro votis nostris non possumus, curare tamen quæ ad eorum majorem honorem faciunt, et pro munere nostro, et studiosi in eorum cultum animi nostri testificatione tenemur.

« Iis rationibus permoti, feriis solennibus et sacris Nativitatis Beatissimæ Virginis anni proxime lapsi, requirente Reverendo Patre D. Joanne Baptista de Bely, Priore Cartusiæ Repausatorii nuncupatæ, in eamdem Cartusiam pro benedictione sacelli de novo in honorem Beatissimæ Mariæ Virginis Compatientis ad fores dicti monasterii constructi cum venissemus, eamque benedictionem perfecissemus; sepulchrum venerabilis servi Dei Joannis Hispani, primi Prioris ejusdem monasterii, multorum non solum vicinorum, sed etiam circumfusorum populorum pro beneficiis ad ejusdem servi Dei preces obtentis, religione celebre et frequentatum, de assensu et consilio ejusdem R. P. Prioris suorumque Religiosorum, et piorum aliquot ac eruditorum sacerdotum nobis assistentium, aspirante Deo, juxta formam Constitutionum Apostolicarum visitavimus in sacello ipsius ecclesiæ ad Septentrionem posito ; in eoque effodi curavimus Reliquias dicti servi Dei, ut plenius habetur in Actu quem per Notarium nostrum fieri jussimus; atque ita ejusdem servi Dei venerabiles Reliquias reverenter in capsula recondidimus, eamque capsulam debite clausam

eidem R. D. Priori diligenter conservandam commisimus, donec aliud vel de R. Patris Generalis Cartusiæ aut Sedis Apostolicæ super iis consultæ ordine et jussu, ad earumdem Reliquiarum majorem honorem præstandum videretur.

« Cum igitur hoc anno in visitatione nostræ diœcesis pergentes, idem R. D. Prior certiorem nos reddidisset bonum videri probarique a R. P. Generale Cartusiæ, literis ad illum datis 7 Septembris proxime lapsi, easdem Reliquias venerabiles servi Dei honestiori in loco collocari, idque responderi a Consultoribus Sacræ Congregationis Rituum, ut populi ad eas honorandas beneficiaque curationum poscenda ventitantes, ad majorem illarum cultum et Dei laudem pro dicti servi Dei glorificatione magis ac magis accenderentur; atque ita idem R. D. Prior nos efflagitaret, ut ad idem monasterium pro earumdem Reliquiarum translatione ac decentiore collocatione nos transferre dignaretur. Cui petitioni libentissime annuentes, ad majorem Dei gloriam ejusque servi Dei cultum, 3 Nonas Octobris anni supra millesimum sexcentesimi quinquagesimi, ad postulata dicti R. Prioris exequenda, eodem comite ad prædictam Cartusiam Repausatorii ascendimus, et crastino consequenti die sancto Brunoni Ordinis dicti monasterii Fundatori dicato, pro dictarum Reliquiarum translatione processimus, ut sequitur :

« Igitur eodem die, hora nona ante meridiana, ad majus altare ecclesiæ dicti monasterii Pontificalibus vestimentis induti, ad instantiam dicti R. Prioris eamdem prædictam translationem requirentis, Actum a nobis editum super visitatione dicti sepulchri, earumque Reliquiarum effossione et repositione, a Notario nostro legi intelligibili voce jussimus. Quo perlecto, capsulam in qua prædictas Reliquias reposueramus, exhiberi coram nobis præcepimus. Quam statim nobis exhibitam debite recognovimus cum sigillis ab eodem R. D. Priore super ipsa impressis, eamdem ipsam esse, in qua prædictas Reliquias decenter recondideramus, quam postea aperuimus, omniaque in ea diligenter contenta perspeximus, eaque ut a nobis recondita fuerant omnibus immutatis, iisdemque repertis, comperimus.

« Ad quarum Reliquiarum apertionem non modica populi, etsi in montanis longe a pagis et urbibus ageremus, multitudo ad nos accessit offerens coronas et rosaria ad comparandam illis ex dictarum Reliquiarum attactu dignitatem ; cui cum abunde satisfactum esset, solenni ritu novam arculam affabre, splendide, et decenter paratam et ornatam benediximus, in eaque prædictas venerabiles Reliquias cum honore debito reposuimus, eamque arculam ad latus altaris, dum Pontificalem Missam de S. Brunone celebraremus, collocavimus.

« In qua post Communionem sacram Religiosis nonnullisque de populo concessam, et solennem benedictionem datam, solenni etiam processione easdem Reliquias (quas idem R. D. Joannes Baptista de Bely Prior, cum R. D. Martino Symonnet Vicario monasterii Melani, gratissimo onere vectabat) per utrumque ejusdem monasterii claustrum, comitante sacerdotum et laicorum magno numero cum candelis et cereis accensis, decoravimus; et peracta processione, easdem in dicto sacello in armario ad latus ejusdem sacelli ornatissime parato et cancellis ferreis munito recondidimus, Indulgentiamque quadraginta dierum in forma consueta omnibus adstantibus concessimus.

Cujus nostri processus hunc Actum in eodem monasterio per Notarium nostrum fieri curavimus, cui subscripsimus cum R. D. Petro Francisco Jaco, S. Theologiæ Doctore, Archidiacono et Canonico ecclesiæ nostræ Cathedralis, Vicario Generali et Officiali nostro ; et prædicto R. D. Priore, Reverendisque ejusdem monasterii Religiosis; et præsentibus VV. DD. Nicolao Carral et Joanne Philippo Chappet presbyteris, Capellanis nostris, R. D. Petro de Lisle, Theologiæ Doctore, plebano ecclesiæ Clusensis; D. Jacobo du Mont, presbytero Ecclesiæ de Siouzier Capellano; discreto Jacobo Mermaz, clerico parochiæ D'Ugnii, familiari nostro; Claudio des Turches, parochiæ S. Joannis Tholomæi in Faucunatu; et egregio Agnete Symonnet, loci de Souville prope Mottam in Lotharingia ; testibus ad præmissa vocatis et rogatis : qui omnes in originali in Archivio Episcopatus remanente signaverunt. »

Ita signatum : « Carolus Augustus episcopus Gebennensis.... »

« Et ego Amadeus Flory notarius publicus et scriba Episcopalis, hoc exscriptum rei gestæ Actum subscripsi, et signo meo consueto signavi, de mandato Illustrissimi et Reverendissimi D. D. Episcopi et Principis Gebennensis.

Ita signatum, « Flory » cum sigillo Episcopali infra in plica impendenti, et utrumque Actum duabus vittis sericis rubea et cærulea nectenti.

Subsequens Instrumentum nobis communicavit V. P. D. Christophorus Pellicier, dum ego 1672 aderam Comitiis generalibus Ordinis nostri.

« Nous soubsignés, Prieur et Procureur de la Chartreuse de Pomiers, suivant la lettre missive à nous envoiée par nostre R. Père Général dattée en Chartreuse le 20 d'Octobre dernier, année courante 1650, et signée de sa main propre, portant commission de nous transporter de nostre susdite Chartreuse de Pomiers en celle du Repausoir, pour connoistre de quelques menües circumstances qui pourroient avoir esté obmises dans le Verbal que Monseigneur l'Illustrissime et Reverendissime Evesque et Prince de Genève a faict le 6[e] d'Octobre dernier

1650 touchant la translation des Reliques du B. Jean l'Espagnol, premier Prieur de cette maison : à cet effect nous nous sommes transportés en la susdite Chartreuse du Repausoir le 3 Novembre 1650, où estant arrivés nous nous serions adressés au V. P. D. Jean de Bely, Prieur de la dite Maison, au quel nous aurions faict voir la commission de nostre Reverendissime Père Général, et le quel après en avoir faict lecture, et faict saluer le Saint Sacrement, nous auroit mené en une chapelle soubs le vocable de St. Jean Baptiste, qui est à costé gauche en entrant dans le chœur de l'église, et dans la quelle reposent les ossements du B. Jean l'Espagnol. La quelle chapelle nous avons trouvée bien voutée, peinte et esclairée de deux fenestres bien grillées, vitrées, et de raisonnable hauteur et largeur.

« La dite chapelle contient vingt et un pieds de longueur et dix huict de largeur, et à costé droit entrant dans la dite chapelle, et aussy à costé de l'autel, il y a une niche où reposent les ossements du B. J. l'Espagnol premier Prieur de cette Chartreuse du Repausoir, qui contient en hauteur environ quatre pieds, et environ trois pieds en largeur, et environ deux de profondeur, revestüe en dedans d'une gaze d'argent attendant que l'on la fasse peindre, ornée par le dehors d'une architecture de bois de noier, et fermée d'une grille de fer avec une serrure et deux cadenats.

La susdite chasse en la quelle reposent les ossements du B. Jean l'Espagnol contient environ deux pieds de hauteur, un pied et demy de longueur et environ un pied de largeur, la quelle chasse est de bois de noier noircy en ébène par le dehors, et argentée et doublée par le dedans d'un beau satin à fleurs, dans la quelle nous avons veu les ossements de ce B. J. l'Espagnol bien proprement rangés et pliés dans du taffetas rouge cramoisy.

« Et pour la facilité des hommes pélerins, qui y viendront rendre leurs vœux à quelque heure et temps que ce soit sans passer par le chœur des Religieux ny les incommoder ny interrompre l'Office divin de jour et de nuict, nous avons remarqué qu'ils peuvent entrer par la grande porte de l'église dans le chœur des Frères Convers, à un coin du quel et à main gauche en entrant et à trois pas environ de la grande porte de l'église il y a une porte, qui entre de plein pied dans une chapelle soubs le vocable de St. Anthoine, et de la dite Chapelle de St. Anthoine il y a encores une porte par la quelle on entre aussy de plein pied dans la chapelle de St. Jean Baptiste où reposent les ossements du B. J. l'Espagnol; et pour les femmes pelerines elles pourront commodement rendre leurs vœux et faire leurs dévotions en une chapelle, qui est au dehors et à la porte de la maison sous le vocable de Nostre Dame de Compassion, où on doit exposer

une pièce des ossements du dit B. Jean l'Espagnol.

« Et de tout ce que dessus nous avons dressé le présent Verbal, pour estre envoié par le V. P. D. François Monfreulle Procureur de nostre Chartreuse et nostre adjoint en la présente commission à nostre Reverendissime Père Général. En foy de quoy nous avons signé dans la Chartreuse du Repausoir ce 4 9bre 1650.

« F. De Nerestan Prieur de la Chartreuse de Pomiers, et commis au présent acte. F. Monfreulle Procureur de la Chartreuse de Pomiers, et adjoint au présent acte. »

BEATRIX DE VILLARS

PRIORISSA DE POLLETENS

Filia nobilissimi Humberti de Villars, Domini de Thoire; quæ generis splendorem cum virtute conjungens, huic parthenio præfecta, mira morum innocentia, charitate, humilitate pietateque effulsit. Cumque per aliquot annos laudabiliter munere perfuncta fuisset, tandem placido fine a Christo glorificanda obdormivit, circa annum 1330.

Catalogus Priorissarum hujus Domus.

JACOBUS LOUBERUS

PRIOR BASILEÆ

Juris utriusque Doctor; alumnus Cartusiæ Basileensis, cujus anno 1480 Prior institutus. Clavum tenuit hujus monasterii usque ad annum 1502: quo tempore translatus ad moderamen Cartusiæ Buxiæ, cum ibi per quinquennium præfuisset, ad suas preces instantissimas exauctoratus, seseque recipiens ad Domum suæ professionis, ibidem animam pie efflavit, anno 1513, die 25 Junii. Vir fuit non minus sanctimonia quam eruditione et in rebus agendis prudentia clarus; qui diu Visitatoris munus obiens, paterna omnibus ubera semper exhibuit; cujus singulare fuit studium divini cultus promovendi, mira in Beatissimam Virginem devotio; qui non solum verbis, sed et exemplis omnes provocabat ad gradiendum per sanctioris vitæ semitas. Cujus virtutum fragrantia Joannes de Lapide, Theologiæ nominatissimus Professor, illectus, relicto sæculo habitum Religionis in hac Domo Basileensi suscepit; multique alii Jacobi pietate commoti se se erga Cartusienses beneficos præstiterunt.

Chronicon Cartusiæ Basileensis et Buxiæ.

XXVI DIE JUNII

SANCTUS ANTHELMUS

EPISCOPUS BELLICENSIS

Hujus sanctissimi Præsulis Vitam mutuamus e Surio; cujus, prætermissa præfatione, sic Vita incipit :

Celsa magnaque progenie, claris in mundo parentibus, tali prole beatis, patre Arduino ex Allobrogum (Author Savoiæ habet) Castello Signino, matre nobilissimis suæ patriæ hominibus orta, beatus Anthelmus editus est : cui ea cura fuit, ut Deo, cui placuit, serviret; et ita qui erat nobilis genere, Christi servitute multo factus est nobilior. Divina autem Providentia, cui is curæ erat, id agente, parentum voluntate adhuc puer Sacris discendis Literis traditus est.

Postquam autem adolevit, egregia indole fuit, tantaque divinitus gratia perfusus est, ut esset omnibus gratus, et ab omnibus, qui eum nossent, charus haberetur. Etsi autem jam Deo quoque gratus esset, ut arbitramur, non tamen ilico ad Religiosam vivendi rationem se conferre voluit, arridentis ipsi sæculi blandimentis illectus, neque enim adhuc accurate versabatur in commemorandis novissimis, quorum sedula cogitatio retrahit a peccatis. Facile autem mihi persuadeo divinæ Sapientiæ id ita factum esse dispensatione, quæ fortiter suaviterque omnia disponit, ut quo illi res magis secundæ magisque ad voluntatem fluerent, eo a Patre cœlesti tractus ad Christum, majoribus sanctitatis meritis cumulatus videretur.

Itaque in Gebennensem et Bellicensem Ecclesias asscitus brevi magnis est auctus opibus et proventibus, honoribus quoque et dignitatibus ecclesiasticis, ita ut provectioris ætatis viris atque etiam gravissimis senibus anteferretur. In Gebennensi enim Ecclesia Præpositus et Secretarius, in Bellicensi Secretarius creatus est, quæ illic præcipuæ dignitates habentur. Cumque multæ ei essent facultates, non id ei studio fuit, ut opes colligeret et coacervaret, sed ut liberaliter et honeste eas expenderet. Delectabatur enim favoribus et laudibus hominum, ut solent illi qui in pretio haberi volunt. Prætereuntes vel adventantes illustres viros, tam Religiosos quam sæculares, reverenter accipiens immo et pertrahens, honorifice tractabat, et obsequia opportuna officiosissime exhibebat. Ita fiebat, ut secundum Sapientis senten-

tiam, regno utilius meritis innumeros sibi longe lateque pararet amicos.

Habuisse vero fertur aliud quiddam longe præstabilius, erga pauperes scilicet et afflictos animum pium et benignum. Certum est autem, unam aliquam virtutem, si insit in homine, etiam ad alias eum perducere; quod quidem vel maxime facit charitas, sine qua cæteræ virtutes nullæ sunt. Charitatis autem eximia proles est eleemosyna, cujus qui studiosi sunt, amorem Dei et thesauros inæstimabiles sibi acquirunt, tum etiam bona præsentis vitæ et ætatis annos plurimos, amicos certos, fidos, magnos atque sempiternos.

Etsi autem, ut diximus, Anthelmus vanis et caducis esset rebus implicatus, attamen summopere cavebat, ne quid flagitiose, impure aut turpiter admitteret. Et hæc quidem pauca de sæculari ejus vita præmisisse sufficiant : nunc ad ea referenda accedimus, quæ illum efficiunt vere beatum.

Appropinquante tempore illo, quo ad Christi imitationem se erat compositurus, et felici mutatione in alium virum abiturus, nempe perfectum, et in mensuram ætatis plenitudinis Christi, cœpit hominum Religiosorum, imprimis Cartusianorum, loca invisere, vitam eorum explorare, libenter sermones illorum audire : at necdum tamen magno conversionis desiderio, sed quadam potius curiositate. Admonebatur interim ab iis, quos adibat, servis Dei; sed quis illius facilem sibi conversionem ausus esset polliceri, cui tam prosperi essent rerum successus, tanta felicitas, tanta etiam majorum honorum præpositæ spes ?

Ecce autem invisente illo cum quibusdam coætaneis suis Cartusiam, quam Portarum vocant, ut Christo illic servientes accederet, cum Dominus Bernardus venerabilis Prior verba salutis ei loqueretur, cujus sane opera innumeri a deviis vitiorum callibus ad Deum conversi sunt, et in diversa loca ablegati : itemque nonnulli ex Fratribus eum summopere ad conversionem hortarentur, Christi gratiam, et vitam æternam summamque felicitatem, et amplissimos in Cœlis honores ei promittentes : non tum quidem statim assensit, sed petens ut pro ipso Dominum orarent, atque illorum precibus se commendans, iisque valedicens, abscessit. Cumque ad inferiorem ejus Cartusiæ Domum venisset, ea nocte retentus est a Fratribus et Bosone Procuratore, mirabilis industriæ viro, ejusque cognato.

Mane iterum ascendit ad Domum superiorem, Fratres denuo adit, illorum domicilia et cætera omnia perlustrandi copia ei datur. Ut sensere autem Fratres emollitum animum ejus, tempus nacti opportunum, de contemptu mundi sermones repetunt, hortantur ut exigua pro magnis, pauca pro multis, falsa pro veris, pro sempiternis fluxa et caduca, pro salutaribus noxia, pro vita mortem, pro Deo mundum

contemnere ne dubitet. Quid multa? Divini timoris Spiritu correptus, consilii et fortitudinis Spiritu confirmatus, repentina mutatione jam alius effectus, amicus Dei haud vulgaris propediem futurus, omnia quæ mundi sunt, prorsus respuit et a se abdicat, uni Deo inhærere constituit, ejusque cultui et servituti totum se addicit; moxque in Fratrum illorum collegium et sodalitatem admitti se postulans, ab illis comiter receptus est.

Hortantibus autem illum Fratribus ut propere res suas disponeret, iisque compositis ocyus rediret, certumque ad quem adesse deberet, diem illi præstituerent; ille non absurde ratus, juxta sententiam Domini Salvatoris, manu semel ad aratrum missa, non esse respiciendum retro, ne parum aptus esset regno Dei: « Hæc est, inquit, illa dies, qua deliberatum est mihi perpetuo cum Domino permanere. Suppetunt, unde æs alienum dissolvatur, nec desunt amici fideles, qui omnia exequantur. » Itaque monastico ejus Ordinis habitu hilariter suscepto, cum multa pietate, devotione, fervore animi vixit inter illos: atque disciplinis regularibus et arrepti Instituti observantia ita brevi instructus est, ut jam perfectus videri posset.

Per id tempus primaria Cartusia paucissimos habebat monachos. Quamobrem dominus Hugo Gratianopolitanus episcopus, vir prudens et eximia virtute, qui beato Hugoni successerat, et postea Viennensis archiepiscopus creatus est, multis precibus a Portarum Cartusiæ Fratribus contendit: ut Fratrem Anthelmum, qui adhuc Novitius erat, Cartusiæ Magnæ permitterent. Dimissus ille ad eam Cartusiam, ubi Ordo Cartusianus primum cœpit, adeo fuit propositi tenax et monastici Canonis diligens, constans et strenuus cultor, ut multas de se ipso victimas offerret Deo, et vita ejus cæteris exemplo esset; quibus tamen certe id impossibile videbatur, ut studia imitarentur, cum ille supra vires humanas se se perpetuo exerceret. Sed neque ille id potuisset, nisi Divina fretus virtute, per illum et in illo omnia efficiente.

Erat crebro pernox in vigiliis; orationi, lectioni, sanctæ meditationi, laudibus divinis die noctuque vacabat: cumque Scriptura dicat: *Multam malitiam docuit ociositas,* certumque sit, ocium animæ inimicum esse: ne ullum tempus vacuum abscederet, etiam labori manuario incumbebat, sed multo amplius exercitiis spiritalibus. Lachrymarum tanta illi copia fuit, ut in precibus et meditationibus, quarum magna illi erat assiduitas, in suorum alienorumque peccatorum commemoratione, erga afflictos et quasvis hominum calamitates commiseratione, denique pro cœlestis regni desiderio quidam lachrymarum rivuli ab ejus oculis manare viderentur, intimo pietatis affectu expressi. In ecclesia sub solenni quotidianarum precum persolutione, torrentes

quidam ex ejus oculis prorumpebant. Sub Missæ Sacrificio, ubi totum se Deo mactabat in holocaustum, totus erat spiritalis, totusque Deo inhærebat. Frequentissimum id illi erat, nocte ac die verberare pectus, genua flectere, toto corpore se humi prosternere, terram exosculari, atque ita humiliare et abjicere se se coram Deo. Quotidie creberrimis virgarum ictibus cædebat dorsum et latera, plagasque plagis cumulando, nunquam patiebatur carnem livoris expertem aut cutem integram manere. Solitudinem, silentium, jejunia, obedientiam, cæteraque Ordinis instituta accurate observabat.

Cum his autem aliisque majoribus, quibus nec commemorandis quidem sufficimus, Dei servus studiis se se exerceret, Prior et Fratres ad consultum fore arbitrati sunt ut ejus industria in rerum externarum administratione tanquam necessaria uterentur. Itaque instituitur Cartusiæ Procurator. Et ille quidem, ne inobedientiæ culpa se obstringeret, id ministerium humiliter suscepit, prudenterque ac strenue executus est. Si qua noxia vel inutilia aut reperiret, aut fortassis existerent, ea mox profligavit, Religioni contraria demolitus est, inhonesta correxit, Fratres laicos ab illicitis compescuit. Si quem vidisset dissolutum, vagum aut negligentem, arguendo, obsecrando, increpando, castigando eum emendatiorem efficere conabatur, nec quemquam sinebat a Regulæ præscripto deflectere.

Pauperibus et egenis, pro divinitus ipsi indita pietate et humanitate, multam exhibebat commiserationem, esurientes cibo recreabat, nudis præbebat vestes, afflictis et miseris non solum consolationem, sed etiam se ipsum impendebat. Quamvis autem his atque id genus aliis misericordiæ officiis diligentem navaret operam, attamen studiosius ad amica cellulæ suæ, tanquam nutricis et omnium magistræ, exercitia et quietem atque tranquillitatem assidue receptum habebat; atque ita Marthæ bonum quidem, sed tamen in multa distractum et actuosum curabat ministerium, ut potiorem Mariæ partem, quam sibi delegerat, nequaquam deserendam putaret : sicque erat sollicitus erga plurima, ut uni illi quod necessarium est, cui vacare cœperat, inhæreret, in neutro deficiens. Namque jejunia, vigilias, corporis castigationes, et cætera, quæ ante memoravimus, auxit potius, quam quicquam illis detraxit. Mira quidem sunt hæc, quippe quæ humanarum virium excedant facultatem; sed præpotens Deus, qui est bonorum omnium largitor et author, cui voluntatem dederat, etiam vires suggessit.

Cum jam autem tempus adesset a Deo præstitutum, quo non uni sibi, sed plurimis ad Deum adducendis eum intentum esse oporteret, vir Deo devotissimus cedente, immo cogente illo, qui tunc primæ Cartusiæ præerat, et Fratribus, Prior creatus est. Fuerat

ejus loci Prior, sempiterna memoria dignus Guigo, vir venerabilis, qui pro divinitus ipsi collata gratia mellifluæ doctrinæ, hanc obtinet prærogativam, ut bonus Prior vocetur ab illis qui de illo loquuntur. Is Cartusiensi Instituto modum certosque limites statuit. Regulam enim ipse conscripsit, quam *Consuetudines* voluit appellari : subditos instituit verbo et exemplo : solerti et vigilanti cura, honeste, religiose ac sobrie quæ ad ipsum attinerent, moderabatur : qui ab eo consilium peterent, iis recte et salubriter consulebat.

Cujus celeberrimi viri idcirco hic mentionem facere voluimus, quod servus Christi Anthelmus Prior creatus, ad ejus se imitationem composuit, et subditos ita vivere voluit, quemadmodum ille in suis Constitutionibus præscripserat : si quid vero collapsum esset, id instaurare curavit. Intepuerat enim Ordinis observantia post decessum memorati Prioris, nec erat is, qui antea fuerat, Religionis fervor, sive severitas disciplinæ propter defectum virorum fortium : qui inde accidit, quod beatus ille sanctorum Conventus, paucis periculum evadentibus, una die vel potius una hora pariter extinctus, laboris sui præmium a Domino percepit : quando ab altissimis montibus nix, humus et saxa in cellas monasterii ruentia, Fratres sua mole oppressere.

Dedit igitur operam novus Prior Anthelmus tam ædificiis quam moribus instaurandis, ut si quid sancti Ordinis pristina religio et observantia accepisset detrimenti, id ad pridem conscriptas Constitutiones reformaretur. Negligentem, si quem cerneret, aut contumacem, admonitionibus, blandis verbis et minis, præceptis quoque et objurgationibus, ad meliorem frugem revocare nitebatur : quod si quis nollet resipiscere, planeque obstinatus esset, e Fratrum sodalitate illum extrudere non dubitabat. Erant enim nonnulli, qui sanas institutiones ejus non ferentes, cum essent grandes in oculis suis, homines maligna mente et in contentiones proclives, illi se se opponere non verentur. At ille non ferens eorum arrogantiam, nec aliorum pacem et quietem interturbarent, e monasterio eos ejecit. Sub illius itaque manu et disciplina proficiebant Fratres, fortiter perseverantes in exacta monasticarum Constitutionum observantia, idque non in prima Cartusia tantum, sed etiam in cæteris, illo Priores extimulante et adhortante. Et florebat tum Cartusiana Religio, crescebatque et multiplicabatur.

Quamvis autem pauci quidam fortassis plus æquo severum illum et rigidum in subditos arbitrarentur, at plures tamen, qui saniori essent judicio, tali Patre gaudebant, et sanctorum delectabantur exercitatione studiorum. Diligebat enim suos vir sanctus, et paterna benevolentia complectebatur, providens eis de omnibus, quemadmodum solet mater, de filiorum suorum salute sollicita. Gaudebat cum gaudentibus,

cum lugentibus lugebat, aliorum damna et incommoda, sua putabat, ut posset ipse quoque de suis dicere illud Apostoli : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Solebat singulos crebro invisere, suavi eloquio mulcere, non solum animabus, sed etiam corporibus res necessarias præbere, prout cujusque moribus vel constitutioni congruere noverat.

Si quid autem admissum esset ab aliquo, id lenitate ac mansuetudine potius quam severitate corrigere studebat : et cum sibi ipsi non parceret, aliis indulgendum sentiebat. Ita si qua ab aliquo culpa esset perpetrata, veniam dabat pœnitenti, cunctisque Fratribus ea quæ ad victum pertinent, et multifaria solatia et beneficia conferebat. Infirmis vel animo vel corpore, aut qui tentationibus pulsarentur, ingenti cura, salutis et consolationis fomenta adhibebat. Perfectiores vero omni honore dignos existimabat, et tanquam Christum Dominum in illis venerans, multa reverentia eos prosequebatur, ita ut etiam illis assurgeret modestiæ causa, magister discipulis, præpositus subjectis omnes sibi anteponens, nulli se justitia parem sentiens.

Sed cum erga morigeros et gratos talem se præberet, ingratos, duros, rebelles, arrogantia tumidos severiter coercebat, et sub jugum superbas cervices mittens, humiliabat, æquo justitiæ libramento singulis pro dignitate restituens. Pœnitentiam autem agentibus et se peccasse dolentibus, mira humanitate et commiseratione propitius erat. Atque hoc pacto vir beatus in Fratrum salutem cura pervigili intentus, vitia persequebatur, virtutes fovebat et promovebat. Hortabatur eos, ut magis magisque proficerent, præmia illis cum Christo immensa et ineffabilia proponens. Dicebat cum beatissimo Apostolo, ut quæ retro sunt, obliviscentes, in anteriora se semper extenderent.

Neque vero his paucis dumtaxat, sed permultis prodesse curabat. Fratrem etiam suum traxit ad Christum, nam alius frater eum jam præcesserat. Traxit vero etiam patrem. Felicem nimirum parentem, qui tribus filiis, magna virtute viris, præeuntibus, ipse quoque, contempto cum suis vanitatibus et mortiferis illecebris mundo, secutus est Salvatorem. Felicem plane, qui tales meruit habere liberos, qui rerum caducarum et instar fumi labentium spreta hæreditate, et sibi et parenti æternam semperque mansuram compararunt. Felix felices feliciter secutus est, non jam filios, sed Patres in Christo.

Adventantes etiam, quos non raros habet ea Domus, hospites, animarum suarum saluti consulere cupientes, ad agendam pœnitentiam et vitæ emendationem invitabat, habita ratione morum et conditionis singulorum. Faciebat vero id indiscriminatim apud Clericos et laicos, apud sæculares et monasticæ Vitæ professores : quippe qui omnes cuperet salvos fieri, illam S. Jacobi sen-

tentiam animo versans : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.*

Erant autem exhortationes ejus nonnunquam graves quidem verbis, sed charitate et benevolentia refertæ : et quamvis nonnulli eas graviter acciperent et moleste ferrent, mitibus sane gratæ erant et jucundæ : nec pauci iis correcti sunt, multi ad peccandum facti cunctantiores et tardiores, multi ad agendam pœnitentiam adducti sunt. Castigabat verbis male viventes, maxime literatos, nec illorum dissimulabat vitia, omnis adulationis expers, et personas accipere nesciens, nemini parcens, ne ipsis quidem negligentibus aut avaris, vel munera exigentibus Episcopis, non Abbatibus erga subditos parum sollicitis, vel non bona de se exempla præbentibus, non presbyteris fœdæ libidinis mancipiis, non denique quibuscumque Sanctæ Dei Ecclesiæ præfectis vel ministris publice peccantibus. Et certe reformidabant eum omnes, sed diversa plane ratione : alii non sine amore, alii cum indignatione et odio : alii benevolentia eum complectentes, alii stomachantes : alii blasphemantes et convitiis proscindentes, alii laude et prædicatione eum efferentes. Nec deerant sane, qui sanctum virum rusticum dicerent et importunum, nec tamen poterat vel ausus erat quisquam sinceritati et æquitati zeli illius se se opponere.

Interea vero multarum bonarum consuetudinum et institutorum ipse Cartusiæ Magnæ author fuit. Instituit namque, ut ex iis quæ monasticus Canon præscribit, nihil deesset Fratribus, nihil illi unquam carum sentirent, sed præpararentur illis ea omnia, non habita pretii ratione, statutis ministranda temporibus. Atque iis aliisque commodis, hactenus suppeditatis, statuit non fraudandos esse Fratres, ne, de rebus necessariis solliciti et anxii, minus vacarent divinarum rerum contemplationi et regularibus disciplinis. Terminos Cartusiæ dilatavit et ita obstruxit, ut fœminæ, quæ antea prohiberi non poterant, quin in eos ingrederentur, jam se exclusas sentirent. Structuras quasdam, prout expedire visum est, partim meliores reddidit, partim mutavit, partim novas effecit. Agriculturæ, pastorum gregum, denique omnium quæ ejus monasterii essent, curam gessit. Nec hoc silentio tegendum, quosdam illum aquæductus multo labore prolixis spatiis effecisse, per quos ad cellas Fratrum, ad culinam cæterasque officinas tanta aquarum copia derivatur, ut perpetuo decurrentium lapsu, etiam molendini rota, postmodum illic constructa, circumagatur.

His igitur aliisque permultis, quæ nimis operosum sit omnia annotare, quæ illius prudentia et industria effecta sunt, Cartusiæ primariæ et spiritalium et temporalium bonorum non parvæ accessiones allatæ sunt. Possunt autem monasteriorum Præfecti beati viri ex-

emplis edoceri, quemadmodum tum se ipsos, tum suæ curæ commissa, id est, subditorum corpora et animas, cæteraque omnia regere ac moderari debeant. Erat ille ita studiosus lenitatis et mansuetudinis, ut esset tamen etiam suis locis et temporibus severus. Noverat vir prudens et gravitatem lenitate, et lenitatem gravitate temperare: quanquam vincebat in illo, naturali quodam Dei munere, ei insita pietas et misericordia. Cum esset autem talis et tantus vir, ad cellæ quietem et solitudinem inhiabat, quod parum sibi præstare videretur, immo multam etiam jacturam fecisse, dum multis occupatus non posset pro voto spiritalibus exercitiis inhærere.

Itaque cum annis duodecim strenue ac religiose Cartusiam illam gubernasset, alio in locum suum subrogato, subesse malens quam præesse, obedire potius quam imperare, ad cellam, cujus ardebat desiderio, se recepit, ejus gratissima habitatione mirifice delectatus. Lætabatur enim solitudine, nec tamen sæpius a Priore vocatus ad consilium, suam operam negabat : neque etiam destitit unquam reprehendere, si quid fieret præter decorum aut Ordinis honestatem, vel quod Instituto Cartusiano minime conveniret : immo vero quoad vixit, toti Ordini Cartusiano corrigendo, conservando, tuendo et propugnando suam operam quasi communis quidam parens navavit ; et nisi ille fuisset, non tantus in Cartusia disciplinæ monasticæ vigor et rigor perseverasset, sed illa quoque instar aliarum laxo fluxisset sinu. Multis vero etiam aliis sanctis locis, permultis tum Clericis, tum laicis, ad emendationem et Religionis incrementum non parum contulere ejus ferventes adhortationes et optima vivendi exempla. Sed jam ad alia pergamus.

Per id tempus in Portarum Cartusia primi Prioris locum obtinebat eximius Pater Bernardus, qui quanti apud Deum meriti sit, qua memoriæ celebritate dignus, multa et præclara, tam in spiritalibus quam temporalibus, ejus opera et studia testantur : nempe ejus monasterii amplitudo, terræ spatia abunde sufficientia, Domus ipsa ædificata et strenue gubernata, plurimisque referta bonis, Fratrum diligens cura, disciplinæ monasticæ integritas, et boni mores Fratrum puraque Religio, larga manus in Christo et ad dandum et benigne faciendum egenis porrecta, alia etiam loca, quibus suæ facultates non sufficerent, crebris et magnis fota beneficiis, e quibus sane nonnulla pessum iissent, quæ jam ejus suffulta liberalilate consistunt. Dabat namque ille indigentibus liberaliter, imprimis autem Religiosis sive monasticæ Vitæ cultoribus : et suppetebat quod largiretur. Atque hoc illi divinitus collatum erat munus, ut ab omnibus, qui vel viderent eum, vel de illo audirent, mire diligeretur, non a vicinis modo, sed etiam procul degentibus, adeo ut etiam

plerique in longinquis regionibus quicquid ille mandasset, libenter ejus parerent voluntati. Innumeros peccatis deditos et implicatos, ad bonam frugem et vitæ emendationem adduxit, et ad diversa monasteria et propinqua et remota remisit, illic Deo servituros.

Ubi autem senectute premi se sensit, ab extremis laboribus quiescere cupiens, ut posset accuratius uni vacare Deo, simul etiam indignum se existimans, qui semper aliis dominaretur, tandem apud se statuit aliis subesse potius quam præesse. Abdicato itaque Prioris officio, de alio substituendo sollicitus, cum esset vir prudens, nec vellet in incerto spem collocare, talem sibi subrogare conatus est, qui diligentia, authoritate et integritate sua, Ordinis Instituta diu illic ferventi spiritu observata tueretur, nec sineret tepescere fervorem, aut Fratres in deteriora prolabi.

Nemo autem moleste ferat, aut nos temeritatis arguat, quod hæc de sancto viro nostræ narrationi attexere voluimus, quando sine iis non satis perspicuum esset quid velimus, et solent plerumque exempla exemplis adjuncta non parvum orationi ornatum addere.

Elegit vero vir sanctissimus Anthelmum, eumque, uti par erat, reverenter petens a Magnæ Cartusiæ Patribus, impetravit.

Postquam autem eo venit Anthelmus, quemadmodum in illo exequendo munere se gesserit, cum sint ejus mores jam supra explicati, retexere supervacaneum arbitramur. Non est tamen prætermittendum, quod Domum illam plurimis bonis temporariis abundantem, sancto quodam fœnore potioribus et præstantioribus cumulavit. Nam cum invenisset pecuniæ non parum, frumenti et diversi generis annonæ sive leguminum acervos et horrea plena, cogitare cœpit, nulli ea usui fore, si sic congesta manerent. Statuit igitur pecuniam elargiri iis a quibus cum usura eam reciperet, nempe egenis, frumentum quoque mutuo dare potius quam putredini aut vermibus perdendum relinquere.

Erat enim id temporis magna annonæ caritas : sed messe adventante, jam novas fruges carpere licebat; cui tamen rei alia accessit calamitas, in montanis locis grandinis tempestate omnibus plane perditis et vastatis, quæ monachorum illorum agricolæ seminarant. Nec habebant jam quid vel ederent, vel unde sementem novam facerent. Advertit ergo prudens et pius fœnerator, ex iis quæ habebat, posse se maxima lucra facere. Itaque maluit ea mutuo dare miseris, quam pro pretio distrahere. Quæ enim distracta sunt, non redeunt ad venditorem : mutuo vero et fœnori data, cum multo lucro revertuntur. Jussit ergo frumentum agricolis distribui aliis plus, aliis minus, prout res poscere videretur : idque sine ulla stipulatione, bonum habens fidejussorem, qui fallere non novit, Deum, quem non dubitabat cum immenso fœnore

data restituturum. At pauperes illi ruricolæ, acceptis portionibus suis, laudabant Dominum, qui per fidelem servum suum tanta eis beneficia præstitisset. Quotquot autem ex eo frumento seminarunt, eos plane confidimus uberum spe frugum minime frustratos. Deinde mittens etiam manum ad pecuniam, mille aureos quos invenit, et alia, sui Ordinis et aliis religiosis locis elargitus est.

Ita nimirum fidelis servus et prudens novit consulere ex fœnore domui suæ, thesauros nunquam defecturos acquirere, nempe temporaria sapienter dispergendo, spiritalia vero intemerata servando, animarum potius quam terrenæ substantiæ doctus lucra aucupari. Porro etiam, si qua visa essent in ecclesiæ ornamentis superflua, ea aliis locis, quæ iis indigerent, impertiit. Idem fecit de varia Domus supellectile, qua abundabat. Accessit vero etiam sylvas, quas illa Domus amplas possidet, et magna arborum strage edita, spatia pratis opportuna effecit, et agros accipiendis seminibus aptos. Curavit etiam pomarium ingens constitui, et in eo diversi generis surculos truncis inseri.

Diligebant autem eum Fratres, quandoquidem non talem eum experiebantur, qualem eum fore existimarant, puta durum, severum et asperum. Placidum enim et affabilem se exhibebat, non Prælati dignitatem præ se ferens, sed ipsis quoque subditis humiliorem se præbens. Domino Bernardo præstabat reverentiam, illum sibi anteponens. Idem erat erga Religiosum Christi servum Joannem, cui adventanti solebat reverenter assurgere, nec id unquam prætermisit, etiam cum Episcopi, Abbates, aut cujuscumque dignitatis personæ adessent. Pietas vero et commiseratio ejus erga afflictos quanta fuerit, quanta erga omnes liberalitas, ab uno, quod memoratu dignum videtur, ejus exemplo animadvertere licebit.

Ea tempestate Comes Forensis dolo captum Lugdunum vastavit, diripiens omnia, imprimis autem suæ malignitatis rabiem in Ecclesiam exercens, Clericorum eversis ædibus, cum illi Deo protegente salvi evasissent. Itaque ipse Archiepiscopus Eraclius, et cæteri magna dignitate viri, haud secus ac profugi et proscripti ad Portarum Cartusiam advolarunt, ad quam alioqui convenire consueverant, de rebus magnis consulturi. Postquam autem eos consolatus erat vir magnanimus et fortis in Domino Anthelmus Prior, ista etiam addidit: « Ne, quæso, velitis, Domini mei, hac illac errabundi vagari, vel alio vos conferre. Apud nos permanete, aut si pro expediendis negotiis interdum vultis egredi, ad nos revertamini. Nos enim, demptis equis vestris, et vos et presbyteros et Clericos vestros, quamdiu necesse erit, alemus. Erit id pergratum nobis, et vobis nequaquam indecorum. » Euntibus igitur et redeuntibus illis, quibusdam etiam jugiter illic hærentibus, largis impensis cum multa gratia

et alacritate ad victum pertinentia accurate sunt subministrata, donec non diu post, non sine grandi miraculo profligatis hostibus, Clerici ad sua reverterentur.

At cum vir Dei multis occupatus, ab illis, quibus potissimum inhiabat, spiritalibus studiis et exercitiis se distineri videret, vix biennii evolutis spatiis, Prioris officio, quod pacis reformandæ necessitate et Superiorum præcepto adactus susceperat, se se abdicans, ad tutissimum semperque concupitum se in Magna Cartusia cellæ portum recepit. Etsi autem solitudinis et secreti esset amans, at crebro tamen magnorum virorum Deum timentium, qui ejus amici erant, grata visitatione recreabatur, et illi vicissim sanctis ejus colloquiis delectabantur. Audiebatur enim etiam procul nomen ejus, et cuncti ejus constantiam mirabantur. At ille laudari se ferebat molestissime, non ab hominibus vanam et lubricam, sed a Deo stabilem, veram sempiternamque gloriam appetens.

Inter alias virtutes ejus, quibus erat egregie instructus, non mediocriter eum commendabat studium et zelus invictus Catholicæ unitatis, ejusque adversus schismaticos virilis et constans propugnatio. Cum enim Romanæ Curiæ Episcopi et Cardinales, totaque Curia Alexandrum Apostolicæ Sedi et universæ Ecclesiæ Summum Pontificem canonice electum præfecissent, et Octavianus qui primus eum elegerat, malo dæmone impellente et ambitione obcæcante, Sedem Apostolicam arripuisset, et, quod est execrabilius, Ecclesiam illam in Imperatoris ditionem redigere non esset veritus (erat enim potens et illustri familia, multis fautoribus fretus, cum Catholico Pontifici pauci quidem sed meliores studerent), atque ea causa, universa pene Ecclesia anceps vacillaret : Ordo Cartusianus primus ante omnes in Ecclesia Occidentali, quemadmodum satis constat, Alexandrum pro Catholico et vero Pontifice habendum, eique præstandam obedientiam confirmavit. Ecquis autem ejus rei author fuit ? Nimirum Anthelmus, et cum eo Gaufredus, sapiens et egregia facundia vir, atque in Divinis Scripturis eruditissimus. Horum studio, labore et opera effectum est, ut diu nutantes, confirmati Priores cæterique Cartusiani Instituti Fratres, Pontifici Alexandro obedientiam promitterent.

Atque ii ipsi permultos Ecclesiastici Ordinis Prælatos et subditos illorum, in schisma propendentes, aut nutabundos et dubios, ab errore revocarunt, et in sana sententia confirmarunt, Alexandrum Catholicum probantes, Octavianum reprobum reprobantes, reum condemnantes, et schismaticum cum ejus fautoribus execrantes. Imperator igitur, qui nonnisi sua voluntate et authoritate Pontificem creari volebat, cujus administer erat, non dominus, isthuc de Anthelmo rescivit, veræque Fidei cultorem et defensorem non solum

odio habuit, sed etiam condemnavit, cum illius nec maledicere esset, nec benedicere. Interim vero præeuntibus Cartusianis ac Cistertiensibus, Alexander Pontifex a Gallis, Hispanis, Britannis brevi receptus est. Quæ quidem inter cætera nos referre voluimus, ut perspicuum fieret, quanto animi fervore justitiam et veritatem æmulatus sit Christi servus Anthelmus, Deusque laudetur et glorificetur, qui Sanctos suos adjuvando, claros et celebres reddit.

Quamvis autem, ut diximus, solitudine et silentio delectaretur, libenterque carnis afflictioni, spiritus contritioni, sanctæque meditationi perpetuo vacaret, non tamen licuit ei diu manere intra cellulæ amicos recessus, Domino volente, ut tam illustris lucerna non sub modio lateret, sed posita super candelabrum, luceret in Domo Dei. Accidit tum Bellicensem Ecclesiam orbari Pastore suo : et cum de successore ageretur, pars potentior quemdam elegit adolescentem, genere nobilem, eique ædes Episcopi traditæ sunt. Sed pars altera in ejus electionem minime consentiens, monachum quemdam in defuncti locum subrogavit, missis Legatis ad Pontificem Maximum, qui tunc in Galliis morabatur, ut ejus authoritate confirmaretur et consecraretur. Ejus legationis facile princeps et dux erat Sigibodus, homo astutus et mire eloquens, multæque literaturæ : qui oratione polita et phalerata facile in suam sententiam pertraxit eos qui erant in Curia Pontificis. At Pontifex ipse neutram electionem voluit ratam habere, distulitque Legatis dare responsum, non dubitans etiam alterius partis nuncios venturos, quorum rationes æque ut priorum audire volebat.

Interea Christus illius Ecclesiæ curam gerens, utilem et bene idoneum illi Antistitem contulit. Erant in Fratribus moderatiores aliquot, pauci illi quidem, ut semper rariores sunt sapientes, quibus neutrius partis probabatur electio. Ii cæteros in concordiam redigere cupientes, magnum illum Cartusianæ solitudinis cultorem Anthelmum eligunt. Consentiunt illis reliqui omnes gratulabundi, adeoque etiam ille, qui prior electus fuit cum amicis suis; erat enim Anthelmi consanguineus. Sed cum non ignorarent, sine multa difficultate illum a Cartusiæ solitudine avelli non posse, ad Pontificem Alexandrum propere abierunt ; qui ubi cognovit quid molirentur, gavisus est, dicens illos felices fore tali Pastore, taleque consilium propitio Deo ipsos suscepisse.

Et primo quidem pius Pontifex et istos et alios, qui ad ipsum venerant, per se ipsum conatus est in concordiam redigere : sed Sigibodus, qui se omnia pro voto habiturum putabat, tam bonam electionem moliebatur abolere, multis rationibus asseverans suam ratam, hanc vero irritam esse debere. Blande vero admonitus, quin et rogatus a Pontifice, cum tanti Patris non posset

resistere voluntati, invitus tandem assensit. Omnibus itaque conciliatis et animo conjunctis, Pontifex datis ad Anthelmum Literis, Apostolica authoritate præcepit, ut Ecclesiæ Bellicensis, cujus esset Præsul electus, curam suscipere nulla occasione differret. Mandavit etiam Priori Cartusiæ et Fratribus ut eum traderent petentibus, et si recusaret, præcepto compellerent.

At ubi Anthelmus didicit quid gereretur, et jam adesse qui ipsum essent abducturi, fugæ se mandare constituit, exemplo Christi Salvatoris, qui Judæis eum rapere volentibus et regem constituere, fugam iniit, docens ea re dignitates et honores neutiquam ambiendos, sed fugiendos potius esse. Sed Dominus Christus cur eam fugam capesseret, non ignorabat : Anthelmus vero propemodum extra se positus quid faceret nesciebat. Dominus, qui non suam sed Patris venerat facere voluntatem, idcirco fugit, quod tempus ab omni æternitate præfixum nondum adesset, quo a Patre clarificatus regnaret. Anthelmus vero ea causa subducere se voluit, et necessario recusato ministerio, suæ obsequi voluntati, quod necdum compertum haberet rem a Deo geri.

Perquirentes autem Fratres, postquam eum repererunt, e latebris extractum, vix in Conventum perducere potuere. Exponunt ei Pontificis mandatum, exhibent Literas, addit Prior etiam suum præceptum ; rogant Legati nomine totius Ecclesiæ Bellicensis, hortantur Fratres, ut provinciam ipsi divinitus demandatam suscipiat, nec suam voluntatem ausus sit Divinæ anteferre. Ecquid vero iis omnibus effectum est ? Ille prorsus renuit, palam protestans, se extra illam eremum nunquam egressurum. Tandem pia quadam et callida machinatione proponunt ei, alterum e duobus ut eligat : aut Pontificis mandato impositum amplectatur ministerium, aut ipsum Pontificem adeat, quem, aiunt, ejus cognita voluntate, nunquam illi vim adhibiturum. Ea igitur spe ductus ille iter ingressus est, Legatis eum non deserentibus.

Ut autem pervenit ad Pontificem, ab ipso et tota Curia honorifice acceptus est. (Noverant enim virum esse magni meriti et eximiæ virtutis.) Postquam autem ad colloquium ventum est, dixit Anthelmus, se non alia causa eo accessisse, nisi ut Pontificis posset experiri misericordiam, ne ejus authoritate ad id adigeretur, quod neque sibi, neque Ecclesiæ a qua expeteretur, conducibile foret. Multa tum in se ipsum cœpit jactare convicia, illiteratum, idiotam, imperitum, improbum, inutilem se clamitans, atque aliis aliisque id postremo adjiciens, se votum nuncupasse Deo, nunquam ab eremo se recessurum, atque idcirco invitum cogi non debere.

Enixe igitur illo petente, ut Pontifex ipsi parceret, ille respondit : « Noli, fili, noli, calvas excusationes prætexere, neque enim te fingere decet. Novimus

qua sis industria, ubi animum adjicere et intendere vis. Quid ita nunc inerti pusillanimitate contraheris? Obedias, oportet. Ego enim quod scripsi, scripsi. Memineris Scripturæ dicentis : *Quasi peccatum ariolandi esse, repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*. Simul animadverte, quanta sit obedientiæ virtus, quam professus diu coluisti. Qui te ipsum abnegare et Christum sequi velle professus es, non debes tuæ obsequi voluntati, sed ad Christi exemplum et imitationem te componere, qui factus est Patri obediens usque ad mortem Crucis : a qua etsi pro humana conditione abhorreret, attamen constanter dixit Patri : *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* »

His atque id genus aliis sermonibus Pontifice eum demulcente, ille pudefactus conticuit, et pro tanti Patris reverentia non fuit ausus ulterius reluctari. Consecratus inde est solenniter ab ipso Apostolicæ Sedis Pontifice Alexandro, ipsis feriis Nativitatis perpetuæ Virginis, quæ tunc in Dominicum diem inciderant, eodemque Pontifice ipsum retinente, ad dies aliquot mansit in Curia; et cum multa de rebus variis familiariter inter se colloquerentur, et Anthelmus crebro ex Scripturis opportuna testimonia proferret : « Itane, inquiebant, rudis plane et indoctus est iste, ut ipse nobis persuadere voluit? » Cum autem sollicitus in eam curam incumberet, ut discedendi ipsi facultas daretur, Pontifex congruis quibusdam munusculis donatum a se cum benedictione dimisit.

Hactenus nonnullis de vita et moribus beati viri ante Pontificatum commemoratis, nunc ad ea quæ Episcopus gessit, breviter exponenda, Deo faciente, accedemus.

Non habuit sane in illo locum, quod vulgo dici solet : Honores mutare mores. Idem enim permansit, qui antea fuerat vitæ gravitate, virtutum constantia, perseveranti Religionis studio : ad preces, vigilias, jejunia et cæteras corporis afflictiones adjecit potius aliquid, quam detraxit. Divinum Officium non in sacello suo, sed dignius et majori cum decoro, in summa æde cum Canonicis humiliter persolvit. Quotidie fere, quod antea raro permittebatur, salutarem Deo Hostiam offerebat cum multa devotione et copia lachrymarum. Sacris initiatos, maxime sacerdotes, summo honore dignos affirmabat pro concione, jussitque suis auditoribus, ut multa eos reverentia prosequerentur; illos porro admonuit, ut sine criminis nota se ipsos integros et inculpatos Dei ministros exhiberent.

Sed audiebat de illis, quæ animo ejus non possent non esse molesta. Erant enim nonnulli in eis, qui, quod sine pudore dici non potest, publice suas foverent concubinas : quidam etiam, quod execrabilius est, qui se fœdissima adulterii infamia contaminarent. Itaque primo anno suscepti ministerii sui ad Synodum convocatis presbyteris, et

blanditiis et minis eos sui officii admonere volens, ita locutus est : « Quis honor, quæ dignitas sit sacerdotii, advertere debetis, Fratres et compresbyteri mei. *Vos,* authore beatissimo Petro Apostolo, *genus electum, regale sacerdotium :* vos inter Deum et homines mediatores estis. Sacerdos enim Angelus Domini exercituum est. Vos sicut luminaria in mundo lucere debetis, et alios optimis exemplis potius quam verbis solis, docere. Quantæ, oro, dignitatis est, Creatorem omnium, Deum immensæ majestatis contrectare manibus, panemque illum vivum, qui de cœlo descendit, e mensa Domini accipere? Sane quisquis hoc non mundo corpore et pura mente per temeritatem facere non dubitat, is, Apostolo teste, *judicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini.*

« Et sunt tamen etiam in vobis, qui id minime attendant : non quod ignorent, sed quod negligant et parvipendant. Nam quod abominabile et valde execrabile est, turpiter se se abjicientes, et a tanti honoris fastigio in sordes et cœnum se se præcipitantes, sancta polluere non verentur, turpitudine sua Omnipotentis Dei in se iram concitantes. An vero parum vobis est (vobis loquor, qui hujus facinoris rei estis), quod quemadmodum per Ezechielem dicit Dominus, pascentes vosmetipsos, non modo oves, quod vos facere oportebat, non pascitis, infirmos confirmando, debiles roborando, fractos consolidando, dispersos reducendo, et ex luporum faucibus raptos extrahendo : sed etiam turpissimæ vitæ toxico oves Christi inficitis, et quibus ad obtinendam vitam æternam authores et duces esse deberetis, eas vobiscum in æternæ mortis præcipitia adducitis?

« Sed hæc quidem hactenus a vobis perpetrata, tametsi par erat eorum causa vos et ecclesiasticis proventibus et sacris Ordinibus privari, tamen in præsens mihi meritas non dabunt pœnas. Si qui vero deinceps se se ad meliorem frugem recipere noluerint, in illos ego certe multa severitate animadvertere non omittam. Nolim enim dissimulando vestræ me iniquitatis reddere participem. Quod si vos noveritis parcere saluti vestræ, Deum quoque propitium sentietis. »

Hæc primo anno dicta sunt ab illo : altero anno cum quidam nollent resipiscere, sed suis involuti fæcibus, pro infami contubernio mallent vincula catenasque colla prementes perpeti cum ignominia, quam ad pudorem et honestatem cum Dei amore se componere, sex aut septem audivimus Ordine privatos. Ita quos non potuit humanitate et mansuetudine corrigere, illos severitate et justa animadversione emendatos dilexit, fovit, tuendosque suscepit, ut nemo esset, qui sacerdotes aut lædere ulla ex parte ausus esset, aut turpe aliquid de eis dicere. Suas vel Ecclesiæ terras, homines, cœmeteria, et quæcumque ad ipsum attinerent, integra

conservare, Clericos, viduas, pauperes defendere, summopere curavit. Si quis illis, quæ tuenda susceperat, illata aliqua injuria ipsum offendisset (erant autem per id tempus illis in locis non pauci raptores et maligni homines), quantacumque is dignitate vel authoritate esset, nulli parcens, nullius personam accipiens, nihil quicquam reformidans, immo tum multo etiam constantior, si speraret martyrem se futurum, sicut scriptum est : *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit :* anathemate eum percellebat, nec unquam nisi satisfactione accepta absolvebat.

Comes Hubertus, Amedei filius, quemdam ejus presbyterum jusserat comprehendi. Petiit ille presbyterum sibi restitui : sed cum non impetraret, Præpositum ejus, qui presbyterum ceperat, cum tota domo ejus excommunicavit. Postquam autem cognovit, ubi presbyter detineretur, episcopum Maurianensem dominum Willelmum misit, ut eum ex illa captivitate extraheret. Invenit hominem Episcopus ille, monuit Præpositum, qui tum aderat, ut missum eum faceret. Nolente Præposito, Episcopus eum e custodia abduxit, contradicente eodem Præposito et vociferante : « Equidem tibi non resisto : sed tamen sciet haud dubio dominus meus, quis captivum ejus abstulerit. » Post ubi presbytero illi significatum fuit insidias illos moliri, ut rursus ipsum caperent, fuga sibi consulere statuebat. Pervenit id ad notitiam servorum Præpositi, illique abeunti insidias tendentes, cum gladiis repente ei occurrunt. Illo se defendere volente, tam atroci eum vulnere affecere, ut intra paucos dies moreretur. Idem vero Comes per calumniam asserebat, quædam in possessionibus Ecclesiæ ejus regalia esse : nec tamen, vivente sancto Episcopo, propterea injuriam facere Ecclesiæ, aut aliquid ab ea exigere ausus fuit.

De his igitur cum eum compellasset Episcopus, ille ira percitus, minari cœpit, non se diutius dissimulaturum, quin quæ sui esset juris exigeret. Rursus autem monente Episcopo et excommunicationis sententiam intentante, nisi et calumnia abstineret, et pro sacerdotis nece, quantum ad ipsum attineret, Deo satisfaceret : Comes monita ejus contemnens, minasque jactans et pericula intendens, asserensque se Pontificis Maximi privilegio munitum, a nemine posse excommunicari : ab Episcopo, nulla ejus potentiæ habita ratione, anathemate plectitur, cum præsens adesset.

Tum vero illo furore inflammato, et graviter comminante, illis quoque, qui ei aderant, affirmantibus, pro tanta in Principem temeritate, mox Episcopum capite puniri oportere : vir Dei majori constantia sententiam suam repetens, pertinacem Comitem multo etiam expressius a Christo et ejus corpore, quod est Ecclesia, præcidit, Satanæ illum tradens. Stupebant sane, qui huic negotio intererant, nec parum timebant

viro Dei, cum ille maneret intrepidus, magni beneficii loco habiturus, et impense etiam gavisurus, si tanta posset gratia dignus haberi, ut propter justitiæ defensionem ad martyrii palmam et beatitudinem liceret pervenire.

Erat enim non mercenarius, sed verus pastor : non ex illis negligentibus, quibus per Ezechielem Dominus improperat : *Non ascendistis ex adverso neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Quæ verba exponens beatus Gregorius Papa : « Ex adverso, inquit, ascendere, est quibuslibet potestatibus prave agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israel in prælio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra perversorum injustitiam ex justitiæ authoritate vindicamus. » Itaque boni Pastoris, id est Christi vestigia secutus Anthelmus et gregi suo custodiendo accurate invigilans, lupo veniente haudquaquam fugiebat, nec afflictorum levandis calamitatibus et miseriis se subducebat : sed si ita res posceret, etiam animam pro ovibus ponere paratus erat.

In illum autem lupum sævissimum, non corpora sed animas jugulare cupientem, diabolum, vel maxime intentum se præbebat, non ignorans illum ovili Dominico die noctuque perpetuas moliri insidias, et mentes fidelium mille modis lacerare et discerpere. Illum ergo extra se a populo admonitionibus et obsecrationibus, a se ipso jejuniis, vigiliis et variis corporis afflictionibus, multisque ad Deum fundendis precibus depellere curabat. Abigebat, inquam, illum a fidelium cordibus sagittis potentis acutis et carbonibus desolatoriis, id est, verbis Dei compungentibus corda per pœnitentiam, et Sanctorum exemplis vetustatem vitiorum consumentibus, et ad virtutum sectandam novitatem animos inflammantibus. Qui jam autem mortiferi illius serpentis essent toxico correpti aut jaculis sauciati, eos instar periti medici ita curare noverat, ut singulis quibusque opportuna et convenientia remedia adhiberet.

Paterno omnes complectebatur affectu, cunctisque providere et consulere nitebatur. Nec deerat ei zelus, quem in Phinees Scriptura Divina commendat, sed accinctus gladio justitiæ, impios puniebat : neque tamen odii id faciebat acerbitate, sed benevolentia et amore, non minus illorum, quam suam salutem appetens, talesque eos cupiens efficere, qualis ipse erat. Et certe plus illorum dolebat vicem qui animo, quam qui corpore læsi essent. Itaque vitia damnans et persequens, eos qui pias ejus admonitiones negligerent, castigabat ut emendatiores redderentur : damnabat, ne damnarentur.

Non est autem prætermittendum quanta justitiæ authoritate et constantia suam in Comitem supradictum sententiam prosecutus sit. Cum enim Comes ille Sedis Apostolicæ Pontifici significasset, se contra datum sibi privilegium

a Bellicensi Episcopo excommunicatum, idem Pontifex mandavit beato viro per Tarentasium archiepiscopum Petrum et alium quemdam Episcopum, ut charissimum filium suum comitem Hubertum, quem satis temere excommunicasset, absolveret : ipsis etiam iisdem Episcopis præcipiens, ut si nollet Anthelmus, cujus constantiam noverat, ipsi eum absolverent.

Veniunt Episcopi, afferunt mandata a Pontifice, multis hortantur verbis, ut Summo Pontifici debitam præstet obedientiam, et irati Principis animum impendenda absolutione sibi conciliet. Ille respondet : « Qui juste ligatus est, solvi non debet, nisi prius per pœnitentiam satisfaciat illi, quem læsit : atque ita etsi fortassis non digne et pro meritis, saltem misericordia persuadente et justitia parcente, Catholicæ Ecclesiæ restituatur. Neque enim vel ipsi beato Petro sic est hæc collata potestas, ut vel non solvenda solvere, vel non liganda ligare debeat. Quanto igitur minus nobis? Id igitur certum habetote, me a semel pronunciata sententia non deflexurum, sed eam plane retenturum. »

His auditis Episcopi discessere, nec, quamvis ad mandatum illis esset, Comitem fuere ausi absolvere. Attamen Pontifex cum id didicisset, Comitem absolvit, idque Anthelmo significavit. Ea autem re permotus vir fortis in Christo, et moleste ferens, relicta Bellicensis Ecclesiæ Cathedra, cupiens uni Deo in silentio et solitudine vacare, ad cellæ optatam se quietem recepit. Sed Dominus qui ad id eum honoris evexerat, non permisit ut illic maneret. Cum enim Bellicensis Ecclesia et omnis illa regio ejus absentia se desolatam sentiret, Clerici illius, Pontificis Maximi Literis, quas impetraverant, freti, eum repetierunt, atque ægre tandem obtinentes, cum debito honore et reverentia eum reduxerunt.

Porro Comes ille noluit se pro absoluto habere, neque in ecclesiam ingredi ausus fuit, donec coram sancto viro se se humilians et satisfactionem pollicens, ab illo absolutus et Ecclesiæ restitutus esset. Etsi autem magnopere eum charum semper habuit vir Dei, etiam tum cum eum ab Ecclesia separaret, at nunc familiarius et cum quadam reverentia crebro illum hortabatur, modo blandis, modo acrioribus utens verbis. Sed cum negligentem et incuriosum salutis suæ eum cerneret, et neque stare promissis, neque mala velle corrigere, immo vero ea potius cumulare, durius eum appellare, mala, quæ sub eo, vel per eum fiebant, improperare, clientelaris officii sponsionem et agnitionem, quam vulgo homagium vocant, ab eo exigere cœpit.

Ea igitur rursus Comiti materiam et fomitem odii ministrabant, ita ut testaretur nullum esse sub sole hominem, quem perinde haberet exosum, atque Anthelmum Episcopum. Minabatur etiam illi, et vix se se continens, mala

ei machinabatur. Interim tamen valde eum reverebatur, sanctitati ejus deferens etiam animo hostili : neque unquam in iis, quæ calumniabatur, eum aut lædere aut dehonestare ausus fuit. Si quid autem ab alio ei illatum esset mali, gratulabatur. Cum aliquando admoneret eum Episcopus, ut pro iis quæ diximus, satisfaceret, ille respondit, se in foro paratum respondere. Mox adjecit Episcopus : « Tu me jure fori, ego te legibus poli convenio, diemque tibi dico illum ipsum, quo omnes stabimus ad tribunal Christi. » Sed de his hactenus.

In Episcopatu suo vir sanctus in eam curam semper incubuit, ut ex veritatis et misericordiæ præscripto omnia fideliter et accurate gereret : nec minus tamen pristinæ vacabat Religioni, immo vero sollicite ne alicubi in toto Ordine Cartusiano sanctarum Institutionum sive consuetudinum rigor langueret, fervor tepesceret. Ab ejus nutu pendebant Cartusiani Priores, et illo moderante, sancta negotia disponebantur. Dabat vero operam, ut omnia religiose et ex Ordinis instituto atque præscripto fierent. Habuit autem semper locum suum in prima Cartusia, et in ea cellam vacuam, ita ut unus esset ex iis, quos habitatorum certus numerus admittebat. In ea autem cella sæpe morari solebat, cum esset pertæsus negotiorum temporalium, ut illic recrearet spiritum suum, non Episcopi majestatem, sed humilis monachi subjectionem præ se ferens. Recreabat autem se se, non ciborum lautitiis, sed jejuniis et precibus : non somno vel desidia, sed vigiliis et sanctis exercitiis: non rumoribus aut fabulis vel musicis instrumentis et modulationibus, sed sacris meditationibus, divinis contemplationibus et jubilo mentis : non gaudio, cujus extrema luctus occupat, sed luctu et mœrore, cui æterna consolatio promittitur. His, inquam, Dei fidelis servus reficiebatur et confirmabatur alimentis, perennis gloriæ spe illum roborante et consolante.

Solebat etiam non raro visitare loca religiosa, imprimis autem ipsi domestica aut suæ professionis : cumque venisset ad quamlibet sanctam Congregationem, convocatis Fratribus, gratissima et mellita oratione proponebat illis magnorum exempla virorum, quos vidisset ipse, aut de quibus auditione accepisset, mores eorum, dicta factaque commemorans. Deinde comiter et jucunde singulos ad se accitos, sibi assidere voluit, aut ipse e suo loco surgens, ad illos se conferebat, omnibus se conformans et accommodans, nec plus deferens majori quam minori. Tum vero familiari et placida exhortatione, vultu ad hilaritatem et jucunditatem composito, animabat eos ad suscepti Instituti perseverantiam et profectum, ad ferendum libentibus animis jugum Domini suave et onus leve : simul ob oculos eis statuens illud immensum præmium futuræ beatitudinis, a Deo ipsum dili-

gentibus præparatum, quale nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Et quia vir sanctus nihil sibi tribuebat, nec sua sibi sufficere arbitrabatur, sed aliorum se ope indigere ab animi humilitate persuasum habebat, studiose eos orabat ut in precibus suis ipsius essent memores. Ad quamcumque venisset servorum Dei Congregationem, ab iis se in Fratrem recipi et petiit, et impetravit : idque speciatim in cunctis Ordinis Cartusiani monasteriis. Erat enim rationi consentaneum, ut quem Deus in illo cœlesti regno eximium fore sciebat, ei in præsenti Ecclesia optata suffragia non negarentur.

Conciliis Ecclesiasticis aut sæcularium negotiorum tractatibus quoties interfuit, nullus vel Episcopus, vel alterius Ordinis aut status fuit, qui non eum sibi anteponeret. Omnes eum reverebantur, ipsa etiam Romana Curia. Si quid enim vitiosum aut reprehensione dignum in aliquo cerneretur, quantacumque in authoritate polleret, non dubitabat eum arguere, tantus illi inerat justitiæ et veritatis zelus. Neque enim ex arrogantia vel hypocrisi id faciebat, sed fervore charitatis. Nec deerant, de quibus ille ejus justitiæ zelus esset invisus : atque illi quidem, eo præsenti, ori suo digitum imponebant, sed absenti detrahebant, ejusque facta rodebant dente canino. Compluribus sane ejus castigationes et reprehensiones non erant ingratæ.

Adversum superbos severus et rigidus erat, eorum contemnens arrogantiam : humilibus comem, placidum et affabilem se præbebat. Obstinati, pervicaces, et qui nollent resipiscere, durum et quasi indignabundum eum experiebantur : obedientes et morigeri, lenem, humanum et familiarem. Erga peccatores pœnitentes quam pius, benignus, et misericors fuerit, norunt illi, qui ei peccata sua confessi sunt, et ejus manu impositione cum Deo in gratiam restituti. Totis sane visceribus condolebat illis, idque non sine lachrymis, quas ab oculis ejus eliciebat non mœror animi, sed ingens pietas et misericordia et lætitiæ magnitudo. Jure enim gaudendum existimabat, cum (ipso Christo testante) *gaudium sit in cœlis coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Consolabatur quoque illos, dicens veniam et Dei gratiam ipsos esse adeptos : atque deinceps, licet omnes ex animo diligeret, istos tamen peculiarius, non aliter quam suos mater filios. Miseris et afflictis condolebat, eosque consolatione, consilio auxilioque fovebat.

In pauperes vero et inopes quis illo unquam benignior ? quis majori erga illos misericordia ? quis de illorum sublevanda inopia sollicitior fuit ? Ex iis quæ habebat, nihil suum arbitrabatur, sed omnia pauperum : quod quidem etiam revera sic erat. Non incubabat ille pecuniæ thesauris, qui non permanent : sed illis potius coacervandis in-

tentus erat, qui in cœlis repositi, amitti vel corrumpi nunquam possunt. Itaque demptis iis quæ moderatus victus poscere videretur, cætera omnia in pauperes erogabat, imprimis autem Religiosos sive monasticæ Vitæ cultores.

Cum autem sancta loca omnia amore et benevolentia complecteretur, duas quasdam sanctas Congregationes sibi tuendas fovendasque susceperat, singulari quodam studio illas prosequens et magnis sustentans beneficiis, tum in iis quæ ad structuras, tum quæ ad victum vestitumque essent necessaria. Ex his una erat ancillarum Christi, viduarum et virginum, quæ sexum imbecillem cum ipso mundo virili animo vicerant, et in loco, qui Tuncis (Buntzis) dicitur, Eremiticam ducebant vitam. Altera erat leprosorum, sub regula degentium: quam quidem vir sanctæ conversationis et miræ humilitatis, Deo devotus Guigo miles Christi eo in loco, quem Intersaxa vocant, ad Rhodani magni fluminis ripam construxerat institueratque. Hæc duo loca crebro solebat sanctus Episcopus invisere animarumque et corporum curam gerere : delectabaturque eorum colloquiis, nec fœminarum reformidans accessum vir castissimus, nec leprosorum fastidiens familiaritatem servus Christi humillimus.

Eo anno quo ab hac vita decessit, magna annonæ caritas magnam famem et calamitatem invexit in homines. Tum vero ille quasdam sanctorum Congregationes suis fovit beneficiis, et confluentium undique pauperum turbam usque ad messis tempus quotidianis eleemosynis sustentavit. Mirabantur omnes, unde illi tanta suppeterent. Sed Dominus, qui quinque panibus totidem hominum millia satiavit, poterat servo suo fideli augere et multiplicare ea quæ illius causa distribuebat. Certum autem diem præfixerat, ad quem usque promiserat se illas eleemosynas continuaturum. Itaque Domino, qui extra mundi hujus exilium ad patriam eum evocare constituerat, tantisper expectante, donec id quod voverat, esset executus, eodem ipso die, quem eleemosynis illis præstandis extremum præstituerat, a Domino vocatus, decessit e vita.

Illo autem die adventante, et futuræ vitæ, cujus obtinendæ causa fideliter laboraverat, initio propinquante, acuta febre correptus, cum, ut fit in ea ægritudine, verbis erraret, attamen de rebus necessariis interrogatus prudenter et accurate respondebat, in nullo prorsus errans. Flebant autem omnes ejus amici et familiares, idque pietate potius quam mœrore ducti; sciebant enim ejus obitu dolendum non esse, quod ad illum attineret. Petebant vero ab eo benedictionem et consilium : et ille bene eis precabatur, et consilia suppeditabat. Cumque dicerent, ut res suas distribueret, respondit: « Absit a me, ut faciam testamentum, qui nihil habeo : quippe qui non sum de hoc mundo. Hucusque ex ministerio sacerdotii licuit mihi

res commendatas curare et dispensare: at nunc quando iis frui non possum, nec dispensare licet. »

Rogabant porro, ut Comiti ignosceret, cum quo erat illi controversia : at ille nunquam se id facturum asseverabat, nisi a calumnia cessaret, fidemque daret, se nihil unquam ab Episcopi vel Ecclesiæ ejus possessionibus exacturum : tunc etiam de cæso presbytero culpam suam pœnitens agnosceret. Atque hæc quidem Comiti, qui in vico illo aderat, indicanda videbantur, sed non erat qui id ausus esset. Interfuere autem huic consilio duo ex Cartusiæ Fratribus, genere nobiles, sed humilitatis et fidei constantia multo nobiliores : nempe Haymo, quondam potens in sæculo et magnificus, atque Giraldus. Hi Comitem adeunt, indicant quid audierint ex Episcopo : hortantur ut missam faciat calumniam : a tanto Patre veniam petat, ut ejus, qua se felicem fore speret, possit benedictione potiri.

Audiens hoc Comes, Deo suam illi gratiam adspirante, et beati viri, qui ejus sitiebat salutem, intercedentibus meritis, timore correptus et corde compunctus, erupit in lachrymas: statimque veniens ad virum Dei, culpam suam confessus est, et calumniam omnem missam fecit, promisitque se Ecclesiam defensurum, paratus etiam jurejurando id confirmare : et cum humiliter et obnixe veniam peteret, cum illo in gratiam rediit, impositisque ei manibus vir Dei bene precatus est ei, dicens : « Deus Omnipotens Pater et Filius et Spiritus Sanctus, benedictionis suæ et gratiæ tibi tribuat largitatem : crescere te faciat et multiplicari, itemque filium tuum, » (cum non haberet, nisi filiam.) Rati autem plerique illum errare, suggerebant ut filiam diceret, non filium. At ille semel atque iterum repetiit, filium. Quam quidem prophetiam non multo post tempore novimus completam, nato illi filio.

Porro Clericos suos ipsum consulentes admonuit vir pius, ut mutua se charitate complecterentur, studerent concordiæ et unitati, et pacis vinculo inter se colligarentur. Ita demum illustri cursus sui agone peracto, sanctus Dei confessor Anthelmus Episcopus æternum adeptus est bravium : expletisque circa eum, quæ ei præstari par erat, officiis, inter litanias et cantica spiritum Domino reddidit, 6 Calend. Julii, anno ætatis suæ amplius septuagesimo, Episcopatus vero 15, ipso regnante, cujus regnum non habet finem, Domino nostro Jesu : cui est cum Patre et Spiritu Sancto gloria. laus et honor, virtus et potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Etsi vero non impar esset meritis, nec Deo minus gratus beatus Anthelmus plerisque miracula facientibus, attamen in vita sua haud secus atque pestem quamdam id vitare constituit, ne Sanctus diceretur. Non enim in se gloriari ille noverat, sed in Domino:

nec æquum arbitrabatur, ut efficiendorum miraculorum gratiam sibi usurparet ipse indignus (ita enim de se sentiebat) peccator. Sed interim tamen eximiæ virtutes et præclara opera ejus miracula erant : et licet ille se celaret, non pauci tamen ejus meritis se sensere molestiis liberatos. Quam vero celeriter fides ejus optata impetravit a Domino, ex eo quod subjicimus miraculo potest animadverti.

Cum die quodam iter faceret, quo transiturus erat, miser quidam jacebat homo a serpente ictus. Is, veneno se per corpus diffundente, versus in tumorem, acerbissime cruciabatur, nihil nisi mortem expectans. Venientem ad eum locum virum Dei orabant qui aderant, ut paululum subsisteret, præstaretque consilium quid remedii esset homini calamitoso adhibendum. Tum ille misertus ejus non sine lachrymis Crucis signum in eum expressit : moxque tumor et dolor omnis evanuit. Dignum sane erat, ut Christus propter servum suum, qui crucem suam tollens, ipsum secutus erat, et carnem suam crucifixerat cum vitiis et concupiscentiis, Crucis mysterio et mala pelleret et bona largiretur. Severissime autem vir Dei prohibuit sociis, ne cui id indicarent : cæteris quoque, qui illic aderant, dicebat, Dei beneficia non suis meritis, sed illorum fide impetrata, ne sibi adscribenda putarent. Neque enim tantopere fur in furto deprehendi reformidat, quam hic vir sanctus hominum laudibus celebrari : quippe qui non alio, quam peccatoris, loco se haberet.

Postquam autem ex mundi hujus caligine ad illam lucem sempiternam commigraverat, Dominus non est passus Sanctum suum, qui se occultaverat, diutius in obscuro latere, sed evidentibus miraculorum signis ejus sanctitatem declaravit. Nam cum ejus venerabiles celebrarentur exequiæ, et sacrum corpus monumento conderetur, eo loco, ubi humatum est, tres lampades erant, quæ non interdiu, sed noctibus accendi solebant, præterquam in præcipuis solennitatibus. Erat igitur etiam hæc solennitas præclara, non funeris sed triumphi. Ecce enim, dum cuncti ad sacrum funus intenti sunt, vident in una ex iis lampadibus ignem immenso lumine coruscare. Admirantibus illis et stupentibus, etiam aliæ duæ divinitus accenduntur, simulque omnes illustrius de se lumen spargunt. Fit clamor ecclesiæ exultantis, et Deum laudantium. Accurrunt omnes tum indigenæ, tum peregrini, qui illic aderant, tantoque spectaculo obstupescunt. In iis fuit etiam Comes Hubertus et socer ejus Girardus Viennensis, et qui cum illis erant viri illustres non pauci. Ut vidit autem Hubertus Comes insigne miraculum, tremefactus, ex Episcopi ædibus, in quas ingressus fuerat, egressus est, et omnia, quæ illic sibi vindicarat, ibi reliquit.

In territorio Gratianopolitano vir nobilis erat, Deum timens cum conju-

ge sua. Amaverat illos Anthelmus, totius boni amator. Deerant iis proles, quod matrona sterilis esset. Ut autem pervenit ad eos fama tot miraculorum, quæ ad sepulchrum viri Dei fiebant, ait uxor marito suo : « Ibo ad dominum meum S. Anthelmum, nihil dubitans, quin sit mihi a Domino prolem impetraturus. » Abiit, preces obtulit devotas cum multa fide et spe, domum reversa, concepit et enixa est.

Ejusmodi miraculum fecerat etiam in vita sua. Negotii cujusdam expediendi causa venit Genevam. Hospitio acceptus est a Bujamundo amico ipsius. Postquam assedit, « Ubi est, inquit, domina? Volo eam videre. » Venit illa; hortabatur vir beatus ambos, ut fidem conjugii et mutuum amorem conservarent, bonis operibus essent dediti, divinoque timori semper inhærerent. Dixit autem ad illum Bujamundus : « Domine, satis quidem omnia ex sententia habemus : sed unum, quod vel maxime optamus, deest : nempe proles. » Tum vir sanctus vocat ad se matronam, pingit Crucem in fronte ejus, dicit ore jucundo : « In nomine Domini fac mihi unum filium. » Mox in virtute Crucis mandatum fides, et fidem effectus consecutus est. Concepit enim ex marito, et opportuno tempore edidit filium.

Adolescens quidam nobilis, nondum adeptus militiæ cingulum, oderat sanctum virum, fortassis ab illo quandoque objurgatus. Is cum transiret reverendum ejus sepulchrum, videretque ibi jacere homines morbidos et male affectos, illorum fidem stultitiæ tribuens ibat cachinnans. Et ecce subito acri corripitur febre, et intolerabili ardore vexatur, spem vitæ abjiciens. At colligens se se, duci cœpit pœnitentia, sociorumque manibus, cum per se non posset, eo perductus, humiliter veniam petiit, vota nuncupavit, et liberatus est. Idcirco enim corpore pœnas luit, ut animo sanaretur.

Alius quidam nobilis adolescentulus hemitritæo, id est semitertiana febre, dire cruciabatur, cui accedebat etiam morbus caducus. Is de vino, quo ablutum fuit sacrum beati viri corpus, bibens, curatus est. Ejusdemque vini potu multi a diversis sunt morbis liberati.

Mercator quidam ab extera regione revertens, pro distractis mercibus suis aurum, argentum et magnam serici copiam reportabat. Cum transmitteret autem Rhodanum flumen, equus, cui ea omnia imposuerat, cum sarcina e navi decidit. Et primo quidem videbatur ab illis, qui erant in navi, dum fluminis impetu traheretur : sed pressus sarcina, ab eorum oculis subductus est. Postquam igitur casso labore eum desiit mercator inquirere, eumque se recuperaturum desperavit, quod in eo loco sit quasi abyssus quædam, ut audivit beati Anthelmi nomen et miracula, fide et spe animatus venit ad sacrum corpus ejus; positoque illic cereo, quem in ejus honorem confecerat, in vigilias et preces incubuit, munera obtulit, vo-

ta fecit. Mane post celebrata divina Mysteria, per piissimi Confessoris merita de divina confidens misericordia rediit ad locum, a quo mœstus decesserat, spe bona factus hilarior : et ecce videt cadaver equi, quem longius vi fluminis raptum conspexerat, in portum ejectum, remque suam omnem salvam et illæsam, cum sane admiratione dignum esset, sericum nihil madefactum, nihil ulla ex parte corruptum. Itaque ablata sarcina, solius equi jacturam non magnipendens, Deo et piissimo ejus Confessori gratias egit lætusque abscessit.

Sed si ego ea omnia, quæ benignus Deus per servum suum mirabiliter efficere non desinit, annotare velim, tempus me citius, quam materia, deficiet. Non possum tamen unum illud prætermittere, quod cæteris longe antecellere videtur.

Fiscilliacum vocant rus, quod a Bellicensi urbe sex abest milliaribus. In eo puerulus quidam trium circiter annorum, matre ejus alibi occupata, domo egressus, longiusque progressus, hac illac errabundus vagari cœpit. Tarda tandem hora recordata mater pignoris sui, undique circumspiciens, nec tamen ulla ejus vestigia adspiciens, metu et tremore correpta, quod male agi cum parvulo suspicaretur, circumquaque sedula curiositate inquisivit eum. Ad extremum ad præterfluentis rivi alveum se conferens, videt filiolum suum lapsum in aquas: cumque procul ab aquis corpusculum agitari cerneret, existimans eum adhuc vivere, in hanc erupit vocem : « Deus et sancte Anthelme, a vobis reposco filium meum. » Deinde accedens propius, et eum extrahens ab aquis, ut vidit exanimem, vellere capillos, scindere vestes, genas unguibus lacerare, pugnis verberare pectus, vallem omnem mœstis complere clamoribus cœpit, miseram se vociferans, et sibi ipsi volens adferre manus.

Accurrit vero pater anxius, advolant vicini ad tam miserandum spectaculum, dolent vicem parentum miserorum. Inde domum deportatur puer, diu fovetur, sed non calescit, nec quicquam in eo vitalis spiritus deprehenditur, cum a mane usque in vesperam fere confotus esset. Igitur de ejus sepultura agitur, sed mater se opponit, constantique animo dicit : « Ego cadaver feram ad beatum Joannem et S. Anthelmum dominum meum. Credo eorum meritis a Domino restitutum mihi iri filium meum, quem propter peccata mea abstulit mihi fraus inimici. » Illa sic instante, pater parvuli corpusculum, comitante matre et vicinis, in ecclesiam Bellicensem adducit, et ad beati Anthelmi deposuit sepulchrum. Aderant ejus urbis permulti utriusque sexus homines, qui eos secuti erant in ecclesiam, quibus miseræ matris lamenta et fideles preces, lachrymas excutiebant. Nam instar Chananææ illius, multa fidei constantia, precumque instantia clamabat se peccatricem, sibi dicebat pœnam

deberi, atque a se ultionem expetendam, non ab innoxio infantulo: simul implorans Sanctorum illorum, quos diximus, suffragia.

Nec est frustata spe sua. Nam paulo post cœpit moveri puer; sed mater territa ab eo recessit, rei eventum contemplatura. Deinde audiuntur leves quidam infantuli vagitus; post paululum, cum nemo ad eum accederet, cunctis stupentibus surrexit, et arrepto scipione, qui juxta illum erat, ad mensuram factus corpusculi ejus, ad sanctum sepulchrum progressus est, ibique resedit. Tum demum mater ausa accedere cum aliis affatur puerum, et ille respondet, prorsus incolumis, nec quicquam mali sentiens, perinde ac si nihil incommodi perpessus esset. Existit apud omnes ingens exultatio cum timore quodam et admiratione conjuncta : flent parentes præ gaudio, pietate moventur universi. Clerus, nobiles, plebeii adveniunt, Deum pariter omnes lætabundi laudant et prædicant, qui per Sanctos suos faciat magna et admiranda : Cujus imperium et potestas se porrigit in omnia sæcula sæculorum. Amen.

In Ecclesia sane Bellicensi meritis B. Anthelmi multa alia facta sunt miracula, quæ hominum incuria non sunt in scripta redacta : quanquam eorum tam ingens profecto est numerus, tantaque assiduitas, ut commemorari omnia non possint: quando confluentibus undique turbis ad ejus venerabile corpus, innumera credentibus beneficia obtingunt.

Gaude igitur et lætare, Ecclesia Bellicensis, cum tota diœcesi, tam eximii Patris illustrata præconiis. Lætamini, cives : quia quem in vita meruistis habere Pastorem, nunc multo etiam magis protectorem et pium apud Deum intercessorem habetis. Lætamini vel maxime omnes vos, qui in Clero estis, quibus tantus obtigit thesaurus : quo locupletati non sentietis inopiam, si tamen digna veneratione vos nosse ostenderitis, quantus et qualis sit, et quanto colendus honore. Non desinet ille vestri curam gerere : per illum, Domino largiente, multa vobis aderit prosperitas et pax, sine qua non potest ulla crescere Ecclesia, nisi forte, quod absit, circa illum negligentes sitis.

Date igitur operam, ut ex animo illum diligatis ac veneremini, si modo Deum vere diligitis, si Deo placere cupitis, cui placet ille. Eo enim vos invitat omnipotens Remunerator, quando tot admirandis, ut cernitis, eum signis ornat. Quem ergo Deus potenter et magnifice, illum vos pie ac religiose, quantum humana fert fragilitas, honorate cum summa reverentia. Qui vos in cœlis cupit habere socios, devotos habeat in terris cultores. Quicquid ei a vobis erit honoris impensum, in vos redundabit. Ille vobis conferre aliquid potest, vos illi nihil. Non eget ille vestra ope, qui summo fruitur bono. Sanctis habere honorem, nihil aliud est, quam Deum

ipsum honorare, qui in eis est, et cujus corporis membra sunt illi. Habetis in illo exempla virtutum illustria. Sit ille vobis instar speculi ob oculos propositus, sanctisque sectandis moribus illum imitamini.

Quæ nostra humilitas vestræ amplitudini ausa est suggerere, ea vos longe rectius curaturos non dubitamus, quam nos ulla dicendi facultate consequi possimus : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per infinita sæcula. Amen.

Hactenus Vita S. Anthelmi a Surio deprompta. Circa autem annum 1163 Episcopatus possessionem iniens, vivere desiit, juxta Haræi sententiam, anno 1176, vel, ut alii referunt, anno 1178. Cæterum prope tumulum S. Anthelmi in Cathedrali S. Joannis Baptistæ erat hujusmodi inscriptio :

DEO. OPT. MAX.

B. Anthelmo Thaumaturgo, libertatis Ecclesiasticæ strenuo Vindici, Cartusiæ Majoris septimo Priori, totiusque Ordinis item septimo Generali Præposito, Sacri Imperii Principi, civitatis Bellicii quadragesimo tertio Præsuli, primo Dynastæ, et Tutelari pientissimo, Cives Bellicenses, illius devotissimi Clientuli. D. et D.

Hactenus illæsum per bella, incendia, pestes,
Bellicium hoc, Anthelme, tibi debere fatetur.
Et ne nulla tibi referatur gratia posthac,
Urbs tua perpetuos voto tibi sacrat honores.

Porro cum Reverendissimus D. Joannes de Passelaigue, episcopus Bellicensis, beati Anthelmi corpus in antiquo et deformi sepulchro sine honore jacere comperisset, precibus Canonicorum et Syndicorum Bellicensium annuens, inquisitione canonica peracta, levavit, anno 1630, die 26 Junii, et in capellam recenter constructam, magno civium gaudio et celebri pompa, transtulit. Cujus levationis et translationis Acta hic subjicio.

« Illustrissimo et Reverendissimo Domino, D. Joanni de Passelaigue, episcopo Bellicensi, Sacri Romani Imperii Principi. Humiliter exponunt Decanus et Canonici Cathedralis ecclesiæ D. Joannis Baptistæ, et Syndici Bellicensis civitatis, sancti Anthelmi, ex Ordine Cartusianorum delecti Bellicensium Episcopi, venerandum corpus in dicta ecclesia indecoro tumulo, fumo, squalore et aranearum telis obsito, hactenus jacuisse ; nusquam fortasse, aut sero nimis honori debito restituendum, nisi clarissimis et luculentissimis, infinitisque miraculis, maxime vero ob conservatam toties civitatem a sæviente per universam Galliam pestilentiæ morbo, multisque varie afflictis restitutam sanitatem, se se apertissime manifestasset. Quorum beneficiorum non immemores, et ne ipsi majorum suorum delicta tantæque negligentiæ pœnas luant, meritos honores tanto viro Episcopo Bellicensi dignissimo, Patrono et Domino suo meritissimo, tanquam tutelari Nu-

mini restituere decreverunt ; ne suo ipse altari careat, cum Sanctus ab omnibus certissime habeatur; et talis auctoritate Sanctissimæ Matris Ecclesiæ, quæ errare nec scit nec potest, cognoscatur ; ejusque festus dies annis singulis, et in hac et in aliis diœcesibus, solenniter celebretur.

« Quamobrem obnixe expostulant, et te Dominum Episcopum, Sancti viri æmulum et meritissimum successorem, humiliter supplicant : ut sacrum ejus corpus et Reliquias rite relevari, decora capsula honorifice recondi, et sacello suo donari jubeas et cures; ad publicam utilitatem et majorem Dei gloriam, qui in Sanctis suis gaudet venerari. »

Sic signatum : « I. Vallon, Decanus. I. Mermetius, Archidiaconus. Perret, Thesaurarius. Constantin, Sacrista. Salteur, Archipresbyter. Du Poysat. H. Des Eschelles, Primicerius. I. Bondon. L. de Seyssel. I. M. Borsier. De Mallians. Des Roys. Mellieret. Tricaud. Mellieret, Consul. Gariod, Consul. »

Supplicantibus responsum his verbis est :

« Fiat prius diligens et sincera perquisitio de veritate in supradicta supplicatione contentorum, præsertim de identitate corporis. Pro quibus rite et convenienter perquirendis, committimus venerabilem virum Magistrum Benedictum Jantet, Vicarium nostrum Generalem, et Reverendum Patrem Franciscum a Camberio; alias Genan, Capucinum, Sacræ Theologiæ Professorem et Concionatorem; et pro Actis recipiendis, et testium juridice citatorum et productorum depositionibus, Magistrum Claudium Ribod, Notarium regium; qui omnes corporale in manibus nostris juramentum præstabunt, se cum omni circumspectione, diligentia, fidelitate, sinceritate et zelo, circa hujusmodi gravissimum negotium habituros. Quibus rite, canonice et juridice peractis, omnia in manus nostras consignentur. Datum Bellicii, die 21 (19) mensis Maii, anno Domini 1630. Joannes episcopus Bellicensis. »

Hic est processus auctoritate ordinaria Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, D. Joannis de Passelaigue, episcopi et domini Bellicii, Principis Imperii, institutus a venerabili domino Benedicto Jantet, Juris canonici Doctore, et Vicario Generali diœcesis Bellicensis; et R. P. Francisco a Camberio, Capucino, Concionatore, et Sacræ Theologiæ Professore, deputatis a supradicto Illmo ac R^{mo} D. Episcopo ad informandum, inquirendum et perquirendum super titulum sanctitatis, identitatem corporis, vetera et nova miracula S. Anthelmi, episcopi quondam Bellicensis, ex Ordine Cartusianorum.

« In nomine Domini Jesu Christi, Amen. Anno a Nativitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi 1630, Indictione tredecima, die 20 mensis Maii, Pontificatus vero Sanctissimi Domini nostri Urbani Papæ VIII anno octavo. Coram nobis, Benedicto Jantet, Juris

canonici Doctore et Vicario Generali diœcesis Bellicensis, et Fratre Francisco a Camberio, Capucino, Concionatore et Sacræ Theologiæ Professore, ad instantiam et requisitionem venerabilis domini Joannis Reydellet, Canonici Cathedralis ecclesiæ, et honorabilis et discreti viri Joannis Carrel, Procuratoris in tribunali Beugesii, congregatis in domo habitationis dicti domini Vicarii Generalis; comparuerunt iidem venerabilis dominus Joannes Reydellet, et discretus Joannes Carrel, qui nobis exhibuerunt libellum ex parte R.R. D.D. Decani et Canonicorum Cathedralis ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, necnon spectabilium D.D. Syndicorum civitatis Bellicensis, exponentium et requirentium, ut venerandum corpus beatæ memoriæ S. Anthelmi, episcopi quondam Bellicensis, auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ, ob sanctitatem vitæ titulo sanctitatis donati et miraculis clari, honoratius reponatur, sacello particulari donetur, et ejus festum quotannis solenniter celebretur, cum decreto Illustrissimi supradicti D. Episcopi Bellicensis, de perquirenda prius veritate contentorum in dicto libello, præsertim de identitate corporis dicti S. Anthelmi, pro quibus nos supranominatos commisit die 20 (19) præsentis mensis et anni.

« Nobis etiam iidem Venerabilis Dominus Joannes Reydellet, et honorabilis et discretus Joannes Carrel, exhibuerunt mandatum suæ constitutionis, ad procurandum et probandum contenta in supradicto libello, nomine dictorum Dominorum: quod quidem cum supradictis libello et decreto jussimus hic inseri, et de verbo ad verbum transcribi. Tandem instanter rogaverunt nos, ut commissioni injunctæ incumbere quam primum dignaremur.

« Cui petitioni libenter annuentes, eadem hora mandavimus dictis Procuratoribus, ut si quæ in promptu habeant pro probatione contentorum in memorato libello, proferant.

« Jussis obsequentes, pro probatione primi articuli, videlicet, quod beatæ memoriæ S. Anthelmus sancte vixerit, Sanctus communiter habitus fuerit, et quod auctoritate Sanctissimæ Matris Ecclesiæ titulum Sancti merito obtinuerit, sequentibus clarum esse asseruerunt. Primo quod sancte vixerit, in medium protulerunt librum R. P. Theophili Raynaudi e Societate Jesu, quem inscripsit de Sanctis Lugdunensibus; in quo describens Vitam S. Stephani episcopi Diensis, antea Cartusiani, circa medium, verba faciens de S. Anthelmo, illum sanctitate vitæ et miraculorum gloria insignem prædicat. Quod Sanctus communiter habitus sit, obtulerunt Surium, Auctorem approbatum et fidem facientem, qui Sanctorum Vitas describens, vitam beati Anthelmi enarrat, tituloque Sancti decorat, vigesima sexta Junii, tomo tertio. Quod auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ obtineat, probant ex Martyrologio, quod produxe-

runt, in quo sexto Kal. Julii hæc verba leguntur : « Item memoria S. Anthelmi, episcopi Bellicensis. » Ex quibus auctoritatibus luce clarius constat S. Anthelmum Sancte vixisse, Sanctum esse, et Sanctum declaratum.

« Veniens postmodum ad secundum articulum, videlicet, quod corpus illud, requiescens in ecclesia Cathedrali S. Joannis Baptistæ a latere dextro ante portam chori, sit vere corpus S. Anthelmi : antequam dicti domini Procuratores procedant ad ampliores probationes, enixe requisierunt, ut nos transferre dignaremur ad illius sepulchrum, cujus situm, statum et formam, cum donativis ex voto affixis, petierunt describi.

« Absque mora igitur iter nostrum direximus ad ecclesiam Cathedralem S. Joannis Baptistæ; ad quam cum pervenissemus, dicti domini Procuratores indicaverunt nobis S. Anthelmi tumulum, ante fores chori ad dexteram ingredientium; quem lapideum invenimus duorum circiter pedum latitudinis, et sex longitudinis, cum antiqua effigie Episcopi ex gypso, aliquantulum in facie deformata, habente desuper arcellam ferream, et in circuitu quadrato opere cancellos ligneos, armatos in superiori parte acuminibus ferreis; decoratur insuper tumulus iste imperiali thalamo diversi coloris, habente in columna sinistra a parte anteriori hujusmodi inscriptionem :

DEO. OPT. MAX.

B. Anthelmo Thaumaturgo, etc. *(ut superius scripsimus.)*

« Hanc sepulturæ descriptionem, tanquam ad integrum facientem, pro probatione identitatis corporis sancti Anthelmi satisfacere in aperto est. Ad alias nihilominus dicti domini Procuratores procedentes probationes, denuo produxerunt Surium, qui in primo miraculo, eorum quæ in calce Vitæ S. Anthelmi recenset, indicat illum in ecclesia S. Joannis Baptistæ inhumatum fuisse ; atque per eumdem Auctorem constat de loco, cum miraculum trium vicinarum lampadarum, tempore inhumationis divinitus accensarum, affert, illasque nobis ante pulpitum concionum indicaverunt.

« Demum pro superabundanti probatione addiderunt, publica voce et fama ex antiqua Patrum nostrorum traditione, hoc sepulchrum dici sepulchrum S. Anthelmi, omnesque qui ad ejus intercessionem recurrunt, hic vota sua depromere, ut per testes omni exceptione majores probare parati sunt, et quos canonice citatos producunt. »

Sic subsignatum : « B. Jantet, Vicarius generalis. F. Franciscus, Capucinus indignus. I. Vallon, Decanus. I. Mermetius, Archidiaconus. Perret, Thesaurarius; Vulleit. Constantin. Reydellet. Du Poysat. H. Des Eschelles, Primicerius. Tricaud. M. Borsier. F. Monnier. Bondon. Des Roys. De Mallians. Carrel, Procureur. Ribod, Secrétaire Commis. »

« Nos Joannes de Passelaigue, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia episcopus Bellicensis, visis suprascriptis informationibus et depositionibus, quibus nobis constitit et certissime constat, sancti Anthelmi Seignini, alias de Cheignin, ex Ordine Cartusianorum, quondam hujus civitatis et diœcesis Bellicensis episcopi, verum esse corpus, quod jacet in antiquo et a terra aliquantulum elevato sepulchro, prope portam chori ecclesiæ nostræ Cathedralis Bellicensis, ad dexteram, illudque miraculis claruisse hactenus, sicuti et modo, dignumque quod honoratius collocetur, decernimus, declaramus, et judicamus: ideoque nos ad illius levationem et translationem, ex humili in quo huc usque jacuit loco, ad sacellum recens ad hujusmodi opus erectum, die 26 mensis præsentis, qua ejus festum hac in diœcesi solenniter colitur, auxiliante Domino procedemus. Actum Bellicii, die 12 mensis Junii, anno Domini 1630. Joannes episcopus Bellicensis. »

« In nomine Domini, Amen. Anno salutis millesimo sexcentesimo trigesimo, die vero vigesima sexta mensis Junii. Nos Joannes de Passelaigue, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Bellicensis episcopus, Sacri Romani Imperii Princeps : juxta decretum, declarationem et ordinationem nostram diei duodecimæ mensis et anni præsentium, et in executione ejusdem, ad ecclesiam nostram Cathedralem in Pontificalibus accedentes, assistentibus nobis venerabilibus Decano et Capitulo dictæ nostræ Cathedralis ecclesiæ, multisque aliis tam regularibus quam sæcularibus nostræ civitatis et diœcesis sacerdotibus et ecclesiasticis personis, cum maxima populi multitudine ; tumulo, in quo hucusque S. Anthelmi quondam Bellicensium episcopi corpus jacuit, jussu nostro, aperto, sacras dicti corporis, Pontificalibus vestimentis ornati et induti, Reliquias, inter se pro majori parte adhærentes in eo inventas, ea qua decuit reverentia a nobis recollectas, et in capsam novam reconditas in sacellum et super altare, ad nomen et memoriam ejusdem S. Anthelmi per nos consecratum, cum solennitatibus in talibus requisitis, ad majorem Dei omnipotentis (qui in Sanctis suis gaudet venerari) gloriam, devote reposuimus et collocavimus. In cujus rei fidem præsentes, propria manu subscriptas, per Magistrum Claudium Ribod Notarium regium et publicum, pro Secretario nostro in hac parte assumptum, confici et subsignari, sigillique nostri fecimus affixione muniri. Datum et actum loco, die et anno præfatis. Joannes episcopus Bellicensis. Ribod Notarius regius, pro Secretario assumptus. »

Hæc excerpsimus ex Episcoporum Bellicensium Serie edita in lucem a Samuele Guichenon.

Delegatus fuit Anthelmus ab Alexandro III Pontifice Maximo ad Regem Angliæ, pro negotio S. Thomæ Cantua-

riensis archiepiscopi, prout dicemus in Vita Simonis Prioris Montis Dei.

Agunt de Anthelmo præter supramemoratos authores, Sammarthanus in Gallia Christiana, Chronicon Majoris Cartusiæ, Dorlandus et alii.

CHRISTOPHORUS CEREÇO

CONVERSUS MIRAFLORES

E stirpe nobilissima oriundus; calcato generis splendore, spretisque quibus abundabat opibus magnis, quas impendit in usus pauperum et in pietatis opera, inter Cartusianos cooptatur. Optime prolusit in Religionis palæstra : dum toto probationis tempore, ante susceptum Ordinis habitum ipse luculenter indutus, vilissima tamen coquinæ munia obibat, non secus ac si mediastinus fuisset monachis subministrans. Sic adorsus tyrocinium, perfectissimus sui contemptor, ad omnes virtutes sibi viam stravit. Obedientiæ imprimis, quæ Superioribus debetur, tam diligens fuit cultor, ut nullos sibi unquam in parendo constituerit limites, sed ad omne quod a majori injungeretur, liberali alacrique voluntate se se extendens, nihil tam arduum aut difficile esse existimaret, quo non pertingeret obedientia.

Cum vero ex jubentis voluntate veri obedientis intentio pendere debeat ; minus exteriori obedientiæ opere satisfacere credebat, nisi pleno illud mentis affectu prosecutus fuisset. Hoc modo cum animum obedientiæ nullo non tempore paratum redderet, eo fiebat, ut nunquam Superioris verbum, cum voluntatem nosset, expectaret; tunc enim perfecta animum obedientiæ virtute imbutum sentiebat, cum obedientis voluntas ita jubentis voluntati conjuncta est, ut cum ea una efficiatur. Unde cum nihil sibi sequendum præter Dei et Superiorum voluntatem præstituisset, id agebat in terris Christophorus, quod in Cœlo spiritus Angelici complent. Cum illis mente versabatur per assiduum orationis studium, cui ita diu noctuque deditus erat, ut cœlestem potius cum Deo, quam cum hominibus vitam duceret.

Aderat magno cum devotionis sensu incruento Missæ Sacrificio, tantaque veneratione erga hoc augustissimum Mysterium afficiebatur, ut quotidie multoties sacerdotibus celebrantibus ministraret. In meditatione Christi pro humano genere passi exardescebat Christophorus ; omnium sitiebat salutem, cœlumque frequentissimis precibus pulsabat pro Christianæ religionis augmento.

Hoc ille charitatis munere coram Deo et Angelis inter orandum functus, proximum suum non corde tantum, sed opere etiam diligere testabatur, dum in Conventu de Miraflores, qui plurima pauperum, tum advenarum, tum indigenarum copia exuberat, om-

nia charitatis officia eis exhibebat. Janitorem agebat Christophorus ; cumque ei ob id muneris mendicorum cura ei demandata esset, non solum erogabat eleemosynas, verum etiam ægrotis pharmaca suppeditans, impertiebat valetudinem ; adeo ut infirmi ad monasterium confluentes et calamitosi, in Christophoro patrem, medicum, chirurgum, et pharmacopolam peritissimum experirentur.

Interim lue per illam regionem grassante, dum pauperes et eodem morbo laborantes ad monasterii januam mendicarent, nihil ille remittebat de solita sollicitudine, ipseque ad monasterii januam panes distribuens, suum etiam plerumque prandium cum Superiorum licentia sibi detrahens, illud subministrabat egenis peste correptis. Quorum vulnera dum manibus propriis ingenti studio curaret, ipse eadem morbi tabe infectus, voluntariam tandem pro charitate mortem subiit, anno 1599, die 26 Junii, inter charitatis martyres non immerito in Cœlis collocandus.

Ex Mss. Cartusiæ Miraflores.

AUGUSTINUS JOYEULX

PRIOR PARISIENSIS

Parisinus ; hujus eremi alumnus ; anno 1617, dum esset Coadjutor hujus Cartusiæ, a Monachis Noviomi in Priorem electusu, ubi cum magna meditaretur pro utriusque status observantia, præsertimque pro disciplina regulari, necnon et pro Neophytorum susceptione (a multis namque annis nulli Novitii admissi fuerant); ad alia meditanda evocatus, vir defæcatæ prudentiæ ac experientiæ acumine in pluribus pollens, anno 1619 sufficitur in locum D. Adami Ogier Prioris Parisiensis. Cui monasterio præfuit usque ad annum 1632, quo per Chartam absolutus, venit ad Cartusiam Majorem, ubi annis 1633 et 1634 officium Scribæ exercuit. Assumptus antea fuisset ad summam totius Ordinis Præfecturam post exauctorationem R. Patris D. Brunonis d'Affringues, nisi ipse fuisset causatus suam complexionem delicatam, se seque Cartusiæ Majoris inclementiæ prorsus imparem.

Vix in hac aspera solitudine biennium exegerat, cum adversa semper valetudine cœpit laborare. Quapropter R. Pater veritus ne Augustinus morbis succumberet, anno 1634 eum præfecit Cartusiæ Villænovæ prope Avenionem. Mortuo postea D. Simone Regnault Priore Parisiensi, anno 1636, redeunte e Comitiis generalibus Ordinis, scripsit R. Pater monachis Cartusiæ Parisiensis, rogans eos, ut quem olim eis præripuerat Priorem, eisdem jam orbatis Pastore restitueret. Cujus precibus cum Religiosi gratanter annuissent, iterum regimen hujus Domus capessivit; quo munere et Visitatoris

summa cum laude perfunctus, Ligeti tandem, cum Domum hanc visitaret, pie moritur, anno 1646, die 26 Junii, vir apud omnes existimationis ob morum gravitatem, modestiam et religiosissimos mores.

XXVII DIE JUNII

JANCELINUS

PRIOR MAJORÆVI

De quo fit mentio his verbis in Catalogo Priorum hujus Domus : « Jancelinus (seu Gancelinus, Gaucelmus, sive Jocelinus, Jotcelinus, Jantcelinus) ex Procuratore Prior efficitur circa annum 1171, quo acquisivit jus decimarum montis Chevilliaci a Capellano S. Martini, pro quo plures terræ et prata eidem in concambio donata sunt; quam permutationem ratificavit R. P. Guichardus Lugdunensis archiepiscopus. Jura etiam diversarum personarum in eodem monte emit, et quicquid juris prætendebant infra terminos Majorævi Domini Humbertus de Balma et Ilio de Rubeomonte, acquisivit. Anno vero 1176, exorta quadam calumniosa quæstione super transactionibus antea inter seniores Nantuaci et Fratres Majorævi, Humbertus Nantuaci et Jancelinus Majorævi Priores, arbitros elegerunt, qui lata sententia, præfatas transactiones in favorem nostrum confirmarunt.

« Quo tempore evenit etiam, ut Aimo de Balmeto, filius Fratris Garnerii de Balmeto Confundatoris et Conversi hujus Domus, multas malitiose calumnias adversum nos moverit, et in quibusdam charitatem et pacem violarit communem. Quibus auditis, Prior Jancelinus ad preces confugit, et diem ad pacem restaurandam eidem Aimoni destinavit; qui subito, Deo inspirante, mutatus et præteritorum pœnitudinem gerens, flexis genibus, discooperto capite, ad pedes procidit pii Jancelini et eorum qui secum erant Fratrum hominumque, ei satisfaciens; et in ipso, cæteris omnibus promisit se futurum fidelem advocatum et adjutorem, in omnibus quæ ad pacem et quietem Domus pertinent. Hoc fecit corde alacri et cum magna devotione, cunctis, qui aderant, mirantibus, et præ gaudio pro tali mutatione Deum laudantibus. Tandem vir quietus et pacis amator petiit absolvi a Prioratu, quod vix obtinuit anno 1178; vixitque in hac solitudine usque ad obitum suum, qui fuit die 27 Junii, circa annum Domini 1190. »

Ex Kalendario et Cartulario, foliis 10, 16, 51, 52, 74, etc.

JOANNES GAILLARDI

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Hujus eremi professus; anno 1535 ob vitæ meritum R. P. Guillelmo Bibaucio succedens, toti Ordini religiosissime præfuit usque ad annum 1540, quo, die 27 Junii, spiritum Deo Creatori suo reddidit.

Historia ms. Ordinis.

XXVIII DIE JUNII

STEPHANUS DE VILLARS

PRIOR LUVINIACI

Vir natalium splendore clarissimus, avunculus Beatricis de Villars, Priorissæ Cartusiæ Polletensis, vitæ sanctimonia spectatissimæ. Spretis sæculi delitiis, inter Cartusianos Christi pauperes adscriptus, ob mores laudatissimos Cartusiæ Luviniaci Prior institutus fuit; cujus cum moderamen haberet, extremo morbo correptus in Cartusia Polletensi, ibidem pie animam efflavit, die 28 Junii. Jacet in cœmeterio hujus parthenii, sub grandi lapide; ubi talis inscriptio legitur: Hic jacet Domnus Stephanus de Villars, Prior Domus Luviniaci, Ordinis Cartusiensis, qui obiit anno Domini M.CC...... quarto Kal. Julii.

In antiquo Kalendario Domus Luviniaci signatur ejus obitus ad diem 28 Junii. In Catalogo Priorissarum de Polletens mentio fit Stephani.

GUILLELMUS DE WAERNEWICK

PRIOR GANDAVI

Flander nobilissimus; habitum Religionis suscipiens in Domo Fontis B. Mariæ, post exactos hac in eremo laudabiliter aliquot annos, assumitur ad regimen Cartusiæ Gandavensis, anno 1334. Hujus monasterii benefactor erat singularis, nobilis miles Guillelmus de Waernewick, Guillelmi avunculus. Porro cum præfuisset usque ad annum 1349, demum sancte decessit eodem anno, die 28 Junii. Hic Prior, cum altero Guillelmo ejusdem cognominis de Waernewick, qui fuit Procurator hujus Domus circa annum 1353 et obiit anno 1390, vel, ut alii volunt, 1388, 15 Kal. Julii, jacuerunt sepulti in antiquo monasterio sub uno lapide ad ingressum cœmeterii; estque lapis integer relatus ad nostrum monasterium, insignitus duobus monachis caputio tectis faciebus, inscriptumque in lapide, quod Guillelmus Prior sit filius Thomæ de

Waernewick, alter vero Guillelmus Procurator filius Simonis de Waernewick.
Chronicon Cartusiæ Gandavensis.

HIERONYMUS MAYA

PRIOR MONTIS HILARIS

In civitate Minorissa diœcesis Urgellensis, ex honesta licet tenui familia, traxit originem. Initiatus sacerdotio regimen parochiæ suscepit; ubi dum vigilantissimi Pastoris ministerium adimpleret, anhelans ad majorem perfectionem pertæsusque officii sui curis, cœpit Cartusiensem Vitam cogitare. Habebat per id temporis germanum suum in monasterio Montis hilaris, virum virtutibus omnibus exornatum, a quo de nostra vivendi norma plane edoctus fuerat. Verum cum Hieronymus provectæ jam sat ætatis (annos etenim natus erat quadraginta) huic austeritati se imparem, atque ex innata humilitate cœlestium hominum societate se omnino indignum judicaret, rem tanti ponderis aggredi non est ausus. Divina tamen aspirante gratia factus audacior, fratri suo mentem suam aperuit, rogavitque ut auxiliatrices manus porrigeret, quibus initum de Cartusiana professione amplexanda consilium felicem sortiretur exitum.

Res belle cessit; perspecta siquidem erat monachis tanti viri virtus, qui inter Religiosos adscriptus, post emissam professionem singula Ordinis gradatim obivit munia. Œconomus cœnobii primum institutus, deinde Vicarium egit duobus annis, semel Rectoris officium, bis Prioris munus exercuit. Summa morum benignitate, affabilitate, compassionis sensu erga afflictos, mansuetudineque effulsit. Castitatem, abstinentiam, paupertatem, in verbis simplicitatem ac humilitatem ita coluit, ut omnibus venerationi esset. Eo autem spiritus fervore perfectissimi monachi partes adimplebat, ut senio licet fractus, omnes tamen in divinis laudibus tam nocturnis quam diurnis anteverteret; observantiæ regularis Statutorumque zelator maximus, neminem tamen redarguebat præ nimia humilitate, nisi ad id cogeretur ex officio.

Beatissimam Virginem Mariam singulari devotione prosequebatur, cujus nominis pronunciatione mirifice delectatus, omnes provocabat ad Mariæ cultum et amorem; utque, eo adhortante, unusquisque se Deiparæ obsequio manciparet, vir Dei succisivis horis rosaria elaborabat, quorum tam amplus fuit numerus, ut eorum multitudinem ad onerandam fere navim suffecisse ferant: quæ quidem diversis personis distributa, divinitus nonnulla miracula perpetrarunt.

Insignem Hieronymi patientiam minime prætermittere possum, qua per spatium decem mensium variis exagitatus morbis, summa cum animi constantia sustinuit dolores acutissimos.

Cum nonnulli tamen illum infirmitatem simulare sibique indulgere existimarent, vere se patientem exhibuit in eorum detractionibus audiendis ; dumque in dies morbus ingravesceret, multique eum convenirent fama sanctitatis illius attracti, mira loquebatur æger homo et languidus, cujus, jacente corpore, animus magis erigebatur.

Ea reverentia sacrosanctum Altaris excepit Sacramentum, ut ex astantium oculis lachrymas exprimeret. Tanto interim Christum videndi desiderio tenebatur, ut sine intermissione ad ipsum Fontem vivum anhelaret ardentissimis orationibus ; tantoque perfundebatur gaudio spe beatæ immortalitatis, ut veluti Simeon, in morte canorus, quædam devotionis carmina, *Magnificat,* et Hymnum Dominicæ Transfigurationis, sub vitæ exitum suavissime modularetur. Sacro tandem Extremæ Unctionis oleo delibutus, paulo post placidissime expiravit, anno 1613, die 28 Junii.

Ex Manuscriptis.

CHRISTOPHORUS PUTEANUS

PRIOR ROMÆ

Patria Parisinus, ex illustri stirpe Puteanorum progenitus; natalium splendorem sua virtute et doctrina commendans, a Parisiensibus Cartusianis habitum Religionis petiit. Verum cum in hac urbe nominatissimus esset ob miram eruditionem apud litteratos, veriti Patres ne solitudinis quies interturbaretur a doctis, qui ad Christophorum confluerent, eidem monasticam lacernam denegarunt, causati illum ad Ordinis onera esse imparem, eo quod esset abstemius. Non animo cadens, quamvis passus repulsam, post preces instantissimas a monachis Fontis Beatæ Mariæ admittitur.

Post vota professionis emissa, anno videlicet 1618, 8 Julii, cum Cardinali Francisco Barberino notissimus esset, ab eodem cum bona Superiorum venia evocatus in Italiam, ex Procuratore Cartusiæ Romanæ, anno 1634, per Capituli generalis Chartam hujus monasterii Prior ordinatur. Fuit Patribus purpuratis acceptissimus; imprimis autem Urbano VIII, Pontifici Maximo, apud quem in ea erat existimatione, ut singulari benevolentiæ Supremi Antistitis prærogativa, toties admitteretur ad colloquium, quoties ille Sanctissimum Patrem adiret. Ferunt nonnulli Christophorum ab eodem Pontifice inter Cardinales annumerandum fuisse, ni mors Urbanum præripuisset e terris.

Cum diu Christophorus non minus utiliter quam prudenter hujus cœnobii clavum tenuisset, ea qua vixerat sanctitate cursum suum feliciter absolvit, anno 1654, die 28 Junii.

Antonius Godeau, episcopus Venciensis, in Vita S. Caroli Borromæi, lib. I, cap. IX, perhonorifice scribit de Christo-

phoro. Nicolaus Rigaltius in Petri Puteani, Bibliothecarii regii, fratrisque Christophori Vita, ejus etiam meminit, cujus verba in Puteanorum familiæ laudem hic subjicio. Sic autem loquitur de Claudio Puteano, patre Christophori nostri :

« Patrem habuerat Claudius Clementem Puteanum, quem, inter nobiles eo sæculo causarum in Senatu Parisiensi patronos, celeberrimum fuisse jurisconsultum, testatur elegans et erudita Dionysii Lambini ad Joannem Maludanum epistola, et in famosa illa Merindoliorum cognitione, expetitum ab Oppeda Maenerio, sub gravissimis criminationibus laborante, Clementis Puteani et Petri Roberti consilium patrociniumque. Clemens igitur, ut erat Juris peritissimus, eodem studio Claudium suum apprime curaverat excolendum, et alterum quidem filium de patris nomine Clementem, qui postea in Jesuitarum Sodalitio concionator, summa doctrinæ, pietatis et eloquentiæ gloria claruit.

« Sed et Claudius ipse sub Hadriano Turnebo, mox etiam sub Cujacio tantopere profecerat, ut paterna fraternaque luce simul et proprio fulgore splendesceret ; accitusque in Senatum Parisiensem, mox inter illos quatuordecim, quos in Aquitaniam delegatos fuisse diximus, spectaretur. Consedere autem illi primo Burdigalæ, in fano Dominicanorum, aperto Senatu, postea vero Aginni Nitiobrigum, dein Vesunæ Petrocoriorum, postremo Mediolani Santonum. Sic per triennium pacata provincia præpotens, sapientissimorum judicum æquanimitatem experta, didicit, suis illis utrimque pro Religione factionibus totam Religionis substantiam mutuo sacrilegio profligari, et in proximo fuisse perniciem.

« Considentibus igitur Aginni Delegatis, 5 Kalendas Decembris anni supra millesimum Christianum quingentesimi octogesimi secundi, natus est Claudio Puteano tertius ex Claudia Sanguina filius. Sanguinæ pater erat Jacobus Sanguinus, Libriaci Dominus, mater Barbara Thuana, Christophori Thuani Senatus Principis soror. Et Sanguinorum quidem familiam, vetustissimæ Parisiorum Chartæ inter suas præclaræ nobilitatis origines ostendunt. Infantem in Senatoria purpura genitum ad Sacramenta Baptismi Christiani suscipere Delegatorum præcipui, Seguierus Præses et Joannes Tumecrius Bossisius, ac de nomine Præsidis appellavere Petrum. Atque hic fuit Petrus Puteanus, cujus Vitam constitui tradere posteris : rarum quietæ ac privatæ, sed nihilominus honoratæ, pessimo ac turbulentissimo sæculo, virtutis exemplum.

« Summa curarum fuit optimis conjugibus educatio liberorum, quos habuere complures. Etenim Petrum huncce nostrum, jam ut diximus, tertium, secuti sunt quinque, tres fratres et sorores duæ : onus illis temporibus grave, in sanctissima præsertim familiæ Senato-

riæ frugalitate, magis attenta damnis evitandis aut saltem levandis, quam lucro captando. Adhibuit Claudius liberorum institutioni Paulum Renealmum Blesensem, litteraturæ Græcæ simul et Latinæ bene peritum : quod editæ ab ipso variarum stirpium considerationes firmant; atque hunc domesticum quidem doctorem. Nam et Christophorus, et Augustinus, et noster Petrus, publicas præterea exercitationes habuere Theodori Marcilii, et ipsius etiam Casauboni. Satis erat illis domi pater, si non eum penatibus suis quotidianæ Senatorii muneris occupationes abstraxissent.

« Hunc igitur in modum institutam octo liberorum curam Claudius, acerba morte, petroso illo renum cruciatu raptus, anno ætatis quadragesimo nono nondum exacto, uxoris diligentiæ commisit. Parens octo liberorum vidua marito, desideratissimi memoriam et pignora illa matrimonii sanctissime concepti transactique, per annos prope quadraginta, singulari semper fovit affectu : pulchro certamine amoris utrimque et reverentiæ perpetua concordia, felici successu. Nam et filii frugi; filiæ honestissime collocatæ; omnes originis suæ decus integrum servavere.

« Filiorum maximus natu, Christophorus ab exordio juventutis Ecclesiasticam in Regia dignitatem obtinuerat, et ad majores viam sternebant amici. Sed jam Aulæ ac sæculi molestiarum pertæsus, ad Religiosæ Vitæ studia se recipere decreverat : neque ultra moratus, Cartusiæ Burgofontanæ sacra suscepit. Unde aliquanto post in Francisci Cardinalis Barberini favorem et gratiam, adnuente Ordinis Cartusianorum Præposito generali, Romam migravit ad ejusdem disciplinæ Cartusiam, ubi est in hunc usque diem ob eximiam cum singulari pietate prudentiam, ad officia Prioris et Procuratoris generalis effectus, ac per annos jam duos ultra viginti summa cum Religiosorum omnium laude ac veneratione continuatus.

« Secundus a Christophoro Claudii filius, Augustinus, Vitæ genus Ordini etiam sacro devotum, sed disciplinæ mitioris legibus adstrictum amplexus, sedit inter Canonicos Ecclesiæ Carnutensis, ubi et Ingreanæ Præfecturæ dignitate gaudebat, litteraturæ politioris elegantia clarus. Is vitam sectatus æquabilem magis quam negotiosam, facta cum Petro et Jacobo societate paternæ bibliothecæ communi cura sumptuque servandæ atque amplificandæ, annum agens sexagesimum, febre lethali correptus, partem suam sociis, uti pactum conventumque fuerat, transcripsit.

« Alii duo, Clemens et Nicolaus, bellicis artibus dediti. Clemens, militia variis expeditionibus tolerata, prælio ad Avinam in Belgis commisso, pro Rege fortiter occubuit, relicto ex Catharina Longovalla filio. Nicolaus, eques Hierosolymitanus, in atroci triremium Melitensium adversus Bisertanas conflictu, quo Præfectus triremium Christianarum

Equitesque amplius centum periere, desideratus est. »

Hactenus Rigaltius in Vita Petri Puteani, qui doctrina, pietate, prudentia, fide, gravitate, constantia probatissimus, Regi a consiliis et bibliothecis, Procerum et clarissimorum ubique virorum officiis, observantia, frequenti conventu celeberrimus, moritur anno 1651, 14 Decembris, ætatis 69 anno; habuit Anniversarium per totum Ordinem; fuit Christophoro nostro amicitia conjunctissimus.

XXIX DIE JUNII

SS. PETRUS ET PAULUS

APOSTOLI

Horum et præcipue S. Petri Archiapostoli solemnitatem cultu præcipuo servandam susceperunt Cartusienses, eo quod, cum primi Patres austeritate loci Cartusiæ exterriti solum vertere meditarentur, S. Petrus eis apparuerit, stabilitatem loci perpetuam asserens affuturam, si Beatæ Mariæ Horas recitarent.

Ex antiquis Ordinis nostri Chronicis.

JOANNA CAPETTE

MONIALIS GOSNAY

Hujus parthenii Celleraria; cum munus hoc non minus prudenter ac utiliter quam exemplariter exercuisset, collectis bonorum operum manipulis, e vita decessit anno 1524, die 29 Junii.

Ex Mss. hujus monasterii.

JOANNES WITTENIUS

PRIOR CONFLUENTIÆ

De quo D. Joannes Hoff, Prior Confluentinus, nobis scripsit in hunc modum : « Joannes Wittenius, professus hujus Domus, in qua diligentis et industrii Procuratoris munus obibat, absoluto et mortuo D. Petro Bocheim, per Capitulum generale anni 1562 institutus Prior, successit. Hic vir egregius Priorem laudabiliter et utiliter egit annis 40, et Visitatorem Provinciæ Rheni annis 30 ; qui pedes ivit visitatum Provinciam sibi commissam. Cilicium in forma indusii factum, et a collo vel humeris usque ad genua dependens, gestare solebat.

« Hic dum infirmus lecto decumberet, et Frater laicus, qui multis annis ipsi inservierat, atque in diversis itineribus fidelis semper adhæserat comes, moreretur, Prior ad Fratres sibi adstantes dixit : « Quid est hoc, quod iste me

insalutato abire voluerit? » Fratres circumstantes ad Priorem aiebant : « Quid loquitur Paternitas vestra? » Prior respondit dicens : « Frater ille laicus mortuus est. » Quo audito Fratres, relicto Priore ut veritatem agnoscerent, ad Fratris laici cellam festinato cucurrerunt, quem ut Prior prædixerat, mortuum invenerunt.

« Alio die, quidam ex Fratribus in Conventu ad cellam Patris Vicarii consolationis causa venerat; ubi inter colloquendum, in theologicam inciderunt quæstionem, circa quam cum inter se dissentientes essent, atque ideo ad Priorem lecto decumbentem pro solutione quæstionis ire conclusissent, Prior infirmus unum ex Fratribus sibi adstantibus in occursum amborum misit, qui diceret quod Pater Vicarius circa quæstionem recte sentiret, alter vero non ita. Quo audito omnes obstupuerunt, spiritum propheticum in Priore admirantes, qui diem quoque et horam mortis suæ Fratribus prædixit.

« Tribus diebus ante mortem, cuidam ex Fratribus sibi præ cæteris magis familiari confessus est dicens : « Agnosco me miserum peccatorem esse. Interim tamen Deo maximas, quas agere possum, gratias in perpetuum sum obligatus, quod me piissimus Deus tot annis in exteriori officio constitutum a peccatis gravioribus dignatus fuerit præservare. » Beneficium Ordinis, quemadmodum plerumque Visitatores Provinciarum in Ordine nostro habere solent, post mortem nullum habuit, neque ut aliquod habere posset, unquam Superioribus fuit molestus; nam sæpe dicebat quod ideo pro beneficio obtinendo laborare noluerit, ne Ordinem gravaret. » Decessit anno 1602, 29 Junii.

Nec silentio prætereundum quod subjicit præfatus Joannes Hoff, his verbis : « Sed cum nullus sit, qui non peccet, septies enim cadet justus, ita etiam aliquando venerabilis hic Pater, quantumvis justus, errorem satis gravem commisit. Siquidem anno 1598 Domum Trevirensem visitans, electionem D. Jodoci Emmelii in Priorem ejusdem Domus a Conventualibus factam, sed a Capitulo generali nullam et invalidam declaratam, obstinate nimis confirmavit, validamque pronunciavit. Unde anno subsequente per Chartam in Ordinem redigitur. Sic igitur anno 1599 exauctoratus Joannes, paulo post in gradum pristinum restitutus est : cum enim Prior Domus Rutilæ procederet ad electionem novi Prioris Confluentini, die 24 mensis Augusti ejusdem anni 1599, ipse Joannes Wittenius iterum postulatus fuit a suis Conventualibus, et annuente R. Patre Cartusiæ, concessus Prior, et insequenti Capitulo generali confirmatus est. »

Non pigebit autem hic describere Chartam Visitationis prædicti Prioris Rutilæ, factæ anno 1599, 24 Augusti, cujus tenor talis est :

« Cum, anno 1599, in alma Cartusia, mense Maio, ipsis sub Capitularibus

negotiis ab Reverendo Patre venerabilibusque Diffinitoribus V. P. Joannes, Prior Montis S. Beati prope Confluentiam Ordinis Cartusiensis ac Visitator Provinciæ Rheni, quinquagesimum in Ordine et in una professionis Domo, trigesimum octavum in Prioratu, et officiis Convisitatoris et Visitatoris vigesimum octavum agens annum, *misericordia* ab officiis (se quidem plurimum gaudente, ut qui dudum molestiarum pertæsus soli Deo et sibi vacare optaverat, Domo vero sua, adeoque Provincia universa lamentante, nullamque consolationem, nisi restituatur, admittente) donatus fuisset; maturiorique consilio, non multo post, præmemoratus noster Reverendus, et ad conservandam pacem Domorum, quietem profectumque Provinciarum suapte natura summopere inclinatus, Conventu Confluentino periclitante et supra modum hac sui desideratissimi Patris privatione consternato, vel electionem si vellent, vel postulationem ejusdem sui optimi Patris gratiose concessisset; confirmationem autem Fratri Hectori Priori Rutilæ demandasset; via etiam postulationis interessentibus complacuisset; postulatorum votis capitulariter auditis et recensitis, constitisset unam eamdemque omnium et singulorum mentem et sententiam : qui tot annis cum tanta laude, tali fructu Domui præsederat, V. P. Joannem iri restitutum et confirmatum; restituto etiam, atque in ter Sanctissimæ Trinitatis nomine, auctoritate R. Patris delegata, confirmato in Priorem Montis S. Beati, Priore optime de eadem Domo et Provincia merito, quamvis renitente sæpe dicto venerabili Patre Joanne, cum Domus esset ordinario visitanda a scito venerabili Priore Coloniensi etc. Visitationem ordinariam instituimus etc. »

XXX DIE JUNII

ARNOLDUS CAMPENIŒN

VICARIUS CAPELLÆ

Vir eximiæ devotionis et humilitatis; cum in Ordine usque ad decrepitam senectutem perseverasset, e vivis excessit die 30 Junii, circa annum 1440.

Ex Chronico Domus Capellæ.

AMBROSIUS DE FEIS

PROCURATOR VALLIS PISII

Professus ejusdem Domus; de quo in antiquis Schedis hæc notantur: « Hoc anno, scilicet 1540, 30 Junii, obiit in grangia Jectem D. Ambrosius de Feis, ibidem Procurator et professus Domus

Vallis Pisii. In cujus obitu revelationes, visiones et plurimæ virtutes notatæ fuerunt; vir enim erat timens Deum et valde devotus. Hanc enim pretiosam in conspectu Domini mortem luculenter scriptam reliquit D. Bruno Camaldulensis, qui ibidem casu assistens, omnia bona vidit et retulit. Et idem D. Ambrosius juxta corpus D. Antonii de Avitiana sepultus est. »

BRUNO LOERIUS A STRATIS

VICARIUS COLONIÆ

Frater celeberrimi Theodorici et ejus successor in Vicarii munere, ac deinde Procurator; diem extremum clausit anno 1557, die 31 Julii, juxta Chronicon Cartusiæ Coloniensis, vel 30 Junii, juxta Chartam capitularem, ubi ejus obitus signatur.

Hic non solum virtute propria inter suos, sed et virtutibus aliorum enituit apud extraneos. Nam plurimos sibi datos in disciplinam Neophytos ad veram pietatem erudiit, quibus et ipse sublimiori vitæ gradu præluxit. Cumque non minus eruditione quam pietate clarus esset, variis liminaribus Epistolis Dionysii Cartusiensis scripta, necnon devotissimi Patris nostri Lanspergii, utpote olim in Religione præceptoris sui, opera omnia Christiano orbi commendavit. Opera Henrici Harphii, viri in Theologiæ mysticæ studio exercitatissimi, Sancto Ignatio de Loyola Societatis Jesu Fundatori, ejusdemque Instituti Patribus, ut eos hac ratione arctiori fraternæ charitatis vinculo nobis devinciret, dedicavit.

Brunonis obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1558, cum his verbis honorificis : « Qui in editione Librorum D. Dionysii et instruendis Novitiis laudabiliter laboravit : habens plenum cum psalteriis... etc. »

De Brunone Loerio agit Petræus noster in sua Bibliotheca Cartusiana, et Chronicon Cartusiæ Coloniensis.

JOANNES DE BILLY

PROTOPRIOR BORBONIENSIS

Hujus vitæ Author est Ganneronius noster, quam hic damus de verbo ad verbum ex ipso a nobis mutuatam; cui nonnulla adjecimus quæ latuerunt Ganneronium, et de qua aliquid succidimus, ubi luxuriat calamus Authoris.

CAPITULUM I.

PROSAPIA ET EDUCATIO JOANNIS DE BILLY.

Non ab ipsis vitæ tenerioris crepundiis sanctitatem Joannis auspicamur et virtutem ; sed ætatis tantummodo lubrica recensemus, ex quibus sensim ad ejus præstantiora deveniamus. Nasci quippe ad naturam, imo et renasci per baptismalem gratiam omnibus Christianis commune est; converti vero ad Deum et novæ vitæ severiores appre-

hendere semitas, quis audeat asserere esse omnium?

Fuit itaque Joannes oriundus e castro Guisia, quod sane hierarchiæ Laudunensis oppidum Hannoniis contermi- nat, limes Francicæ Picardiæ fere effectum. Ibidem et ortum habuit frater ejus Jacobus, inter illustres Galliæ heroas Parnassi pridem recensitus. Ubi et forte cæteri fratres ejus ortum habuerunt. Sed quia circa Joannem noster tantummodo calamus desudat, de eo sigillatim agamus.

Pater ejus Ludovicus de Billy, Toparcha Prunæus in agro Carnotensi, Guisiæ prorex nomine Henrici II, regis Galliarum, fidelissimum se regi semper præbuit; eo maxime tempore, quo ex Hannoniis effusus in oras regni miles in gratiam Austriacæ familiæ, multis debacchabatur. Sed et eo tempore quo virus hæreticum multos Nobilium in hoc regno dementaverat, fortiter ipse Prunæus adversus Fidei rebelles pro Deo et pro patria restitit, licet multos ex Religionis Catholicæ perduellibus consanguineos haberet. Ut vero pro meritis coronaretur a Domino, etiam generose atque fortiter dimicans contra Hæreticos Pictavium obsidentes, ab ipsis, anno 1569, ad mortem vulneratus, pie admodum animam remisit ad Superos. Qui et in Charta Capituli generalis nostri anno 1570 celebrati, hoc honestari meruit Elogio :

« Obiit nobilis et strenuus D. Ludovicus de Billy, dominus de Prunay, dux unius cohortis Catholicæ; qui, post præclara certamina contra inimicos Ecclesiæ inita, ab eisdem graviter vulneratus, post susceptionem Sacramentorum occubuit; pro quo et aliis, qui in diversis conflictibus contra inimicos Fidei et Ecclesiæ Regum et Principum Catholicorum pugnantes occubuerunt, fiat unum Tricenarium per totum Ordinem. »

(Is Ludovicus erat non pater, ut scripsit Ganneronius, sed frater Joannis nostri Billii. Qui in obsidione urbis Pictaviensis contra Hæreticos dimicans, die 23 Augusti vulneratus, sexto post die decessit, virtutum omni genere exornatus. Id constat ex ipsismet litteris Billii nostri ad R. Patrem Bernardum scriptis anno 1569, 30 Decembris).

Erat autem Ludovicus (pater) oriundus ex prosapia Montismorencææ familiæ, quæ inter alia Regibus ullis atque Principibus uxores dedit. Ejus quoque conjux Carola Brichantella (vulgo de Brichanteau) stemma suum deducebat a Dynastis Beluaci-nangiacensibus, ex quo plures prodiere regii exercitus castrametatores, plures Gallicanæ Ecclesiæ selecti Præsules. Hæc per transennam commemoramus, quia Joannes splendorem sui generis vix attendebat, imo occultabat, quamvis, vellet nollet, ex gloria parentum et fratrum satis insplendesceret. Nam cum pater ejus genuisset sex mares, horum tres sæculo et armis Christiane educavit, reliquos tres destinavit Ecclesiæ. Legi tamen

apud Jacobum Billium septem mares extitisse, et horum quatuor occubuisse dimicantes contra Hugonotos.

Primogenitus omnium extitit Joannes, deinde Claudius eques torquatus et alii. Godefridus vero præsul Laudunensis fuit ultimus omnium. Stirpis suæ rationem Joannes vix unquam habuit, et vanitatem quæ ex ea oritur penitus in se amputavit, improperium Christi præferens omnibus hujus mundi vanitatibus, et humilitatem Instituti Cartusiensis amplectens, cunctis sæculi pompis abdicatis. Ad eum spectabat quasi familiæ primogenitum paterna hæreditas, et maxime Toparchia de Prunay, quæ distat Carnoto quatuor aut quinque milliaribus; sed omnia veluti stercora deputans, solum hæres æternorum fieri avebat.

CAPITULUM II.

GYMNASIO ADDICITUR PRO LITTERIS ADDISCENDIS.

Cum ex numerosa prole, ut jam diximus, Ludovicus septem mares haberet, suggerente R. P. Crispino de Brichanteau conjugis fratre, episcopo Sylvanectense, Joannes noster, Jacobus et Godefridus selecti sunt, qui Ecclesiæ manciparentur, cæteris arma sequentibus. Et vere multo acumine pollebat idem Crispinus, qui ex monacho Sandionysiano et insigni theologo, Francisco Regi a Confessionibus fuerat; qui tandem meritis potius quam ex prosapiæ splendore Sylvanectensibus datus est in Episcopum. Quos enim idem Antistes patri Ludovico nominavit Ecclesiæ destinandos, nulli alii rei visi sunt aptiores; quasi enim congeniti litteris fuissent, in ipsis litteris commortui sunt.

Curavit porro Crispinus, ut Joannes et Jacobus in uno eodemque gymnasio studiorum gratia alerentur, Godefrido adhuc ob ætatulæ defectum in domo parentum retento. Quanta vero incommoda in gymnasio pertulerint ob necessariorum indigentiam, constat, quia sæpe ambo rugientis ventris concupiscentias legitimas sedare volentes, ex defectu congruæ alimoniæ, quæ illis parcius administrabatur, panis siccioris buccellas et crustulas inter collegii purgamenta, nonnunquam studiosius colligebant.

Peractis studiis humanioribus et theologicis utcumque ac sufficienter delibatis, Jacobo longiores moras inter viros doctos ad Avenionenses Academias trahente, Joannes ad paternam domum rediit, non quidem a Musis feriaturus, sed ipsas Musas exculturus opportunioribus intervallis. Nam quamdiu vixit, litteras amavit et litteratos, imo et promovit, in quantum potuit, etiam adscriptus inter Cartusianos. Neque vero frivolis studiis, ante arreptam conversionis semitam, in ædibus paternis occupabatur; sed ut plurimum delectabatur circa controversias, quibus opportuno tempore adversus novæ et innovatæ legis Religionastros scripto aut verbo ageret. Potissimum vero eo

tempore laborabat circa priscos Authores Latinos, qui de Christiana lege conscripserant, Gallica veste induendos, quo infirma plebecula, quæ facile poterat seduci, priscæ fidei patrum inhæreret tenacius. Scripsit itaque ante conversionem plures ejusmodi translationes ad corroborandam pietatem vel fidem, quæ et typis mandatæ fuerunt.

CAPITULUM III.

JOANNES FIT ABBAS DUORUM MONASTERIORUM ET ELEEMOSYNIS VACAT.

In his sacris occupationibus agebat, in his versabatur utilibus otiis Joannes, Cleri jam candidatus, cum ipso nec quicquam sollicitante, agentibus suis parentibus, duabus Abbatiis donatur a Rege Franciæ, Regis beneficio subscribente Summo Pontifice. Prima Abbatia vulgo S. Michaelis in Eremo dicebatur; altera B. Mariæ de Castellariis in Agro Pictonum. Et quanquam, his geminis onustus Beneficiis, splendide quasi vir nobilis et dives victitaret, omne tempus nihilominus religiose impendebat, pietati, lectioni, librorum conscriptioni, ut plurimum addictus.

Et quia ab utero matris congenitam habebat in pauperes et egenos commiserationem, mox ut potestative de redditibus ecclesiasticis disponere cœpit, quantum alienæ eum miseriæ sauciarent, confestim ostendit. Ut enim eo temporis erat, Cardinales, Episcopi, Abbates insigniores et principes viri ad zonam dependentem ferebant crumenam pecuniis refertam (quali etiamnum Rectores Universitatum ad ornatum et indicium dignitatis utuntur); sic etiam Joannes veste holoserica indutus, ad zonam semper habebat marsupium prægrande, promiscuis pecuniis plenum, ex villoserico nigro. Unde et a pauperibus epitheto honorifico vocabatur *Dominus a grandi crumena (Monsieur à la grande gibecière.)*

Omnibus vero pauperibus obviis largiebatur indiscriminatim quicquid primum manui occurrebat ex confusis marsupii pecuniis; nam sæpissime deprehensus est dedisse nummos integros aureos, aliquando quartam nummi partem, aut monetam argenteam magni valoris, ac si asses solummodo dedisset. Quid enim, aut quibus daret, non intendebat, et intendere dedignabatur. Eadem charitas in pauperes in ipso perseveravit etiam cum Montis Dei Prior esset. Et ideo quia ex villoserico nigro crumenam habere non poterat, curavit nihilominus sibi ex filo canabino albo opere textrino componi crumenam latam et amplam, ferreis munitam circulis, quam e zona pendentem semper habebat ad usum eleemosynæ.

CAPITULUM IV.

CONVERSIO EJUS MIRABILIS A SÆCULO.

Magna et admirabilia judicia tua, Domine, cujus omnes viæ justitia et veritas, viæ pulchræ et pacificæ, licet

in omnes gubernatio tua et Providentia non uno modo procedat : alius enim ad conversionem suavi inspiratione trahitur; alius invitatur per adversa; alius denique nec trahitur aut invitatur, sed compellitur, et detonante fulgure cogitur ad conversionem venire. Sic Billius coactus est valefacere sæculi ludicris. Res autem contigit in hunc modum.

Quadam die apud Prunæum castrum agente Joanne et solitis incumbente exercitiis, quidam vir nobilis Billiæ familiæ addictus supervenit; ad cujus adventum mire exhilaratus Joannes, post splendidum convivium, cum eo in multam noctem pictis chartis collusit; sicque fatigatus e ludo, jamque somno obrepente lectum adire compulsus dormire cœpit. Indignatus vero Deus in hominem Ecclesiasticis mancipatum, sic ludicris intendisse, sic futiliter tempus trivisse, sic usque ad mediam noctem pueriliter egisse contra gravitatem suæ professionis, aperuit in eum suæ indignationis pharetram, et productis telis non quidem perditionis sed salutis, ipsum adorsus est.

Lectulum itaque non nihil remordente conscientia Billius adierat, jamque primos emiserat ronchos, cum ecce vindicta in eum procedit. Nam repetiti tonitruorum fragores, fulgura micantia, et discurrentes per cameræ ambitum coruscationes ad tantum pavorem ipsum adegerunt, ut vellet nollet, vigilare compelleretur, et per singula momenta se fulmine percussum iri indubie crederet. Præsentaneam itaque mortem sibi adesse veritus, Deum ex intimis medullis humiliter precabatur, ut ipsum tutaretur ab imminente interitu, spondens conversionem morum et vitæ ad meliora emendationem. Verum surdis auribus hæc Deus audiebat, ab eo volens exigere ampliora. Nam in nullo fulgurationes minuebantur, imo et acrius increscebant. Sed et internus pavor, cui nocturnæ tenebræ dabant incrementum, adhuc intimius in cordis penetralibus sæviebat ; ita ut statim cubiculi tectum et tabulatum ruiturum seque oppressum iri crederet.

Init tandem consilium, ut Sacellanum, quem ab eleemosynis habebat clericum sacerdotem, juxta se accubare faceret. Dictum factum. Sed in nullo coruscationes et fulgura minuuntur. Urget interim Sacellanum ut surgat, vestemque induat clericalem, quo Confessionem ejus generalem excipiat, absolutionemque ultimam impertiat, quasi morituro. Absoluto omni hoc expiatorio negotio, duplicantur nihilominus vehementius quam antea coruscationes. Jamque mortem in januis adesse sentiens, ut eam evaderet, post tentata in vanum plura remedia, ad Deum conversus, Deum, inquam, qui in penetralibus conscientiæ ejus altius stridebat, votum nuncupare cœpit de arripiendo Cartusiensium Instituto, si ab instanti vitæ discrimine servaretur.

Audit Deus vota supplicantis et ex-

audit, cœpereque quantocyus sedari fulgura et tonitrua, et lectulum repetens Abbas noster, peregit tranquille reliquam noctem. Crastina vero die, ubi Fratres cæteri convenerunt, sciscitabatur ab eis an pavore aliquo propter tonitrua correpti fuissent. Qui cum respondissent tonitrua se quidem audivisse, sed nullo modo ad ea expavisse, narravit omnibus quidnam sibi ea nocte contigisset, et quomodo votum emisisset de suscipiendo habitu Cartusiensi. Durus confestim sermo cunctis visus est, contristatis omnibus, qui ejus amabili convictu et familiaritate orbari refugiebant. Verum cum agnovissent operatam in eo Dei manum, contradicere non ausi sunt.

CAPITULUM V.

FIT CARTUSIANUS IN DOMO FONTIS B. MARIÆ.

Jam tempus advenerat in quo, dispositis negotiis, votum suum de ineunda conversione Abbas noster executioni mandaret. Ut vero perfectius mundo ejusque vanitatibus moreretur, noluit nec Parisiis, nec in domestica Vallis Dei, Carnotensis hierarchiæ, eremo, Cartusianismum apprehendere, ne a notis et a consanguineis remoram ullam perfectæ conversionis nancisceretur. Ejus animo plurimum sedit celebris Domus Fontis B. Mariæ, opus priscorum Valesiæ Comitum, eorumque pietatis præclarum monimentum. Ad eam itaque, ut maxime solitariam et ab hominum concursu remotam, pergere constituit, resignatis Jacobo fratri, qui tum apud Avenionem litteris incumbebat, geminis Abbatiis. Et sic a sæcularibus liber et expeditus ad Christi crucem convolavit, reperitque in ea Domo virum magni nominis D. Felicem Cardon Priorem.

Ingressus itaque dictam monasterii habitationem multo famulantium stipatus obsequio, quasi de sæculo triumphans, splendidum confestim apparatum ad limen Domus dimisit ac remisit, uno ex asseclis pertinacius remanente, qui nullo pacto voluit, ne dilecti Domini quondam sui præsentia careret. Is inter famulos monasterii adscriptus sæpius explorabat, si quando Billius ad hauriendam a fonte aquam cum hydria pergeret ; tumque adventanti occurrens, « Dimitte me, Domine, inquiebat, ut hydriam tuam deferam ad fontem, et plenam ad cellam tuam referam. Ut quid ad tantam miseriam videndam natus sum, ut Dominus meus non habeat ne servulum quidem, cujus opera utatur ad hauriendam aquam ? » Cumque eamdem hydriam Billio Novitio eripere vellet, Billius eum a se durius increpatum repellebat longius dicens : « Apage hinc, Frater; dimisi dominationem meam ad monasterii limen. » Quod audiens gemebundus et suffusus lachrymis recedebat.

Igitur cellæ Novitiali datus Billius, suo magno emolumento nactus est non solum egregium Priorem, sed et expe-

rientissimum in spiritualibus eruditorem, D. Tristandum de Lauduno, Parisinæ Cartusiæ alumnum, sed tum apud Fontem B. Mariæ ex Ordinis mandato hospitantem; quem Billius summopere colebat, ob vitæ religiosæ inculpatam conversationem et Sanctorum scientiam, nec ab ejus laudibus sibi temperabat : cum ingenui animi sit, per quos quisque profecerit agnoscere, et gratiam rependere.

Sed et Felix Cardon Prior, in spiritualium palæstra non parum detritus, vir erat ingenii pollens insigni acumine, et qui inter ascetas sui temporis, ob spiritualis œconomiæ longam experientiam, magnus habebatur. Is olim inter Synedros principalis Curiæ Parisiensis recensitus, Italiam et alias regiones peragratus fuerat; quique, mortua uxore, apud Vallem viridem habitu S. Brunonis donatus, post pauca ad regimen Montis Dei assumptus fuerat; quique tandem obiit anno 1576, cum Prior Vallis viridis et Fontis B. Mariæ necnon et Franciæ Visitator extitisset; visitaverat etiam olim Castellæ Provinciam cum Francisco de Casa nova, qui postea fuit episcopus Aptensis pro carnisprivii stabilienda observantia.

CAPITULUM VI.

EXERCITIA BILLY IN CREPUNDIIS ORDINIS.

Trigesimum annum attigerat Joannes Billius tempore suæ conversionis, et quando viam universæ carnis ingressus est, jam quinquagesimum et ultra compleverat. Susceptus vero ad Ordinem, nihil antiquius habuit, quam ut professioni suæ in omnibus responderet. Verum ob delicatæ consuetudinis vitium, cum diebus abstinentiæ deputatis oleo uti nisi cum nausea posset, facta est illi circa hoc indulgentia, ut butyro uteretur. Cæteras tamen observantias ad amussim et ad unguem observabat : cellæ spiritualibus exercitiis, id est orationi et lectioni addictus. Cumque manualibus operibus, sive ex imperitia sive ex imbecillitate virium, vix intenderet, findendis tamen lignis grossioribus ad usum foci sedulam navabat operam : a qua nec jam Prior effectus abstinebat, tam ad procurandam corporis sanitatem, quam ad reparandas animi vires, quæ ex spiritualibus occupationibus vix interpolatis nonnunquam hebetantur.

Jamque in stadio spirituali currebat alacriter, multo fervore præcipue donatus; cujus causa plura aggredi meditabatur quam poterat, adhuc internæ palæstræ candidatus, adhuc experientia carens. Contigit vero aliquando in Ordinis tyrocinio, ut ad Felicem Priorem accederet, magnum, ut aiebat, Deo sacrificium facturus; petivitque licentiam ab eo, ut ultra debita Ordinis nonnulla superadderet jejunia, et certis diebus sibi imponeret disciplinas. Risit Prior, utpote spiritualium eruditissimus, responditque fervido juveni : « Bene habet : hujusmodi licentiarum libe-

ralissimus sum; verum post decennium ad me redeas idem petiturus. » Dicebatque postea Billius : « Eia quam imprudenter et fatue tunc me habebam! cum quibuslibet valentioribus onera Ordinis sufficere debeant. »

Per hæc tempora Hæretici Cartusiam Fontis B. Mariæ invadentes, sex Religiosos trucidarunt. Cumque ad mactandas sex illas hostias se præpararent, quidam ab atrio ecclesiæ venit, magna et importuna voce iterum iterumque inclamitans : « Serva Billium, serva Billium; » sicque ab illa carnificina eductus, vestes suas recipere jussus est, luctu suo non modico. Paratus namque erat animam ponere cum cæteris qui occisi sunt, quorum sanguine cruentata diu fuere quædam chori sedilia.

CAPITULUM VII.

BILLIUS AD COMPENDIENSE OPPIDUM ABLEGATUS, INDE POSTEA REVERTITUR.

Quantos porro gemitus ediderit pius Pater Billius ex prærepta sibi martyrii corona, quis edisserat? Accusabat suæ claritatem prosapiæ, quod hujus gratia fraudatus fuerat tanta gloria. Sæpe dicebat : « Ego nulla sum laude dignus, qui inter Fratres meos laureatos computari non merui. Prodieram ex illis, sed non eram ex illis. Nam si fuissem ex illis, permansissem utique cum illis, biberus calicem quem illi biberunt. Ego Saul ille inter Prophetas, nudatus ad gloriam, et reindutus ad ignominiam. »

Cum igitur, tanta clade accepta, in vastitate hostili relicta esset Cartusia, bonum visum est Superioribus Ordinis Billium ablegare Compendium ob certas causas, potius quam ad aliquam Domum Ordinis transmittere. Qui tamen in illo oppido degens ac si in cella claustrali degeret, ne latum quidem unguem stateram Instituti Cartusiensis transiliit; sicut enim ex quodam Authentico ejus manu propria exarato legitur. Edidit ibidem translationem operis D. Chrysostomi *Quod nemo læditur nisi a seipso,* quod Gallica veste donavit. Edidit ibidem Librum Sermonum in totius anni Dominicas; utrumque opus asservatur apud Montem Dei.

Postea redux ad suum Fontem et cellam claustralem, annum circiter fecit inter eremi delitias. Hoc autem modicum temporis postea vocabat ætatem auream sui Cartusianismi : eo siquidem transacto, nonnisi cruces ac juges patientiæ luctas sortitus est. Eo tempore jam Felix Cardon translatus fuerat ad regimen Cartusiæ Parisiensis; cui in Prioratu successerat Simon Regnault, et ipse multa religione conspicuus. Qui Billio insigniter affectus, jussit ei manum et calamum ad scribendum applicare, vacareque potissimum translationi nonnullorum operum, quorum utilitate Latinæ locutionis ignari fraudabantur; cum tamen, ob seminata hæreticorum zizania, pluribus monitis Christiana plebs indigeret, quo religiose perseveraret in fide parentum. Proinde

Historiam Sanctorum Barlaam et Josaphat eremitarum copiosissimam, quam ejus frater germanus Jacobus e Græco S. Joannis Damasceni Latinam fecerat, ipse e Latino in Gallicum transtulit.

CAPITULUM VIII.

INSTITUITUR PRIOR MONTIS DEI.

Ea tempestate regimini Cartusiensis Ordinis intendebat R. P. Bernardus Carassus; qui corde tenus sauciatus ex clade recens illata Domui Montis Dei (quam alias rexerat) per Religionastros, duce Genlisio, et incentore ac incensore quodam deploratæ nequitiæ Adolpho Alonvillæo, paterna cura tantis malis mederi voluit.

Missionem ab officio Prioris jampridem obtinere gestiebat Jacobus Hochet, desolatæ Domus Moderator, sub cujus manu hæc ruina resarcienda videbatur. Nam, anno 1568, cum Patres Montis Dei, a fuga Maceriensi reduces, viderent se quasi in tuto positos solitis exercitiis intendere posse, confestim a spe sua exciderunt. Nam præfatus ille Adolphus hæreticas phalanges induxit in Montem Dei, spondens se primum appositurum flammas : quod et fecit die 4 Octobris. Turpi itaque incendio fœdata est Domus; jamque flamma excelsas templi trabes pervaserat, cum sopita est. Pars tamen claustri majoris incinerata est cum aliis ædificiis ; sacræ Reliquiæ profligatæ ; omnem supellectilem tam sacram quam profanam asportarunt prædones ; universos equos et quicquid fuit obvium diripuerunt.

Hæc ut cognovit Carassus, volens Jacobo Hochet quietem aliquam a tantis malis indulgere, ipsum, anno sequenti 1569, in Comitiis Ordinis absolvit; cumque perspectam haberet Billii religionem et prudentiam, et propter alias causas, ipsum instituit in Priorem Montis Dei : ad quod sane onus claustrali novennio se ipsum nesciens disposuerat. Quanto autem fragore in interioribus ad hæc nova perculsus fuerit Billius, nihil minus ambiens quam præsidere, nihil magis eligens quam subesse, quis ad plenum exprimat? Profusæ eapropter ubertim lachrymæ testabantur, quam invite a cellæ delitiis ablactaretur, quam injucunde ejusmodi onere implicaretur; sed tamen manus dedit, et quasi bos ductus ad victimam, aut remigator ad triremem, venit ad Montem Dei, vixdum extinctis nuperæ calamitatis incendiis.

Verum cum novus Prior Patrum Montis Dei conversationem explorasset, ipsique vicissim genium Prioris didicissent, confestim inter utrosque magna necessitudo coaluit atque est coagulata. Neque putarim alium Ordinis Superiorem in hujusmodi feliciorem unquam Billio fuisse. Is enim subditos sibi multo affectu et plenis visceribus excipiebat; ii vero Priorem suum sincere colebant : adeo ut sic adunatis animis, quisque ad Religionis observantiam accurreret ultroneus, ex perspecto, quod habebant in Superiore, exemplari niti-

dissimo. Amabat igitur et amabatur ab omnibus, jamque dolorem ex onere imposito conceptum ex parte mitigabat, cum biennio in regimine expleto, alio ablegatur, suo et suorum non vulgari luctu.

In diebus R. P. Bernardi Carassi, qui ex Priore Montis Dei in Ordinis Antesignanum profecerat, regularis disciplinæ tenor in immensum excreverat, ita ut plures e Monte Dei pluribus Domibus præficerentur. Sed cum ex bellorum tumultibus et iteratis monachorum fugis nonnihil observantia claustralis intepuisset, opus fuit haud vulgari animi vigore ad instauranda quæ temporum vicissitudinibus elanguerant. Ad hoc idoneus præ cæteris habiliorque nemo inventus est Billio : qui propriæ suæ vix confidens industriæ, curavit sibi per authoritatem R. P. Generalis assignari in Vicarium virum admodum venerabilem et exemplarem, D. Joannem Commelinum (Commelinck) professione Lovaniensem.

Igitur Cartusiensis disciplinæ observantiam non solum sartam tectam conservavit, sed etiam promovit in melius. Verum quoniam ad perfectam Prioralis officii expletionem etiam sedulitas circa temporalium administrationem secundario requiritur, nec in hoc quoque idem Pater ulli defuit industriæ. Cœpit namque muros Domus a parte australi latis et spatiosis fundamentis erigere, ad eludendos hostium aut prædonum impetus. Cellam ✣ Priori assignatam et ab Hæreticis incensam reparavit, et primus incoluit.

Cum ab antiquo, largitione Regum, habita ratione Montis Dei, qui regni Franciæ prima Cartusia habebatur, eadem Domus a decimis Clero impositis immunis semper extitisset, contigit, ut per incuriam inter decimatas ecclesias Remenses Mons Dei recenseretur. Reclamavit actutum Billius Prior, et privilegiis reseratis ac exhibitis, magnus Syndicus Cleri Gallicani data sententia pronunciavit monachos Montis Dei nunquam ad decimarum solutionem fuisse adstrictos ; proindeque indictum fuit Quæstori Cleri Remensis, quatenus Priori Montis Dei refunderet centum et novem libras ab eo extortas, et manum regiam ab occupatis bonis eximeret. Insertum vero fuit præfatæ sententiæ, ne cæteræ Domus Ordinis Cartusiensis ex ejusmodi concessione facta Monti Dei, arbitrarentur aliquid sibi gratiæ indultum.

Electi quoque Registensis oppidi, cum ad subministrationem alimoniæ militum stationariorum urbis Maceriensis indixissent Monti Dei suam taxam, provocante Billio apud supremam Regis Curiam, damnati sunt, data sententia, qua pronunciatum est Cartusiam Montis Dei nullo unquam tempore spectasse ad agrum Registensem seu Rethelensem. Jussi sunt itaque dicti Electi Billio restituere summam 450 librarum, quæ ab omnibus pagis Ducatus Registensis collecta est.

Idem Prior cum Patribus conventualibus recordati miraculorum quæ olim almus Christi Confessor Gibrianus in gratiam ecclesiæ Montis Dei patraverat, animadvertentesque meritis tanti Confessoris, exile trium Lectionum festum non satis ex æquo respondere; habita inter se deliberatione petierunt a Capitulo generali anni 1571, quatenus futuris recurrentibus annis idem Festum celebrius agerent, id est cum Capitulo Refectorioque : cui supplicationi mox annuit R. P. Bernardus Carassus, quoad monachos tantum, Conversis exclusis.

CAPITULUM IX.

DE CHARITATE EJUS IN PROXIMUM CUM ESSET PRIOR MONTIS DEI.

Cum primum venit ad Montem Dei adhuc ignotus, verebatur ne in extera provincia ullos Arabicis aut Scythicis sordentes moribus inveniret : ipsi quoque, novi Prioris adhuc inexperta indole, ejus contubernio se penitus subtrahebant. Verum ubi utrorumque genium patuit, quasi unius vulvæ forent congeniti, sic dilectio mutua coaluit, ut nulla alia major esse videretur; neque vero existimaverim quempiam in hoc fuisse Billio superiorem ac feliciorem. Is enim sibi commissos plenis visceribus excipiebat; ipsi vero suum Priorem ex animo colentes, grande piaculum admisisse putabant, si in omnibus ei morem non gererent.

Cum Ludovicus Rangueil, alumnus Montis Dei, tam diro vexaretur morbo, ut in eo acutiores Physicorum oculi caligarent, non desistebat pius Prior suas ad preces fundendas pro eo adhortari; sed et ad proxima cœnobia ad idem opus transmittebat pecunias, nec non et ad mendicantes urbis Remensis, ad Bethleemiticos Minoritas Maceriarum ; et ad remota loca mittebat peregrinationes pro sospitate illius desperata, quam tandem recuperavit : postea factus Prior Cartusiarum Vallis bonæ et Vallis S. Hugonis.

In cæteros quoque pariter Billii fervebat charitas. Si qui ex morbo decumberent, se ipsum illorum primum Infirmarium constituebat, singulis diebus mane et sero saltem eos invisens cum tanto animi affectu et familiaritate, ut nonnulli eorum quasi ægrotare cuperent, quo Billium totum possiderent. Si quando in hospitio et aula domestica cum Nobilibus aut extraneis juxta debitum officii comederet, mittebat ad infirmum quiddam electuarii, dans in mandatis servitori, ut diceret infirmo Billium rogare, ut pro amore illius escam illam comederet. Vice versa monachi claustrales tanta in eum fervebant observantia, ut cum peregre rediens cellam intraret, mox certatim omnes vel plures circa eum glomerabantur ; quorum unus pileum detrahebat, alius erat intentus diffibulando pallio, alter parabat sedem, alter ignem, alter crepidas afferebat, quibus detractis ocreis

uteretur : et cuncti denique circa eum ejusmodi obsequii aliquid impendisse gratulabantur.

Sed modicum perseveravit hujusce reciprocæ charitatis obsequium; nam biennio in Monte Dei exacto, non parvo dolore suo et suorum, ad Borboniensem eremum, dictam tunc Gallionis, translatus est. Et qui antea Prioris onus in Monte Dei refugiebat, jam gestiebat in eo perseverare, attentis ac libratis molestiis et ærumnis quæ sibi imminebant. Denique cum monachis Montis Dei lugens valefaceret, corde saucius, obortisque lachrymis dixit : tantæ rerum mutationi procul dubio successuram mortem, cum nonnisi invitus ab iis discederet.

Ipsi quoque monachi suffusi lachrymis ita ad ejus recessum flere cœperunt, maxime ipsi antiquiores, ut nonnulli mirarentur, qui fieri posset, ut effœti et aridi senes tot lachrymis maderent. Non solum autem Patres Montis Dei, sed et Provinciæ Picardiæ Priores graviter translationem Billii acceperunt. Apud Belgas enim in fragranti gratia bonæ opinionis fuerat tam ex auditu quam ex visu ; siquidem, anno 1570, injunctum ei fuit a Capitulo generali, ut cum aliquot aliis pergeret Valencennas, pervisurus circa translationem Cartusiæ de Macourt intra pomœrium urbis extruendæ. Quæ statim cœpit ædificari a Joanne Clusio Priore.

Ita vero absolutus est Billius a Prioratu Montis Dei, ut tamen R. P. Carassus, qui eam absolutionem invitus fecerat, semper habere curam nihilominus Montis Dei eum voluerit : gratulabatur nimirum R. P. Carassus, quod successorem in Monte Dei reliquisset, qui labores ejus non tantum non destrueret, sed et perduceret ad incrementum. Sed et ipse Billius, quamdiu vixit, circa Montem Dei vigilare non destitit, litteris et aliquando etiam præsentia corporali ad eam accedens. Sed et anno 1576 institutus est Commissarius ad visitandam Domum Montis Dei, cum D. Millesio le Jars, Priore Noviomensi, Convisitatore Picardiæ ordinario.

Non solum a suis, sed etiam ab externis, maxime vero a Magnatibus, et quod mirandum censetur, ab ipsis quoque Catholicæ Religionis perduellibus diligebatur. Ludovicus Gonzaga, dux Nivernensis et Rethelensis, cum Henrica Cliviensi conjuge, valde Billio ob præconium sanctitatis, nec non ob claritudinem prosapiæ inclinabatur, nec patiebatur Domum Montis Dei in ullo molestari, quamdiu illius regimini incubuit; quod non ita post ejus recessum contigit. Verum nescio quid humanum Billio cum præfato Principe acciderit aut subrepserit. Non tamen culpandus ex hoc omnino venit, qui pacem quæsivit et concordiam, non ita diu duraturam.

Ante ducentos annos Ludovicus Creciacensis, comes Flandriæ et Registensis, indignatus adversus monachos Montis

Dei, qui usum venationis in suis sylvis negaverant, incendit eorum Correriam et alia damna intulit. Unde a Summo Pontifice et Archiepiscopo Remensi diris notatus tandem pœnituit, et in compensationem cladis illatæ quinquaginta libras Parisienses annui et perpetui redditus assignavit; concessitque ad hoc furnum publicum, seu bannalem oppidi Venderescæ. Cumque per ducentos annos pacifice emolumenta illius furni percepissent (ad cujus usum ex proxima sylva ulmontana gratis ligna a forestariis subministrari debebant), instigante duce, cœperunt forestarii ligna negare et folia tantum concedere. Insuper dictum furnum voluit Dux restitui, assignatis 50 libris solummodo, prout pridem a Ludovico Creciacensi indictæ fuerant.

Lis interea ingens oritur, minæ ingeminantur, regni turbationes audaciam augent, et non solum ab Hæreticis, sed et a Catholicis pericula imminent. Quibus obviare volens Billius, annuente cœtu Conventualium, ipsum furnum Duci remisit, assignatis ab eo super certis redditibus 50 librarum. Quæ sane remissio magno Montis Dei damno facta est; nam ex illo furno plusquam octingentas libras modo monasterium perciperet. Verum hoc Billio concedendum, qui Ducem placabilem habere volens, quo flagrantibus regni discordiis Montem Dei protegeret, hanc gratiam ab eo accepit solummodo, ut eo Priore benevolentiam sponderet, et eo recedente confestim negaret. Hac concessione Dux inescatus, etiam Barrum fluvium, a priscis Fundatoribus Remigianis Abbatibus Monti Dei donatum, occupare voluit; sed monachi prisca furni remissione cautiores effecti, eumdem fluvium audacter negarunt.

Principibus quoque Sedanensibus acceptissimus fuit, a quibus quamvis hæreticis plurimam expertus est benevolentiam, quam ab ipsis Catholicis Magnatibus, licet nullis beneficiis grandioribus eos demereri satageret. Henricus Robertus a Marka, dictus Crassus, tum Principatum Sedanensem obtinebat cum Francisca Borbonia conjuge, quique ante aliquot annos repudium Religioni Catholicæ fecerant. Hos amicos nihilominus habebat Billius; ipsique vicissim multam, ubi opportunum erat, benevolentiam exhibebant ipsis Religiosis Montis Dei, prout ex litteris ipsius Franciscæ propria manu exaratis deprehenditur.

CAPITULUM X.

BILLIUS FIT PRIMUS PRIOR GALLIONIS.

Jam liquet ad quid divina Providentia Billium ab internecione illa anni 1567 servaverat, nimirum ut multorum parens atque archetypus monachorum fieret, et multam sobolem Domino procrearet. Ad hoc eum Dominus servaverat incolumem, eumque quasi ad præludia futuri regiminis in Monte Dei erudierat, ut jam palæstræ magister

sancitus, non ut rudiarius exerceretur, sed ut veteranus alios exerceret. Sed veniamus ad propositum.

Annis superioribus, ex agnita Cartusiensium in sui Ordinis tenore infracta perseverantia, et maxime ex conspecta Cartusianorum Parisiensium disciplinata in choro modestia, decreverat Carolus Cardinalis Borbonius, Rothomagensis archiepiscopus, ædificare Domum Cartusiensem juxta castrum et oppidum Gallionense, Ebroicensis Diœcesis, Pontificum tamen Rothomagensium speciale patrimonium. Huic promovendæ præfecit D. Petrum Botin, Procuratorem Cartusiæ Nannetensis, sibi a Patribus Ordinis concessum. Cumque modo lente, modo interpolate ædificia pergerent, modo refrigescente, modo animos resumente Cardinali fundatore, tandem anno 1571 obtinuit Cardinalis in solemnibus Cartusiæ Comitiis, ut nova Domus Gallionensis, quæ postea Borboniensis fuit nuncupata sub titulo *Nostræ Dominæ bonæ spei,* Ordini Cartusiensi incorporaretur; et ad instantiam dicti Cardinalis, qui Regis authoritatem atque Summi Pontificis imploraverat, delectus est primus Prior ejusdem novæ plantationis Domnus Joannes Billius, tum Montis Dei Moderator.

Salutatis itaque Patribus de Monte Dei, utrisque vicissim de ejus recessu dolentibus, venit Billius ad castrum Gallionis, ubi tum Cardinalis agebat, qui eum paulo post ad Domum novam adduxit. Ut vero agnovit Billius omnem loci desolationem et rerum penuriam, in quo nec vile tugurium habebatur in quo moraretur, corde sauciatus altius ingemuit, et lachrymas fudit. Existimabat siquidem locum omnimode jam præparatum, cum in eo solummodo fundamenta haberentur. Unde multo tempore coactus est divertere ad cameras castri Gallionæi, victurus inter Curiæ Cardinalis asseclas, qui non ita libenter Cartusianis afficiebantur, quorum etiam ipse contubernium ægre ferebat.

Cum circa materialia ædificia vigilaret aut potius pigritabundus incederet Cardinalis, de alia fabrica, id est spirituali, magis sollicitabatur Billius. Facta enim ei a R. P. Carasso potestate ad se evocandi quos vellet ad fundationem loci spiritualem, studiosius quæsitos et de eorum moribus securus, in unum coegit. Sic namque congruebat, ut prima Domus supellex religiosa exquisita esset imprimis et selecta, cum progenies ventura nonnisi ex speculo et exemplari antecessorum formetur.

Primus itaque advocatus est D. Bartholomæus Millet, futurus Procurator ex Procuratore Domus Fontis B. Mariæ, vir animi candore et prudentia præclarus, qui etiam postea supra multa constitui meruit. Domnus quoque Christophorus Mosnier ex eodem Fonte B. Mariæ accersitus est, qui Procuratoris ageret Coadjutorem. Verum non ita diu ibidem substitit; cum enim die

quadam apud eum Cardinalis ageret familiariter, modeste suggessit præstare Cartusiam redditibus augere, quam tot superfluis et curiosis ædificiis ornare. Excanduit ad hæc verba Cardinalis, quæsiitque ab eo, an pertineret ad eum sic ejus facta censuræ subjicere; accersitoque Billio jussit, ut quamprimum illum censorem emitteret. Quod et factum est; licet mira probitate ac religiositate dictus Christophorus esset conspicuus, quique postea Prior Noviomensis renunciatus est. Sed veritas odium parit. Hujus etiam novæ Domus incola fuit Joannes Mabilius, Conversus Vallis Dei, vir eximiæ sanctitatis. Alios etiam monachos advocavit morum probitate conspicuos.

Angulares igitur hujusmodi lapides in fundamentis suæ Domus ponebat Billius, dabatque cum illis multam operam, ne aliquod offendiculum darent familiaribus et asseclis Cardinalis, qui torve Cartusianos intuebantur. Qui et malignitate et improbitate quadam mille modis Cardinalem deterrebant a promotione novæ fabricæ, rati non modicam prædam eorum manibus accessuram, si cessarent illa ædificia. Ad eorum tamen assultus et oblocutiones Billius nunquam demittebat animum, spondens dicensque suis Fratribus, se bonam spem concipere de futura magnitudine et gloria Cartusiæ Gallionis, quam sic dæmon per suos athletas impugnaret; addebatque juxta axioma sibi familiare : bonum esse omen, quando quis in cœpto bono opere contradictiones patitur. Quod et probatum est postea.

Verum antequam hæc fierent, quæ et quanta pertulerit, ipse solus novit, qui laborem et dolorem ejus consideravit, et pro sua pietate præmiavit. Neque vero tunc solum suæ Domus curam habebat, sed et Convisitatoris suæ Provinciæ onere addictus, necnon et Montis Dei adhuc tanquam Prior habitus, laboribus multiplicatis sub fasce gemebat.

CAPITULUM XI.

BILLII HUMILITAS.

Assertum commune est inter spiritualium Tractatores, omnem sanctum humilem et omnem humilem sanctum. Quia igitur Billius sanctitatis laude inter homines enituit, quid restat, nisi ut eum quoque humilem adstruamus? Et quidem de humilitate cordis et paupertate spiritus, cum studiosissime sua intima celaret, nihil est quod singulariter enunciemus. De humilitate vero exteriori, non quidem illa fictitia quæ familiaris esse solet hypocritis, sed de illa quæ ex corde humiliato procedit et mortificatione ac sui despectione radicem habet, nonnulla nobis suppetunt exempla, quæ proferemus.

Cum primum accessit ad Cartusiam Gallionensem, quam jam suis numeris absolutam autumabat, altius ingemuit, cum nec vile tuguriolum haberet, in

quo cum suis moraretur. Primum itaque ædificium, quod ibidem construxit, fuit vilis quædam domuncula ad ecclesiæ atrium, in qua cum Procuratore multos dies exegit, communi tecto usus. Locus vero ille ita strictus et angustus erat, ut ad procurandum spatium mensa pensili uterentur, quam sumpturi refectionem demittebant. Sic vero voluit primum suæ habitationis domicilium instituere, tam ut paupertati et humilitati consuleret, quam ut bonum de se et suis præberet odorem. Noverat enim plures e famulatu Cardinalis minus Cartusianis proclives, qui ansam quærebant, unde eos perstringerent.

Quantum vero ad conversationis attinet humilitatem, ea potissimum insplenduit in verbis et Billii gestibus, qui et ita incurius circa exteriorem corporis cultum fuisse probatur, ut licet nec nimium nitidus esset, nec nimium sordidus, ad sordes tamen quamvis non affectatas propensior habebatur. Familiaris nimirum res est (teste Willelmo a S. Theodorico ad Fratres de Monte Dei) viris spiritualibus omnia exteriora habere neglecta, quoad cultum pertinet. Animus quippe Deo intentus vix illis exterioribus intendit, quamvis contraria facientes non reprobentur; præcipua quippe munditia commendatur inter paupertatis religiosæ angustias. Munditiæ vero neglectus damnatur omnino in monachis, in quibus nec humilitatis scintilla nec contemplationis ullius lucula deprehenditur.

Magnæ porro humilitatis exemplum enituit in Billio, qui ex verissima sui abjectione nihil unquam exhibuit, quod generis splendorem redoleret, quod pristinæ dignitatis sonaret gloriam. Hoc in more habuit positum, maxime cum Montis Dei gubernaculo intenderet, ut nihil omnino inconsulto aggrederetur, volens in omnibus sui Conventus inhærere consilio. Cumque ea de causa sæpius convocaret Conventum, nonnulli conquesti sunt quare levibus de causis, quas ipse perficere poterat, eos in unum cogeret. Quibus digna sententia verbum reddidit, dicens : « Scio, Patres, scio quid facio, nec ignoro qualiter et quomodo facere debeam ; verum malo, a vobis accepto consilio, vobiscum errare, quam sequendo proprii capitis sensum solus benefacere. »

Cardinalis Borbonius, viro admodum addictus, ita eum honorabat, ut ejus cellam claustralem aulæis et stromatibus ornare voluerit. Sed vir humilis et Cartusianæ simplicitatis æmulus, perbelle Cardinali respondit, se monachum esse atque Cartusianum, nec talibus lautitiis in cilicio indigere : quod sane benigne accepit Cardinalis, miratus humilitatis tantæ constantiam. Compulsus est nihilominus aliquas tabellas pictas accipere ad oratorii usum; quas postmodum Carolus junior Cardinalis Vindocinensis repetiit. Miserat aliquando Cardinalis senior ad Billium lectuli cujusdam ornatissimi et pretiosissimi supellectilem integram, ut in eo

dormiret. Acceptavit quidem munus pius Prior, non ad dormiendum aut ad proprium usum, sed ad templi ornatum.

Quando ad Cardinalis mensam pransurus erat, inter opipare convivantes et exquisita cibaria comedentes, ipse per se quærebat gemina ova sorbilia, et ad coquinam coquenda deferebat, et sic ad mensam Cardinalis accedens iis solummodo frigide reficiebatur. Et sane in præsentia Cardinalis, adstantibus testibus, humiliter admodum se habebat. Si autem cum eo colloquium haberet, familiariter agens, multa verborum gravitate eum in multis castigabat.

CAPITULUM XII.

DE PATIENTIA IN TRIBULATIONIBUS.

Adhuc vide aliud sanctitatis Billii signum, id est patientiam æneam, et infractam inter ærumnas constantiam. Quia enim acceptus erat Deo, necesse fuit ut tentatione probaretur, ut sub tali pugile erudirentur ad luctam Gallionenses alumni. Patientiam ejus in propriis infirmitatibus et in vicissitudinibus rerum, quæ plusquam cæteris imminent cœnobiorum Rectoribus, et unde gravius mordentur, sub silentio pertransiens, ad alias descendo tribulationes.

Cum primum decrevit Cardinalis construere Cartusiam, aperuit votum suum nonnullis ex magis familiaribus, qui mox cœperunt contradicere. In quos incandescens Cardinalis, dixit: « Siccine personam induitis dæmonum? Siccine saluti meæ invidetis? Si voluissem castella aut suburbana ædificare, præsto essetis : nunc quia de monasterio construendo agitur, in quo pro peccatis meis Deo litetur, obluctamini. » Tumque usque ad supercilia pileum demittens : « Diabole, diabole, inquit, te quantumlibet invito, invitisque tuis asseclis, monasterium ædificabitur. »

Accidit insuper post aliquot annos ab ingressu Cartusiensium, ut Cardinalis senior ad Domum Vallis viridis pergens visitaret quemdam monachum seniorem, nomine Domnum Chasnee; qui inter cætera ei aperuit, quomodo ejus familiares, et inter cæteros quidam abbas ejus domus administrator, ipsum in multis decipiebant, et de substantia ejus, eo inscio, suas saburrabant crumenas. Respondit Cardinalis, hæc non eum latere, sed se nolle privari abbate illo, qui domum ejus regebat. Rediit post pauca Cardinalis ad propria, et mox cum ira conversus ad suos, dixit : « Omnes quotquot hic estis, substantiam meam diripitis. »

Hæc fuere semina jurgiorum ac inimicitiarum adversus Cartusianos, quarum potiorem partem Billius sustinuit, licet et alii etiam a domesticis Cardinalis exagitarentur. Decernebat quandoque nonnullam pecuniæ summam Cartusianis assignare Cardinalis, et hanc nonnisi truncatam et decimatam ipsi accipiebant. Exprobravit aliquando domesticis

ipsius Cardinalis Billius, quod summam octoginta millium librarum, quam Carolus IX Rex Cartusiæ Gallionensi concesserat, ipsi inter se dispertiissent, cujus ne obolum quidem Cartusiani contigerant. Iidem domestici multa de Cartusianis obloquentes, et substantiam domini sui demetentes, efficiebant, ut et Cardinalis ad congruas expensas accelerandæ Cartusiæ opes non haberet, ac tepesceret plurimum a fervore pristino. Sæpius comitabatur Cardinalem cum Patre Simone Regnoult, Priore Fontis B. Mariæ et Visitatore Franciæ, quo eum ad perficiendum opus cœptum urgerent. Verum si quid cum eo decrevissent, confestim a supervenientibus Satanæ administris irritabatur, profligabatur, pessum ibat.

Tanta porro Billius authoritate assidebat ipsi Cardinali, ut eum sæpius conveniret, intimaret quæ illi animæ pericula instarent, quæ ratio Deo reddenda esset ex eo potissimum quod indignis conferret Sacerdotia, iisque servitoribus suis ignobilibus, qui nihil nisi rapere et ejus nomine indigne agere noverant. Aiebat quoque se alias etiam similiter infatuatum, cum in sæculo esset, indignis Beneficia ecclesiastica conferendo; sed ea de causa eum valde pœnituisse. Consimili zelo fervebat in quosdam Cardinalis asseclas Sacerdotiorum polygamia laborantes : quorum gratia Librum quemdam, de ea materia a Dionysio Cartusiano editum, Gallica veste donaverat et typis mandaverat. Hujus quoque exemplaria quædam de industria sibi excidere sinebat, ut ab illis Beneficiorum parasitis et mangonibus colligerentur et legerentur.

Indignabatur nonnunquam et sæpius adversus Cardinalem, quod ita cunctanter et morose ferebatur ad fabricæ illius consummationem, minabaturque se propediem eam restituturum, et ad eremum propriam se recepturum, nisi cœptis ferventius insisteret. Cujus minis interdum Cardinalis quatiebatur, et ad familiares suos dicebat : « Meus Prior austerum admodum mecum agit. Sed vir sanctus est. » Et revera cum Billius de seriis cum eo tractaret, nihil contradicebat Cardinalis, quia metuebat illum. Tantam vero familiaritatem apud eum invenerat, ut nonnunquam in dormientis cubiculum non vocatus se ingereret, sederetque juxta lectulum ejus meditationi aut legendis Horis intentus, donec Cardinalis excitatus surgeret, et sic cum eo tractaret de negotiis. Et cum aliquando Cardinalis expergefactus videret adstantem et assidentem sibi Billium, aiebat ad eum : « Eia, mi Prior, jam advenisti ita mature? » Respondebat Billius : « Dormi secure, mi Cardinalis, nondum adest hora surgendi. »

CAPITULUM XIII.

DE OPUSCULIS SCRIPTIS A BILLIO.

Nunquam calamo manum admovit, nisi compulsus Superioris obedientia, sicque se dedit translationi librorum.

Primus ejus fœtus fuit translatio *Dialogi de Perfectione Charitatis* editi a Dionysio Cartusiensi, cujus operibus mire delectabatur et vitam quoque æmulari gestiebat. Penes se hujus habebat effigiem ad vivum expressam, quam et Andreas Thevetus se accepisse a Billio gloriatur in Libro *De Viris illustribus.*

Incepit et aliud opusculum apud Montem Dei, quod perfecit apud Gallionem, scilicet *Tractatum Sectarum atque Hæresum hujus temporis* (quas hoc tempore Hæretici ab inferis revocarunt), una cum confutatione earumdem.

Vertit etiam Exhortationem quamdam piam. Item *Enchyridion Militiæ Christianæ* a Joanne Lanspergio editum, cujus authographum asservant Cartusienses Montis Dei.

Composuit *Exhortatorium ad opera misericordiæ.*

Transtulit Tractatus divi Joannis Chrysostomi, *Quod nemo læditur nisi a se ipso,* et *Comparationem Regis et Monachi.* Item *Speculum* Ludovici Blosii Abbatis et *Sententias Patrum* ab eodem Blosio.

Item transtulit e Latino in Gallicum *Historiam Sanctorum Barlaam et Josaphat,* quam Jacobus ejus frater e Græco in Latinum converterat. Item Librum Dionysii Cartusiani *contra pluralitatem Beneficiorum.*

Composuit etiam librum Sermonum in Dominicas.

Evulgavit et alia opera, in quibus talentum sibi concreditum non abscondit sub modio. Quod si per ægritudinem et otium licuisset, aliis iisque potioribus operibus nomen suum posteritati consecrasset, cum scientia non mediocri et lectione multiplici polleret. Verum cum pluribus et maxime parvulis intenderet prodesse, humilitate dictante et refugiente gloriam, trivialibus istis tantummodo lucubrationibus se distineri passus est.

CAPITULUM XIV.

BILLII MORS.

Quid vero ex tantis laboribus lucratus fuerit Billius, nunc pandendum est. Vix unquam perfectæ sanitatis extitit. Qui enim ex tot delitiis ad tantas vitæ austeritates devenerat, nonnisi morborum scaturigines nactus fuerat. Virilitatem vix egressus, videbatur, ex congestis ægritudinibus et recrudescentibus infirmitatum aculeis, jam ad senio confectorum sortem transiisse. Nam asthmate et pulmonis vitio laborans vitam miseram trahebat. Tandem pallidus, ex toto arefactus corpore, cum ex toto deficeret, accedente levi febricula, vivere desiit anno 1580, die 30 Junii. Hujus mortem cum agnovisset Cardinalis Borbonius valde doluit, dixitque adstantibus : « Dimidium animæ meæ secum abstulit Prior meus. » Post mortem vero, ut sanctitati ejus congruus daretur tumulus, curaverunt Cartusiani Gallionenses ipsum deponi

in sacello Sancti Sepulchri ejusdem Cartusiæ.

Fuit Billius vir statura procerior, sed macie aridus; paululum reflexo ad humerum collo, modicum capite pendulus, ita ut quasi dorso recurvus videretur; genis gracilibus, vultu venerandus, oculis plus modestis quam vivacibus; ex modico labore itineris vel locutionis anhelus; ad iram ex natura præceps, sed castigatus ex religiosa mortificatione. Ita denique sui corporis et habitus incurius, ut plerumque cucullæ anterioris implicatus fimbriis ad terram decideret, nec eam a parte posteriori relevaret. Omnis ejus locutio, incessus, consuetudo modestiam et simplicitatem Cartusianam sapiebant.

Cum aliquando ad Regem Carolum IX, a quo valde colebatur, intraret ob negotia sibi commissæ Domus, ad Luparæ vestibulum veniens, obvios habuit maleferiatos quosdam ex ephebis, qui eum subsannaverunt clamantes post eum, ipsumque vocantes torticollem irrisorio nimirum scommate. Indoluit pius Pater videns non Billium, sed virum Religiosum irrideri eo maxime tempore, quo ex novæ Religionis dogmatibus monastica Vita despectui habebatur. Deferuntur interea querelæ ad Regem, qui statim excandescens jussit cunctos illos nobiles ephebos districtis flagris subjici. Qui cum rescivissent ipsum Regi charum, atque familiæ Billioprunææ primogenitum et alias hæredem; cum postea ad Regem rediret, ita honorabatur ab illis, ut ex honoris abundantia vir modestissimus insigni rubore suffunderetur, licet in eo potius prosapiam quam religionem honorarent.

Similiter in Curia Cardinalis Borbonii magnus habebatur Billius, non tam ex religione quam ex genere, non tam ex sanctitate quam ex authoritate. Noverant siquidem ipsum apud Cardinalem in pretio haberi, cui si aliquid minus gratum procurassent, verebantur quantocyus a foco sui domini eliminari, et computari inter mendicabula ostiaria.

Inter cæteros qui Billium existimabant, fuit R. P. Bernardus Carassus, sicuti testantur litteræ ad eumdem scriptæ. Quando dictus Billius a Prioratu Montis Dei exauctoratus est ut Gallionensi Cartusiæ præficeretur, noluit dictus R. P. Generalis ipsum Billium ideo a cura Montis Dei absolvere, nec alium pro eo substituere Priorem, sed tantum Rectorem per integrum circiter biennium, id est, D. Joannem Ponsardum, virum in temporalibus experientissimum et multa probitate ac prudentia laudabilem; in cujus institutione facta per Capitulum generale anni 1571 hæc verba habentur : « Et Domnus Joannes Ponsardus bonam observantiam Ordinis, quam D. Joannes de Billy Prior progenuit, conservare arctius studeat et nihil magnæ importantiæ immutet sine consilio dicti D. de Billy Prioris Domus Gallionis. »

Ponsardo Rectori successit postea D. Bertrandus Morellus, alias Procurator sub dicto Billio, sed cum titulo Prioris; in cujus institutione idem R. P. Bernardus scripsit ad eumdem Bertrandum, « ne quid inconsulto D. Billio Priore Gallionis aggrederetur. » Et denique ad eumdem Billium scribens, dicebat : « Licet V. Paternitas tua absoluta sit a Prioris officio, noverit tamen Domum Montis Dei semper sibi esse commendatam. »

Idem R. P. Bernardus laudat Billii sollicitudinem pro negotiis expediendis, sic : « Venerande Pater et Frater in Christo charissime, non possumus non amare et laudare vestram in curandis negotiis nostris et Ordinis diligentiam et prudentiam, prout in litteris vestris agnovimus, etc. Cartusiæ, 1 Septemb. 1575. »

Quomodo se impenderit Billius pro Cartusia Majori contra Episcopum Gratianopolitanum, præfatus Bernardus ad eumdem Billium scribens, testatur his verbis : « Recepimus tandem negotiorum nostrorum litteras expeditas, gratias ingentes vestræ Venerandæ Paternitati agentes pro tot laboribus, sudoribus, ærumnis et pia sollicitudine vestra, quibus nos et Domum nostram vobis arctissimo vinculo magis ac magis devincitis. Rogamus, ut tam bona voluntas et indefessa charitas cum in nos ipsos ac Domum nostram Cartusiæ, tum etiam in universum Ordinem nostrum perduret atque perseveret, maxime cum in dies novæ necessitatis occasiones emergant. Expeditis quippe per vestram Paternitatem Venerandam negotiis nostris, repente orta est alia tempestas, quæ gravem minari videtur jacturam, nisi hac etiam in re nobis suppetias pro vestra facultate feratis. Pyratas quidem non timemus, sed nostrates ipsos, hoc est, eos qui nostri Ordinis protectores aut fautores præcipui vel etiam conservatores dicuntur : Episcopum dico et Clerum Gratianopolitanum, qui dum pro sua libidine pecuniarum summas a Rege exactas partiuntur, iniqua nimis partitione seque et suos levant, nos autem ac nostros oneribus Ætna (ut dicitur) gravioribus gravant, evacuant, deprimunt etc. 12 Sept. 1576. »

Strenue etiam Billius ad instantiam R. Bernardi laboravit pro extinctione schismatis, quod nonnulli Hispani moliebantur; interponens siquidem, mediante Cardinali a Borbonio, authoritatem Regis Galliarum apud Summum Pontificem et Hispaniæ Regem, in unione et pace conservavit Ordinem nostrum : de quo quidem schismate pauca referemus in Elogio D. Ferdinandi de Pantoja.

Idem etiam Bernardus scribens ad Billium hortatur, ut suæ valetudini indulgeat, et frenum adhibeat suæ austeritati : Billium siquidem existimabat tanquam Cartusiensi familiæ utilem ac pernecessarium.

Scævola Sammarthanus in Elogiis

Gallorum doctrina illustrium, agens de Jacobo Billio et Joanne fratre, ista disseruit : « Jacobus Billius Prunæus ex nobilitate Carnutensi, Guisiæ natus est, proximo Attrebatum et Hannonum finibus oppido, quod Ludovicus pater, homo strenuus et spectatæ in bello solertiæ, Francisci Primi nomine tum regebat. Is autem diversa vitæ ratione et instituto inter Musas educatus, litterarum et sapientiæ studiis inclarescere maluit. Erat Ludovico et filius major Joannes, duobus opulentissimis in ora Santonicæ cœnobiis præfectus. Qui cum præ nimio rerum humanarum tædio subducere se hominum congressibus et in secessu Cartusiano severiorem Vitam agere meditaretur, etc. »

Agit etiam de Billio Bibliotheca Cartusiana.

PETRUS EMMANUEL

PRIOR DE PAULARI

Nobilissima stirpe ortus, filius fuit Gundisalvi Emmanuel (vel ut aiunt Manuel), Equitis Ordinis S. Jacobi, et Mariæ Deça sororis Eminentissimi Cardinalis Deça, et Archidiaconus de Calatrava sanctæ Ecclesiæ Toletanæ. Hoc et aliis opimis præditus Beneficiis, sex mille aureos ducatos quotannis percipiebat. Juvenis insano cujusdam puellæ nobilis amore captus, quamvis pater suam sollicite filiam suam custodiret, per literas tamen libidinem significat domicellæ, quæ Petro noctem conduxit, qua ipsi faceret satis. Interim dum amanti nihil esset difficile, amore alas addente, sericam pretio comparavit scalam, per fenestras cubiculum suæ amatricis ascensurus. Erat alta admodum cameræ contignatio. Per noctis igitur silentia, famulo consiliorum suorum conscio stipatus, pergens ad has ædes, ligatam puellæ ministerio ad fenestram scalam subibat, cum dissoluto fune serico decidit inter servi brachia. Postridie famulus obiit disrupto felle. Casus iste pro doctore fuit Emmanueli, qui periculo, quod evaserat, factus cautior, statuit Cartusianis suum dare nomen.

Præsentiens ea quæ suus pater objecturus erat huic consilio impedimenta, iis prospexit in hunc modum. Pergens Salamancam studiorum gratia monuit de Paulari Superiorem, ut juxta pagum monasterio proximum, ubi noctem erat acturus, mitteret ei mulam. Re sic peracta, post cœnam se se subducens a famulorum conspectu, nocte concubia per fenestram desilit, condicto loco conscendens mulam properat ad Cartusiam. Annos viginti duos natus eleganti admodum forma juvenis ibi gratanter excipitur; dum famuli mane frustra per ædes quæsitum non reperientes, Matritum remeant, renunciaturi fugam illius patri, præfatæ urbis Gubernatori. Doluit is inscius quid filio suo acciderat, et ubique mandat investigari. Sed incassum, donec Petrus

Novitii indutus veste, eidem significat se apud Cartusianos secessisse, subticens nihilominus Domum ubi degeret.

Sed anxius Matritensis Gubernator tandem locum detegit. Quod præter nati sui amorem, ejus lancinabat animum, erant opima Beneficia, quibus orbandam esse suam videbat familiam, quorum gaudebat reditibus. Spe plenus erat etiam aliarum dignitatum, ad quas sibi filius in sæculo remanens viam stravisset præclaris naturæ dotibus, natalium splendore, fretus aliunde Cardinalis avunculi auctoritate. Ad tristitiæ cumulum accedebant debita ex solutione Pontificii diplomatis ob Archidiaconatum contracta, quibus se expediturum ex hujus reditus annui perceptione sibi pollicebatur. Omnem igitur movens lapidem ut filium revocaret a proposito, Nuncii Apostolici auctoritatem interponit, causatus æs alienum, quo Novitius præpeditus non poterat votis constringi monasticis, donec satisfecisset creditoribus. Id Deus permisit non ad illius ruinam, sed ad probationem. Sedata siquidem tempestate, pater filium videns propositi tenacem, divinæ acquievit voluntati, ea cautione, ut Petrus professionem procrastinaret, quoadusque se liberasset ære alieno. Debitis per octodecim Novitiatus menses persolutis, abdicans Archidiaconatum in fratris sui gratiam, anno 1607, die 29 Septembris solenniter se famulatui divino consecravit.

Magnam sui concitaverat tempore tyrocinii expectationem, cui plane postea satisfecit, dum omnigenis effulsit virtutibus. In ipso suæ probationis exordio, quanto major in sæculo fuerat, tanto minor esse et apparere coram hominibus studuit. Vota sua reddendi Deo impatiens, ægre tulerat ipsis moram afferri; verum suis in oculis sibi vilescens, hoc honore se prorsus indignum reputabat, et suam inter sanctos sortem minime collocandam est arbitratus præ peccati sui, quod contra se erat semper, consideratione; atque ideo quanquam solitudinis esset amator, maluisset tamen, si licuisset, adscribi inter Conversos, quo ad viliora Domus ministeria deprimeretur.

Perspecta interim Superioribus morum Petri probitate, primum Granatensis Procurator fuit institutus, deinde ibidem Vicarius; quod officium postea dimisit præ desiderio solitudinis, cujus tranquillitate non diu potitus, interposito bis obedientiæ præcepto ad Granatæ moderamen. Sustinuit hoc opus per quinquennium; quod impar suæ humilitati sentiens, post instantissimas preces excussit, relicto apud Granatenses monachos ingenti sui desiderio. Natus ad regimen aliorum, vix gustabat cellulæ quietem, cum coactus est a R. Patre administrationem Domus de Paulari capescere. Verum opportune importune agens, anno 1634 a Visitatoribus in Ordinem redigitur; se seque recipiens ad Granatensem Cartusiam, ibi diem clausit extremum.

Perfectus Christi humilitatis imitator fuit etiam et ejus mansuetudinis sectator eximius, qua quidem ita præcelluit, ut nemo unquam Petrum viderit iratum, nemo audierit verbum asperum ex ore illius excidisse. Erat quippe in omnes officiosus, affabilis, benignus, omnia disponens suaviter. Fuit præterea inter varias infirmitates patientissimus. Sub suæ conversionis initium quartana febre molesta admodum et diuturna laboravit, ob aeris inclementiam, donec migraret Granatam, ubi paululum convaluit; verum cum delicatioris esset complexionis, per totum vitæ spatium non ei defuit patientiæ materies. Hæmorrhoidibus accerbissimis cruciatus, nonnunquam exanimis remanebat sanguinis effusione : nolebat nihilominus præ pudore medicam huic malo adhiberi manum; alia etiam levamina recusabat, se se Deo offerens in hostiam mortificationis. Nec a divinis Officiis aberat, nisi, cogente morbo, affigeretur lectulo, quoad disciplinam regularem se se exhibens in omnibus irreprehensibilem.

Hancce observantiam Deus remuneraturus non permisit servum suum cibis vetitis coinquinari. Aliquando siquidem Petrus Cordubæ apud patrem suum graviter ægrotans, cum in dies deficeret, jamque fere de eo esset conclamatum, jussit pater filio jusculum ex gallina confectum propinari, ea solertia ut ægrotus fraudem non deprehenderet. Paruit hero coquus, sororque Petri offam fallaciter conditam, ne carnem odoraretur, ad instar pulmenti blande porrigit. Vix scutulam ille acceperat, cum statim dimisit, dicens jusculum sapere canem mortuum. At illa pelliciens fratrem ad sorbendum, degustat offam, beneque olere testatur, sed frustra; nam Petro tetrum scutulam afflare odorem asseverante, hancque respuente cum nausea, pater dedit gloriam Deo, fassusque culpam, fuit in abstinentiam Cartusianorum postea reverentior.

Impense deditus fuit spiritualibus exercitiis Petrus noster, qui solebat quotidie duas horas in oratione traducere; cumque aliquis tunc eum conveniebat, quamvis vir Dei lachrymas ab oculis suis abstergeret, nihilominus has nequibat celare. Mira cum devotione peragebat Sacrum, cui Sacrificio ministrabat cum volupe, quamdiu et monachum egit et Vicarium; unde diligens decorem domus Domini, templum ejus satagebat adornare, et iis, quæ poterat, decorare divitiis. Tenuis admodum et modica erat Cartusiæ Granatensis sacra supellex; cujus monasterii ubi primum administrationem capessivit, sollicitus circa quæ spectabant ecclesiam, hanc multis hinc inde collectis ditavit eleemosynis.

Beatam Virginem summe amabat, cujus, præter alia suæ in eam devotionis exercitia, quotidie recitabat Rosarium Dominici Trevirensis Cartusiani. Utque eamdem aliis instillaret devotionem, Rosarium hoc bis typis mandari curavit.

Verum cum Latinis rythmis elucubratum non omnes intelligerent, ipse aliquando febre laborans, Dominici carmina transtulit in versus Castellanos, licet plane ignarus Hispanæ poeseos. Hoc opus cum plausu fuit recusum.

Mariam interim cum Martha ita conjunxerat, ut non negligeret temporalia, quæ Deus etiam suis cumulavit benedictionibus. Id patet ex reditibus Cartusiæ Granatensis, qui cum essent admodum tenues, Petri industria fuere multiplicati. Cum ibi ageret Procuratorem, profectus Matritum negotiorum causa, unum e famulis quos in sæculo degens habuerat, carceribus detentum visitavit. Jacebat ille ad extremam redactus miseriam, tum propter illatam ei quæstionis pœnam, tum propter paupertatem. Motus Procurator in calamitosum misericordia, stipem trium scutorum erogat, quæ quamdiu ille mansit in carcere, adaucta divinitus abunde satisfecit impensis summam hanc longe superantibus.

Abdicata temporalium administratione, jam ab octo mensibus sibi vacabat, cum levi correptus febre, præsagiit extremam imminere sibi diem, licet medicus morbum lethalem non judicaret. Totius vitæ noxis Confessione repurgatis, accuratissima præparatione munitus, spiritum Deo reddidit 30 Junii, anno 1635.

Ejus Vitam prolixe scripsit D. Bruno de Solis, professus de Paulari et alias Prior de Aniago.

MENSIS JULIUS

I DIE JULII

JODOCUS CHRISTEN

PRIOR ERFORDIÆ

Non minus doctrina quam pietate, religione ac regendi peritia clarus ; ex regimine Domus Passionis Christi prope Lechnitz ad Erfordiæ moderamen assumptus, magna cum laude suum obivit munus; deinde primus Rector institutus Cartusiæ Transfigurationis prope Conradsburg, aliis etiam Domibus non minus sapienter quam utiliter præfuit. E vivis excessit anno 1500, die 1 Julii.

De eo mentio fit in Chronico Cartusiæ Erfordiensis.

CAROLUS PEETERS

DONATUS BRUXELLÆ

Vir magnæ mortificationis et exemplaris admodum conversationis; cujus ea fuit abstinentia, quamdiu stetit in Ordine, ut non solum carnes, quibus ipsi vesci licitum erat, sed etiam pisces nunquam comederit. Pie moritur anno 1606, sub initium Julii.

Chronicon Bruxellense.

II DIE JULII

HUGO

PRIOR VALLIS BONÆ

Omni virtutum genere decoratus ; post laudabilem commissi sibi muneris administrationem, cellæ quieti redditus, sancte decessit anno 1294, die 2 Julii. Perhonorifica fit mentio Hugonis in Vita B. Margaretæ Priorissæ de Polletens.

IDA DE ROSNY

COMITISSA DE DREUX

Toparchissa Darenes, uxor Matthæi de Trie Franciæ marescalli (ad quorum amborum instantiam circa annum 1341 ecclesia Monialium Gosnay dedicata fuit, quorum et aliorum eleemosynis fuerat constructa). Post mortem viri

sui in hoc parthenium se recipiens, tanta ibidem humilitate præcelluit, ut angustissimam elegerit sub monialium dormitorio cameram, rata se cum illis indignam habitare. Bonis operibus et Christianæ pietatis addicta exercitiis, in hac Cartusia feliciter diem extremum clausit anno 1375, 2 Julii, sepulta in choro monialium sub lampade.

Ex Mss. hujus Domus.

JOANNA DAUFFAY

PRIORISSA GOSNAY

Per annos triginta Priorissam agens summa cum vigilantia et disciplinæ regularis observantia, post transactos in Ordine annos quinquaginta, meritis dives ad Christum Sponsum evolavit, anno 1442, die 2 Julii.

Ex Mss. hujus Domus.

JOANNES DE TORDE LAGUNA

MONACHUS MIRAFLORES

Religiosus columbinæ simplicitatis; ita sollicitus circa custodiam linguæ, ut nunquam ex ore verbulum exciderit incompositum, vel quod ad rem non pertineret. Summa et ardenti in Deum simul et homines charitate ferebatur; quamdiuque vixit in Ordine, se se semper exemplar bonorum operum præbuit. Per annos triginta tres Sacristæ officium exercuit ea cum sedulitate, vigilantia et devotione, ut omnibus esset admirationi. Demum cum quinquaginta annos stetisset in Ordine, nunquam a via perfectionis deflectens, sanctissime vitæ cursum absolvit, anno 1534, die 2 Julii.

Ex Mss. hujus Domus.

THEODORICUS A STOMPWICK

PRIOR DIEST

Hollandus patria; professus hujus monasterii, cujus post suum excidium in utroque statu fuit restaurator; vir ob morum probitatem, eximiam devotionem, exemplarem vitam et disciplinæ regularis observantiam laudatissimus. Feriis sextis solo pane et aqua victitabat. Post multos exantlatos labores, anno 1621, die 2 Julii, ad beatam immortalitatem migravit a Domino remunerandus. Cujus anima post illius mortem visa fuit a pio quodam monacho, instar spheræ seu stellæ igneæ subobscuræ, per spatium illud quo persolvebantur Laudes Defunctorum pro ipso; quibus decantatis visa est lucidior evasisse, ac tunc evanuisse ab oculis cernentis.

Petrus du Wal, Cartusianus Bruxellensis. Gerardus Eligius ejusdem Domus monachus. Petræus in Bibliotheca Cartus.

III DIE JULII

MICHAEL BECHLIN

SACRISTA BUXIÆ

Hoc munium per sexdecim annos exercuit magna cum vigilantia; orationi deditissimus. Decessit anno 1495, die 3 Julii, relicta ingenti virtutum suarum apud omnes fragrantia.

Chronicon hujus Domus.

MICHAEL SABATHER

MONACHUS SCALÆ DEI

Natus in oppido de Pons, comitatus Urgellensis; die 10 Maii, anno 1469, in Religionis nostræ gremio recipitur, ubi post emissa professionis monasticæ vota, per arma justitiæ et pœnitentiæ Deo serviens, sensuum mortificationi, vigiliis, jejuniis, orationi rerumque cœlestium contemplationi addictus, totam Domum suæ sanctitatis odore replens, super custodiam Sanctuarii constitutus est.

Per quindecim annos Sacristæ officium exercuit magna cum devotione ac perfectissimæ benignitatis laude; adeo ut, cum in inferiori domo Scalæ Dei, quam Correriam vocant, morbus epidemialis grassaretur, Prior, cui Michaelis virtus perspecta erat, eum elegerit, qui Sacramenta peste laborantibus administraret. Audito Superioris mandato, mox genibus flexis gratias agens, dixit: « Bone Jesu, tibi refero gratiarum infinitas actiones pro bono nuncio quod audivi, quia descendam obediendo moriturus. » Igitur in nobilissimæ charitatis opere inserviens curandæ saluti peste afflictorum, contracta hac lue, vitam mortalem conclusit anno 1507, immortali beandus.

Annales Scalæ Dei.

IV DIE JULII

NICOLAI ALBERGATI
EPISCOPI BONONIENSIS CONSECRATIO

Facta anno 1417, die quarta Julii, in æde Cartusianorum Bononiensium.

Ex ejus Vita.

JOANNES HAUPTIUS
PRIOR ASTHEIM

Cujus memoria celebratur in Catalogo Priorum hujus Domus his verbis : « Joannes Hauptius Visitator vigilantissimus, magni judicii vir et experientiæ, gravis, doctus, zelator Ordinis, et quasi speculum omnis pietatis et honestatis. Ecclesiam hujus Domus cum adjuncto sacello, Capitulum, Vestiarium, Bibliothecam, Prioratum et multa alia ædificia e fundamentis cum elegantia erexit, ut immortalem ex hoc meruerit laudem. » Obiit in actu Visitationis, Moguntiæ, anno 1591, die 4 Julii; fuit etiam Prior Herbipolis.

V DIE JULII

ANONYMUS
CONVERSUS GANDAVI

Religiosus probatæ vitæ et insignis patientiæ ; qui, cogente necessitate spicas colligens in agro alieno, quem suæ Domus esse credebat, a domino agri graviter alapa percussus non solum patienter tulit, sed etiam veniam petens placavit percutientem ; ac deinde percussor ille nocte sequenti tanto terrore correptus est, ut primo mane ad Cartusiæ Priorem pergens veniam poposcerit et in pœnitentiæ signum omnes suas terras eidem monasterio sponte obtulerit. Florebat ille circa annum 1340.

Antiqua Monimenta Gandavi. Hujus Fratris Conversi meminit Ganneronius in suo Martyrologio ad hanc diem.

JOANNES GUILLOIRE
PRIOR DIVIONIS

Antea Prior Ligeti, vir sanctæ vitæ; obiit anno 1553, 5 Julii.

Catalogus Priorum Divionis.

SIMON REGNAULT

PRIOR PARISIENSIS

Vir venerabilis, totus ad modestiam compositus; candoris, doctrinæ, humilitatis et religiosæ conversationis exemplis refulgens. Qui cum Procurator esset Cartusiæ Parisiensis, commendata sibi ab aliis Domibus negotia fideliter, sincere et sagaciter tractans, haud vulgari expediebat diligentia. Factus Prior Vallis S. Petri, totum se pietati dabat, chorum diu noctuque frequentans infatigabiliter. Translatus ad moderamen Cartusiæ Parisiensis, dum Provinciam Franciæ visitaret, apud castrum Theorici peste correptus, ibidem occubuit anno 1636, die 5 Julii, ingenti relicto sui desiderio, ob singularem regularis observantiæ illius zelum moresque castigatissimos.

Ex Catalogo Priorum Cartusiæ Parisiensis.

VI DIE JULII

ALBERTUS BUEZ

PRIOR BASILEÆ

Spectatissimus vir, magister in artibus, ac medicus Doctor; qui cum præfuisset Domibus Trajecti, Ruremundæ ac Monichusen, admotus administrationi Cartusiæ Basileensis, magna apud Cardinales Concilii causa ibidem congregatos gratia polluit : erat siquidem in temporalibus simul et spiritualibus multum expertus, pacificus, ac insigni præditus pietate. Tandem post multos labores exantlatos, de Ordine optime meritus, ad cœlos, uti sperare par est, feliciter evolavit anno 1439, die 6 Julii.

Ex Chronico Cartusiæ Basileensis.

JUDOCUS DE NECKERE

PRIOR GANDAVI

Alumnus hujus eremi, cujus gubernaculum tenuit per quatuor annos, se se bonorum operum præbens exemplar; verum ob nimiam in alios bonitatem exauctoratus, placide obdormivit in Domino, anno 1549, die 6 Julii.

Catalogus Priorum.

JOANNES DE CASTRO

PRIOR VALLIS CHRISTI

Toleti natus, anno 1485, ex nobili perillustrique familia de Castro; infans adhuc, quanto excelleret ingenio præsa-

giebat. Adolescens hoc feliciori naturæ dono cumulatus, Lutetiæ Parisiorum litteris et sacræ Theologiæ operam dedit. In quibus tam ingentes brevi tempore fecit progressus, ut magna cum laude Doctoris gradum in alma Parisiensi Academia consecutus fuerit.

Ibi aliquot annis magno cum plausu Theologiam professus, multosque ad hanc scientiam erudiens, discipulum habuit S. Ignatium de Loyola, anno 1528 Parisiis versantem, cum quo singularem contraxit amicitiam; cum enim ambo collinearent in suæ salutis opus, mentis arcana sibi invicem patefaciebant. Amore divino sic eos connectente, Ignatius a Joanne sacris initiatur litteris; ab Ignatio Joannes ad scientiam præstantiorem instituitur : mysticæ siquidem Theologiæ Ignatius peritissimus magister, ita discipulo suo lac devotionis instillavit, ut Joannes in alterum mutatus, terrena fastidiens, humilitatem profundissimam, austerioris vitæ genus, sensuum mortificationem, perfectum sæculi suique ipsius contemptum, cæteraque ejusmodi, sui magistri imitator sectaretur.

Interim vacabat assidue orationi rerumque cœlestium contemplationi, quarum amore illectus sæculo valedixit, habitum Cartusiensem suscepturus. Calcar et animos addebat ei Ignatius, ut meditatum opus perficeret. Igitur abdicat se cathedra, gloriam apud eruditos Academiæ Parisiensis partam abjicit, nuntium remittit discipulorum frequentiæ, amicorum familiaritati, induensque novum hominem venit Valentiam, in Castellam postea profecturus ut inter istius Provinciæ Cartusianos adscriberetur.

Verum moræ impatiens lustravit primum Cartusiam Portæ Cœli, deinde Domum hanc. Quam cum vidisset tanquam stationem suæ saluti peridoneam, veritus ne reditus suus in patriam suam obesset divinæ vocationi, Bernardo Margarit Cœnobiarchæ Vallis Christi religiosissimo suæ mentis propositum aperit. Bernardus igitur ubi primum Joannem verbis humilibus, ardentibus tamen ac Dei Spiritum redolentibus animi sui sensum, ætatem, austerum vitæ genus quod vixerat in sæculo, studiaque explicantem audit, mox agnoscit hominem insigni virtute præditum, ac pro ea animi prudentia qua pollebat, eximium illum Dei servum aliquando futurum præsentiens, eum anno 1535, die 23 Junii, in numerum Novitiorum cooptat.

Vix habitu donatus fuerat, cum monachi pedibus manibusque paululum debilem eum viderent, eos pœnituit tam præcipitanter admisisse hominem quinquagenarium, imparem Ordinis oneribus portandis. Verum cum nihil Joanne humilius, nihil obedientius, nihil honestius, nihil denique ad omnem sanctitatem aptius deprehenderent, ipsum unanimi consensu velut Vallis Christi decus et ornamentum ad professionem recipiendum existimarunt.

Sub id tempus S. Ignatius de Loyola, studiis Lutetiæ Parisiorum absolutis, reversus in Castellam, de amico sollicitus, circa anni 1536 exordium venit ad hanc Cartusiam. Amborum necessitudine ad virtutis profectum solummodo tendente, mira fuit illorum lætitia qua se mutuo salutarunt, mira conversatio, mirus colloquiorum ardor, quibus se se invicem inflammarunt ad divina.

Mansit in hoc monasterio Ignatius per octo dies, frequens in divinis Officiis, gaudensque tranquillissima quiete solitudinis Cartusianæ, suavissimaque conversatione monachorum, quibus arcana mentis aperuit; cui Patres calcar et animos addentes, præsertim Joannes de Castro, Joannes Cavero, et Thomas Lobet, ipsi Ignatio quondam in sæculo valde familiares, ei nihilominus suaserunt, ut ne cito navem conscenderet petiturus Venetias, præ metu Ænobardi maritimi grassatoris. Verum Ignatius lorica fidei armatus, fretusque Dei fiducia, monachis valedixit, eo profecturus quo vocabat zelus animarum.

Interim cum Joannes probationis annum absolvisset, anno 1536, die 24 Junii, per vota professionis in Religionis gremio recipitur a D. Hieronymo Montessa Priore Portæ Cœli. Porro si tyrocinii tempore, imo si cum necdum esset indigena Religionis, tam studiose adversus carnem et sanguinem decertaverat, ut opimis multarum virtutum spoliis onustus ad solemnia vota processerit; tanto sane vehementius ad majora deinde charismatum meliorum studia animum accendit, quanto se inter domesticos ac familiares in Domo Dei adscriptum, ac novo sacræ professionis vinculo agnovit obstrictum ad perfectiora. Quapropter perinde ac si tunc primum ad Dei servitutem accessisset, magna cum humilitate, sui ipsius contemptu, perfecta mentis et voluntatis abnegatione, sensuum omnium integra mortificatione, admirabili fervore spiritus, quo dura et aspera omnia Christi causa amplexanda, nedum perferenda jam sibi a principio præstituerat, novum vitæ tyrocinium aggreditur.

Ita solitarius erat et ab omnium familiaritate semotus, ut raro e cellula exiret. Noverat enim innumera propemodum esse solitudinis bona, quæ hominum familiaritate deperduntur; noverat solitudinem lites nescire, odia ignorare, non vacare detractioni, silentium fovere, nutrire orationem, jungi Angelis, Deo frui, id ipso Domino per Prophetam attestante : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus*. Noverat Arsenio olim hanc e cœlo vocem redditam : « O homo ! fuge homines et salvaberis. » Quanquam autem Joannes ob tot quæ ex ea nascuntur bona solitudinem diligeret : eo tamen ad illam potissimum pertrahebatur, quod in ea velut in portu consistens, ab hominum conturbatione atque a rerum omnium cura et strepitu semotus, liberius suaviusque orationi ac rerum divinarum contemplationi vacaret; in

qua cum arctius se se Deo conjungeret, divinæque charitatis vinculis fortius animum alligaret : plerisque etiam ab eo cœlestibus donis cohonestabatur.

Quamvis tot spiritualibus inter prolixissimas orationes afflueret delitiis, cum ei fuisset imposita ægrotorum cura, tam effusa erat in eos charitate, ut se suaque omnia pro eis negligeret, quo promptius se se impenderet in eorum ministerium : ea tamen cautione, ut ubique solitudinem sibi construens, sollicitus esset circa oris custodiam, verborum parcissimus.

Præter cilicium asperrimum, quo carnem suam macerabat et aliis austeritatibus, abstinentia illius erat admirabilis; vitam sæpe sæpius, cum Superiorum licentia, pane tolerabat et frigida, duos vel tres etiam dies absque cibo ullo transigebat : oratione non solum animam, sed et illius corpus ita reficiente, ut verbo Dei saginatus, vegetior appareret ac robustior. Agebat aliquando vir Dei Vicarium in monasterio Portæ Cœli, ubi per id temporis Joannes Bellot non ita pridem professus coruscabat omni genere virtutum; qui magistri spiritualis imitator, dies duos ab omni cibo vacuus transigere voluit. Verum in dies deficiens, cum tantum jejunii rigorem sustinere non posset, Patres conquesti sunt de immoderatis illius abstinentiis apud Vicarium; quibus ille dixit, juniorem hunc ascetam, nemine consulto, hoc per imprudentiam fecisse.

Quamvis splendesceret Joannes tot virtutibus, tantaque doctrina exornaretur, ita tamen vilescebat oculis suis, ut propriæ abjectionis ac despicientiæ cupiditate ductus, summopere dignitates ac honores exhorreret, omni non modo se virtute et scientia destitutum, verum Religiosi hominis nomine et habitu indignum existimans. Non sic sentiebant alii de Joanne, apud quos summa in veneratione erat; unde ipsa cogente obedientia, ad diversa officia fuit assumptus. Primo Vicarium egit anno 1540 in Cartusia Vallis Christi, deinde anno 1543 idem obivit munus in Domo Portæ Cœli, a R. P. D. Petro Leydis institutus. Huic officio renitens admotus, ea nihilominus cum laude illud peragebat, ut omnes illum velut totius Religiosæ perfectionis speculum contemplantes, in eo veræ ac solidæ virtutis exemplum haberent imitandum.

Sub ea tempestate, anno videlicet 1542, absolutus fuit a Prioratu Vallis Christi Matthæus Peris, in cujus locum Joannes est electus. Quam dignitatem ex innata animi humilitate cum constanter recusaret, Visitatores Petrum a S. Andrea Rectorem Domus instituerunt : quam quidem administravit usque ad diem 13 Junii anni 1544, quo abdicavit Prioratum. Convocati ad electionem monachi Joannem de Castro iterum in Superiorem nominarunt; verum cum ille totis viribus Prælaturam hanc excuteret, Religiosi scripserunt R. Patri Cartusiæ, ut onus hoc hume-

ris Joannis, utpote prudentissimi et ad hoc munus peridonei, dignaretur imponere, nulla prorsus habita ratione illius excusationum. Annuens votis monachorum R. Pater injunxit Joanni sub obedientiæ præcepto, ut assensum præberet eligentibus : licet se crederet imparem officio, divini tamen auxilii fiducia fretus capesseret hujus Cartusiæ gubernaculum, quam cœlesti aspirante gratia prospero cursu erat directurus.

Acceptis mense Decembri, anno 1544, R. Generalis litteris acquievit tandem aliquando vir religiosus, cui jam nefas erat recalcitrare, dieque 23 præfati mensis, invitus iniit possessionem. Ad hanc dignitatem evectus, omnem in ministerio suo fideliter explendo laborem, operam ac sollicitudinem conferens, prima et potissima sui muneris parte, monachos tam præclara humilitatis, patientiæ, pietatis, mortificationis, charitatis ac regularis observantiæ luce anteibat, ut omnibus esset admirationi. Interim silentii solitudinisque cultor egregius, cum Prioris officium amplius sustinere non posset, ita importune egit anno 1548 apud Priores Scalæ Dei et Portæ Cœli hanc eremum visitantes, ut die 16 Januarii fuerit exauctoratus.

Anno autem 1552, Vicarium agens Joannes in Domo de Fontibus, ubi etiam Procuratoris officio quondam perfunctus fuerat, a Priore Scalæ Dei assumitur in collegam ad visitandam Domum Portæ Cœli; cujus monachi cum perspectam haberent et exploratam Joannis probitatem, eum in Superiorem elegerunt. Verum cum votis eorum obsisteret, impetraverunt a Summo Ordinis Antistite diploma, quo regimen hujus Domus, anno 1552, fuit ei demandatum. Cujus clavum tenere vi obedientiæ coactus, non sine Patrum volupe, sicut aquila pullos suos ad volandum provocans, eos ad gradiendum per sanctitatis semitas incitabat.

Domus hæc non solum in spiritualibus proficiebat, sed etiam in temporalibus sub tanti viri administratione. Verum oneris semper impatiens, anno 1554, cedens Prioratui ad Domum Vallis Christi remeavit. Ibi dum annis, vigiliis laboribusque attritus in dies præstolaretur vigilans adventum Domini, febre correptus, ingravescente morbo, cum devotissima peccatorum suorum Confessione animum expiasset, Sacro Jesu Christi Corpore tanquam cœlesti Viatico, quo ad Deum pergeret, refici postulat. Ad cujus sacratissimi pignoris aspectum, fere exanime corpus, singularis amoris, fidei actibus, spiritusque fervore fulciens e lectulo exilit, obviam Domino procedit; moxque magna cum humilitate et reverentia in genua procumbens, effusus in lachrymas, se Domino sacramentaliter commiscet, brevi ab eodem in beatifica illa sui fruitione felicius absorbendus. Redux in cameram, Extremo Oleo perunctus, inter suavissima devotissimaque cum Christo

colloquia placide expiravit, anno 1556, die 6 Julii, ætatis 72.

Hujus Vitam Hispanice descripsit Joachim Alfaura in Chronico Vallis Christi, quam in Latinum sermonem transtulimus.

MATHIAS DE MONTE

PRIOR GRUNAW

Professus primo Hildesii, secundo Buxiæ, vir in Ordine celeberrimus ob vitam exemplarem et regendi peritiam; ideo admotus fuit moderamini Domorum Grunaw, Ratisbonæ, Astheim et Olmutz. Cujus patientiam probaverunt calamitosa tempora. Vix enim Prioratus Grunacensis possessionem inierat, cum solum vertere coactus est, Comite de Wertheim hæretico monasterium cum pertinentiis occupante, cæteraque mobilia diripiente. Præfuit etiam Mathias Domui Tuckelhausen; datus postea in Vicarium Buxiæ, ut lac pietatis instillaret Novitiis. Demum ab omnibus muniis liber, de Ordine bene meritus, felici morte a laboribus suis requievit, anno 1587, die 6 Julii.

Catalogus Priorum Grunaw.

ANTONIUS BALASCUS

MONACHUS PARISIENSIS

Post laudabilem et religiosam 44 annorum conversationem vivere desiit anno 1589, 6 Julii. Nunquam discesserat e Domo professionis.

Mss. Cartusiæ Parisiensis.

DAMIANUS GOMIUS

PRIOR FERRARIÆ

Liberalibus disciplinis eruditus atque summa cum laude adeptus Juris utriusque lauream, in Romana et Mantuana Curiis Advocati munus in forensibus causis actitavit. Romanum Oratorium S. Philippi Nerii multo fervore spiritus a Nobilitate frequentatum, et ipse adiens, propositum inde hausit remittendi nuncium hujus sæculi negotiationibus. Post multam consultationem, suo annuente Confessario, inter illos reverendos animarum duces viro præstantissimo, Bononiam venit, ut extra patriam in Cartusiæ solitudine audiret Deum ad cor sibi loquentem. A V. Patre Cappono inventus est dignus habitu Religionis, quoniam mundo jam crucifixus sæpe advenerat cum Christo Cruci affigendus, probatusque vir multi fervoris, humilitatis ac devotionis; deinde anno 1612, die 25 Martii, fuit admissus ad professionem.

Ejus majus studium erat quærere in Domino majorem sui abnegationem et continuam quoad poterat mortificationem; nihil perfectionis suæ negligebat; docibilisque factus, Dei præter Magistri sui voluntatem volebat nihil. Per continuas meditationis, præsentiæ Dei ex-

ercitationes soli Deo intentus, communem monasterii ordinem insequendo, tanquam clypeo communitus horarum seriem et occupationes sibi præfixas caste adimplens, laqueos diaboli atque insidias evitans, vitam ducebat proprio quidem judicio vacuam, sed cum ingenti animæ suæ tranquillitate jucundissimam, ratus uno et solo obedientiæ bono cuncta sibi adfutura et proficua. Hæc enim hominem vere spiritualem verumque Religiosum efficiunt.

Jussus agere Procuratorem multo sui animi dolore, nihilominus judicium proprium judicio Prælati contrarium nulla ratione demonstravit, ut per unionem ejusdem sententiæ ac voluntatis per debitam submissionem melius in obsequio divino conservaretur et progrederetur. Omnia sibi agenda præscribebat ordinatim; omnes sensuum, oculorum præcipue ac linguæ portas satagebat ab omni inordinatione custodire, ac se conservare in pace et vera humilitate interna, in silentio, in circumspectione ac ædificatione verborum, et modestia vultus ac maturitate incessus motuumque omnium, sine ullo impatientiæ vel superbiæ signo, exhibere; partes aliis potiores deferens ducebatque in animo suo tanquam sibi superiores, exteriusque honorem ac reverentiam, quam exigit cujusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibendo.

Ejus doctrina mirifice proderat ad negotia rite perficienda; omnia etenim ipse actitabat, nulla usus opera procuratorum sæcularium; expedito negotio, propiorem ecclesiam Deo gratias acturus pro felici successu adibat. Sin vero alicubi præstolandum esset, ac si fuisset in cella sua, modestus, devotus aliquid meditabatur. Ab Eminentissimis Legatis diligebatur et a cæteris Magistratibus, qui cum eo pro sua spirituali recreatione colloquebantur frequenter. Aspectu gratiosus, mitis, venerandus, facundus sermone sapienter perorabat.

Chori diu noctuque amantissimus vixit; quotidie celebrans videbatur esse unus e Spiritibus cœlestibus in ea functione exercenda. Famulorum et Conversorum multam habens curam eos paterne tractabat. Nunquam cum aliquo contendit; sed si qua in re sibi erat diversa sententia, eaque videretur manifestanda pro utilitate monasterii, breviter ac permodeste cum suavitate charitatis eo animo afferebat rationes, ut suus foret locus veritati, non ut in ea re ipse præferendus appareret. Lubens visitabat ægrotos, consolabatur, nulli unquam molestus; mundi rumores haud referebat; agebat de iis, quæ illos recreare, circumstantesque in Domino ædificare possent. Verbo et exemplo proderat omnibus quibuscum versabatur.

In his quæ ad suum spectabant officium, fidelitatem, prudentiam, dexteritatem habere, atque eos sibi benevolos conservare studuit, quorum opera indigeret ad negotia. Si quid consultatio-

nis haberet opus, mature scriptas rationes proponere consueverat : hoc unum ante oculos habens, ut antequam litem ullam intenderet, rem controversam concordia componendam offerret, notumque faceret parti contrariæ se ad justam concordiam semper fore paratum.

Institutus Prior Ferrariæ ac postea Rector Vedanæ, has Domos moderatus multa demonstratione charitatis, singulos ad amorem mutuum assidue adhortans. Libenter ab aliis se admoneri patiebatur de iis quæ ad officium et ad se pertinebant; ideoque se amabilem adeo reddidit, ut omnes fidenter quocumque tempore ad eum venirent, tanquam ad perfectum Christi mansuetudinis imitatorem. Ob suas infirmitates abdicans Præfecturam ante Julium mensem, maligno vexatus morbo, cum de toleranda cruce, de amore divino, de Paradisi gloria, quamdiu decubuit, semper misceret sermones, munitus Sacramentis spiritum Deo reddidit, anno 1629, die 6 Julii.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

VII DIE JULII

TRANSLATIO FRATRUM NOSTRORUM

VIDELICET POST CASUM NIVIUM

De quibus agitur ad dies 31 Januarii et 11 Februarii.

Ex Kalendario Cartusiæ.

JOANNES GUILLON

PRIOR VALLIS PROFUNDÆ

Anno 1578 moritur cum opinione sanctitatis; de quo hæc leguntur in Necrologio Cartusiæ Parci : « Nonis Julii obiit D. Joannes Guillon sacerdos, professus, Antiquior et Vicarius hujus Domus, qui et alias fuit Prior Domus Vallis profundæ; qui quadraginta quinque annos ita laudabiliter, exemplariter et devote egit in Ordine, ut cum ferventissime inchoasset, ad supremam usque vitæ horam, in omnis disciplinæ regularis observantia pene se omnino irreprehensibilem præbuit. »

JOANNES DINGES

VICARIUS XANTENSIS

Anno 1603, die 30 Januarii, vota professionis in Cartusia Coloniensi nuncupat. Hic cum virtutum floribus, maxime castitatis lilio, utramque et adolescentiæ et juventutis ætatem exornasset, pretiosiora sibi vitæ ornamenta quærens, inter divi Brunonis

alumnos cooptatur; apud quos priorem vitam omni bonorum operum genere cumulans, semper Angelici plane hominis formam præ se tulit. Tam enim ad omnem virtutem compositus erat, ut qui Cartusianum delineare voluisset numeris omnibus absolutum, omnium pene sententia Joannem proposuisset. Tenuissimo victu contentus, jam sibi legem abstinentiæ præscripserat, ut præter communia Ordinis jejunia diu etiam ab esu piscium in refectorio temperaverit.

Tanta autem morum præcelluit innocentia, ut conscientiæ puritatem nunquam contaminaverit vel minima lethalis noxa. Ad hanc cordis munditiem ac nitorem (quo mentis oculus ad Dei cognitionem potissimum illustratur) conservandum, omnium familiaritates studiose fugiebat, ac nisi obedientiæ ac charitatis opus aliud postularet. Solus semper erat, raro cum aliis colloquebatur, sciens in multiloquio non deesse peccatum. Silentium velut fidum internæ puritatis custodem amplectebatur. Porro dum conversabatur cum aliis, si quis sermo excideret contra debitam Prælatis reverentiam, id sustinere non valens Pater religiosus, vultu parumper ad severitatem composito, statim interrumpebat male loquentem dicens : « Superiores Dei loco sunt, bene de iis sentiamus; sic enim Lex jubet divina. »

Sic hominum consortia Joannes declinabat, quo tempus suum orationi facilius impenderet : huic etenim erat deditissimus. Vir erat adeo otii et desidiæ hostis, ut indefessum fuerit ejus scribendi studium : incredibile pene dictu est quot libros elegantissimo charactere descripserit. Vacabat etiam assidue Sanctorum Patrum lectioni, quorum sacras paginas ita venerabatur, ut sæpe sæpius genibus flexis studeret.

Tam sanctæ vitæ Joannes coronidem imposuit præclaro charitatis exemplo. Cum Procurator Cartusiæ Xantensis dyssenteria (seu peste, ut quidam volunt) laboraret, Joannes ministerio ægrotantis incumbens morbum contraxit; ex quo Procuratore convalescente, occubuit ille charitatis martyrio consumptus, anno 1636, die 7 Julii. Sepultus fuit in monasterio Brigittanarum virginum.

Ex litteris D. Theodorici Prioris Xantensis ad me scriptis et ex Chronico Cartusiæ Coloniensis.

Depositus autem fuit in præfato parthenio, eo quod nondum constructa esset nova Domus Xantensis, aut ut melius dicam, nondum absoluta fuerant ædificia.

CLAUDIUS A PETRA

PRIOR PORTARUM

Non solum propter ætatem (vixit enim in Ordine 62 annos et in officio Prioris 50), sed ob virtutem percelebris; vir boni nominis et summæ authorita-

tis; qui religiosæ conversationi venerandam canitiem jungens, Nestor Ordinis dicebatur, et ab omnibus suspiciebatur tanquam aliquis ex numero Patrum antiquorum. Magnus super omnem modum fuit œconomus : Cartusiam Portarum multis adauxit redditibus, claustrum magnum construi curavit, aliaque exegit digna Pastore vigilantissimo. Post varios labores pro Ordine exantlatos, plenus dierum et bonorum operum octogenarius spiritum Deo reddidit, anno 1638, die 7 Julii. Fuerat olim Prior Vallis S. Hugonis et Petræ castri ac Visitator Burgundiæ. Obiit in Domo Portarum suæ professionis.

Ex Mss. Portarum.

JOANNES DE RIVERIE

RECTOR DE BRIVE

Ex nobili familia oriundus. Prima in divi Benedicti Ordine tyrocinia Vitæ religiosæ posuit; verum Patre luminum illustrante, qui eum Cartusianum prædestinaverat, cum acriores ad præstantioris Vitæ studium percurrendum inditos animo stimulos persentisceret, divi Brunonis familiæ nomen dedit in Domo S. Crucis.

Anno 1604 quo translatus fuit Tolosam, multum pro Cartusia hac laboravit, modo Correrius, modo Procurator. Mira inter hæc officia in Joanne eluxit morum disciplina, mira exterioris hominis compositio, mira animi mansuetudo, moderatio mentis et tranquillitas, admirandaque rerum agendarum peritia; quo factum est, ut, cum ad cæterorum normam datus videretur, ad regimen loci de Brive anno 1633 vocatus sit. Anno 1639 Tolosam revocatus est. Post exactos laudabiliter in Ordine quinquaginta annos et novem menses, obiit hydropisi et asthmate, devotissime prius receptis Ecclesiæ Sacramentis, anno 1648, die 7 Julii.

Ex Litteris D. Archangeli Monchozon.

VIII DIE JULII

RADULPHUS

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

Ejusdem eremi quondam Procurator; qui Beatissimam Virginem Mariam sibi apparentem facie ad faciem sæpius vidit, ab eademque didicit extremam sibi horam imminere. Qua de causa, dum expiato noxiis animo, susceptisque magna cum reverentia Sacramentis, ultimum diem a Diva Virgine prænuntiatum expectat, visibili specie Christi mirifice recreatus, audivit Angelos feli-

cissimum *Euge* præcinentes; a quibus e carne mortali eductus ad cœlestem patriam, sanctissima morte vitæ cursum absolvit, die 8 Julii.

Vixit sub Jancelino Priore Majoris Cartusiæ, sicuti testatur *Nicolaus Molin in Historia Ms. Ordinis Cartusiensis.*

PETRUS BAVILINUS

MONACHUS, ET

LAURENTIUS

DONATUS VALLIS S. MARIÆ

Hi ambo ab Hæreticis hanc eremum diripientibus in odium Fidei Catholicæ martyrio coronantur. Dum Petrus vivus combustus, alter gladio transverberatus occubuerunt, anno 1574. De quibus agit in suo Martyrologio Cartusiensi Ganneronius ad hanc diem.

PETRUS RUBIO

PRIOR XERITII

Hujus monasterii alumnus, cujus moderamen habuit. Ahod ambidexter, ob laudabilem tam spiritualium, quam temporalium administrationem, immortale sibi nomen comparavit. Fatis concessit anno 1580, die 8 Julii.

Catalogus Priorum Xeritii.

FERDINANDUS PANTOJA

PRIOR DE COVIS

Hujus nominatissimi Patris elogium descripsit Charta Comitiorum Ordinis anni 1583 perhonorificis hisce verbis : « Obiit Domnus Ferdinandus Pantoja professus et Antiquior Domus de Covis, et olim Prior ejusdem, ac Domorum de Caçalla et Aniago, ac Visitator Provinciæ Castellæ, qui 66 annos laudabiliter vixit in Ordine; cujus memoria in benedictione est, quod fidem inconcussam communi Ordini servaverit, et pro tuenda ejus unione, tanquam pro aris et focis decertaverit, habens plenum cum psalteriis Monachatum, etc. »

Trahebat originem Ferdinandus ex illustri de Pantoja civitatis Abulensis familia, natus Hispali. Spreto generis splendore, præstantiorem sibi Ferdinandus ex virtute comparaturus nobilitatem, anno 1518, mense Julio, secessit ad Cartusianos de Covis; ubi anno revoluto votis emissis, experimentum eximiæ conversationis ac vitæ exemplaris per multos annos in solitudine delitescens præbuit, ac deinde in officio Sacristæ Domus Aniagensis; unde productum Superioribus visum est eum majoribus admovere muniis. Ad quæ gradatim evectus est, ut ex quadam ejus epistola novimus ad R. P. Petrum de Sarde Majoris Cartusiæ Priorem scripta, in qua sic loquitur :

« Ut vestra R. Paternitas mei noti-

tiam habeat, ego sum ille Sacrista, quem V. R. Paternitas, quando visitavit istam Provinciam (anno videlicet 1536), in Visitatione Domus de Aniago fecit Vicarium ejusdem; et postea visitata Provincia, cum per eamdem Domum transitum faceret, præfecit me in Procuratorem eidem Domui. Postea vero anno 1541 fui electus in Priorem ejusdem Domus de Aniago, ubi in eodem officio mansi usque ad annum 1551, in quo anno per Chartam Capituli fui absolutus ab officio Prioratus Domus de Aniago, et constitutus Prior istius Domus de Caçalla, ubi per Dei gratiam maneo ad V. R. Paternitatis et Ordinis voluntatem et beneplacitum.

« Postea vero anno præterito, scilicet 1554, V. P. Prior de Covis istius Provinciæ Visitator, virtute commissionis per V. R. Paternitatem et Capitulum generale sibi factæ pro Visitatione Provinciæ Cataloniæ, me in collegam assumpsit. In qua nimirum Visitatione per sex menses extra Domos nostras moram traximus; in quo etiam tempore profecto maximos labores et solis ardores pene intolerabiles, et alias molestias ob itineris longitudinem sustinuimus. Sed sit Deus noster benedictus, qui simul cum labore dedit profectum. Nam omnia illius Provinciæ secundum gratiam nobis desuper impartitam, meliori et saniori modo reformationis, quo potuimus, perfecimus, etc. »

Hactenus Ferdinandus, qui hæc scribebat anno 1588 in Martio, quo tempore per Castellæ Cartusias Bulla contra carnisprivium plane carnea promulgabatur a pseudomonachis; de qua in eadem epistola dolorem animi inde conceptum exprimens hæc subjungit:

« Cæterum, R. Pater, de esu carnium ab Apostolica Sede huic Provinciæ concesso, nescio quid dicam vel quid scribam, quidve faciam. Utinam, cum essem in Provinciæ Cataloniæ Visitatione, hoc mihi innotuisset, ut ne prius huc redirem, antequam V. R. Paternitatem super his consuluissem per literas aut egomet invisissem! Et hoc fecissem procul dubio, etiamsi bellorum periculo me exposuissem deprædandum, etc. »

Deinde postquam narravit quomodo prædictam Bullam, per Notarium cum censuris Apostolicis coram Conventu denunciatam, de consilio peritissimorum virorum recipere et obedire coactus fuerit, consentientibus præ timore censurarum Conventualibus, de se iterum addit : « De me, inquam, cum omni veritate asserere valeo, quod sit mihi grave et triste spectaculum hujus novitatis et morituræ carnis, præsertim cum a pueritia, ut ita dixerim, per triginta et septem annos ab esu carnium abstinuerim, et adhuc abstineo; et ut mihi videtur, liberius eligerem transferri in aliam Provinciam, quam in hac vesci carnibus, etc. »

Nec verbis solum, sed reipsa etiam se virum abstinentissimum præstitit. Cum enim post promulgatum Pontificis Man-

datum, ejus industria plures partim censurarum metu, partim etiam nimia remissione victi uterentur, ipse licet infirmus ac suadentibus amicis et medicis jubentibus, carnes nunquam gustare voluit, sicuti Commissarii ad tantum malum extirpandum delegati, datis ad R. Patrem literis, de eo perhibuere testimonium.

At Deus, cujus gratiæ fretus auxilio nec carni, nec sanguini Ferdinandus acquieverat, ejus abstinentiam merito patientiæ volens cohonestare, permisit, ut ipsi Commissarii in actu Visitationis Domus Caçallensis, licet in sua Charta eum virum modestum, pium ac timoratum agnovissent et nominassent, permisit, inquam, Deus, ut ipsi eum etiam cum dedecore ab officio absolverent, eo quod, ut aiebant, « trepidando timore ubi non erat timor, ad consiliarios sæculares divertisset. » Cum autem valde prolixum sit hoc negotium, lectorem remittimus ad nostrum Castellæ Provinciæ Volumen, ubi rem in Domo de Paulari fuse descripsimus.

Exauctoratus noster Ferdinandus cum animi volupe ad amicam regreditur solitudinem. Sed vix desideratæ Rachelis amplexibus fruebatur, cum duobus circiter post mensibus, Aniagensi Cartusiæ præesse secundo cogitur, a Conventu electus et a præfatis confirmatus Commissariis. Verum opportunam nactus occasionem, abdicato Prioratu ad Domum de Covis rediit, acturus Vicarium usque ad annum 1567, quo Rector datus est Caçallensibus Cartusianis, quibus post mortem D. Joannis Ruis eorum Prioris denegatus fuerat successor, quem elegerant. Quamobrem in Comitiis ejusdem anni electo confirmato in Priorem, Rector Ferdinandus desiderio suo potitus absolvitur, cum mandato revertendi ad Domum de Covis in eisdem cella et officio, in quibus erat prius. Sed mortuo paulo post D. Andrea de Aquilar, in ejus locum unanimi Confratrum consensu suffectus est, anno 1567, ineunte mense Septembri, et in sequente Capitulo generali 1568 Convisitator, et anno 1571 Visitator nominatus, licet octogenario major.

Etsi jam ab annis quindecim vulnus a carnivoris inflictum coaluisset, non tamen parum debilitaverat in aliquibus observantiam, quos minus robustos in Dei servitio reddiderat. Hoc morbo laborantes ad statum disciplinæ pristinum revocare volens Prior, in proximiori Visitatione quædam ordinari curavit, quorum observantia non ita fuit facilis, renitentibus et ad Capitulum provocantibus inertibus monachis. Horum exacerbatos animos paulatim sedaturi Patres sic per Chartam anni 1570 pronunciarunt : Priori Domus de Covis non fit *misericordia*. Quos omnes hortamur ad observantiam regularem restaurandam et confirmandam. Eo pendente quam primum fieri poterit, ordinata Visitatorum in Hispanico scripta in Latinum transferantur, et ad R. Patrem Cartusiæ mittantur, ut

super scriptis et querimoniis provideri possit. Interea Prior pro discretione sua ipsa ordinata observari faciat; quæ tamen vim præcepti non habere declarantur, donec per R. Patrem Cartusiæ fuerint confirmata. »

Hæc non solum per R. Patrem approbata fuere, sed generale Capitulum sequentis anni, videlicet 1571, ipsum Priorem de Covis eadem secreto suggerentem hortatur : « ut pastorale officium confidentius gerat, neque leges ullas sibi præscribi ab antiquioribus, aut traditiones contra Statuta et consuetudinem Ordinis a subditis sibi dari permittat, quas omnes hactenus datas, irritas esse declaramus; et volumus, ut antiquiores non discrepent a cæteris in victu et vestitu et in sufferendis oneribus Ordinis, nisi in infirmitate vel alia causa rationabili ad arbitrium Prioris. Circa quæ Visitatores invigilent et de subsecuta emendatione Capitulum generale aut R. Patrem Cartusiæ informent. »

De hujusmodi Ordinatione, quam adamussim ab omnibus observari volebat Ferdinandus, conquesti sunt antiquiores; quibus per Chartam anni 1572 respondetur in hunc modum : « Antiquiores Domus de Covis consolentur a Priore omni modo possibili et rationabili in suis infirmitatibus et necessitatibus; alias rogamus illos in Domino, junioribus se exemplum omnis regularis disciplinæ salubriter exhibere tam in victu, vestitu, quam in sequela chori, prout de illis speratur. »

His monitis, quæ facile a Capitulo generali et per literas R. Patris Ferdinandus obtinebat, suisque adhortationibus ac vitæ exemplo ita omnes incendebat, quasi facem ipse præferens, ut brevi tempore totus Conventus ad primævam observantiam revocaretur, fieretque monasticæ disciplinæ exemplar toti Castellæ; imo ipsi antiquiores qui antea remissiores apparebant, adeo alacres in Dei servitio effecti sunt ac Statutorum observantes, ut ab ipso Capitulo generali, suadente, ut conjicere licet, Ferdinando eorum Priore, judicarentur idonei ad res Provinciæ graviores suis consiliis promovendas.

Cum enim ingravescente senectute et corporis impotentia, Ferdinandus Prioris ac Visitatoris officio exonerari multoties petiisset, hortabantur nihilominus Patres Ordinis venerandum senem, ut pergeret suum implere ministerium. Quod si propter devexam senectutem nequiret lustrare Provinciam, sui collegæ et aliorum opera uteretur; iisque impeditis posset pro sua prudentia Vicarium, Procuratorem et antiquiores suæ Domus interponere ad negotia etiam Provinciæ magis urgentia, tam intra quam extra Domum, procuranda. Id patet ex variis Capitulorum Ordinationibus, præsertim anni 1575 : « Priori Domus de Covis non fit *misericordia;* cujus venerandæ senectuti compatientes hortamur eum et rogamus, ut quæ commode exequi non poterit, in Provincia per Convisitatorem et alios Priores,

et in Domo et extra per Vicarium et Procuratorem exequi permittat et remittat exequenda ; quibus respective præcipimus et committimus, ut vices, absentiam et senium dicti Prioris suppleant : cæteris vero personis Ordinis, ut eis vere ac perfecte obediant tanquam Deo et Ordini. »

Rara profecto et hactenus nunquam concessa potestas, quæ et anno 1576 ad antiquiores extenditur his verbis : « Priori... etc. non fit *misericordia;* quem rogamus, ut pro viribus suæ senectutis et consilio antiquiorum suæ Domus studeat regere et gubernare utrumque suæ Domus statum ac totius Provinciæ sibi commissæ, sicut anno præterito fuit ordinatum et per R. P. Cartusiæ super annum declaratum. »

Opportune certe tantam auctoritatem tanto viro et suis impertiere Patres. Per id siquidem temporis quidam inquieti homines, perosi sacrum illum unitatis nodum, quo omnes Ordinis Provinciæ Majori Cartusiæ, velut membra capiti, connexæ unum corpus efficiunt : Hispaniarum Domos, electo sibi pseudogenerali Priore, ab hac sancta unitate disjungere fœdo schismate conabantur. Nascenti malo et jam increscenti sanctus senex et vigilans Visitator Ferdinandus occurrit atque obstitit, eo fortior animo, quo corpore impotentior; qui per literas, per amicos, per officiales, at maxime sagacis viri Convisitatoris Castellæ Bernardi de Castro usus opera, ita egit apud Regem, apud Magnates et alios quorum intererat, ut factiosorum consilia dissipaverit.

Consulat Lector Catalogum nostrum Priorum de Paulari, ubi leget discolorum monachorum conamina pro sibi præficiendo per Hispanias generali Vicario, penes quem tota auctoritas Cartusiæ Majoris Prioris esset. Cataloniæ et Castellæ Priores omnes, præter solum Priorem de Miraflores, totis viribus electionem Vicarii generalis impediverunt. Suumque in hoc negotio Ferdinandus nobilitavit pro servanda Ordinis unione zelum, qui sub ea tempestate in suæ exauctorationis petitione fuerat causatus confectam annis et infirmitatibus ætatem (annum etenim nonagesimum excesserat).

Cumque se jam imparem regimini animarum et temporalium scriberet frequentius, tandem voti factus compos, a Visitatoribus absolvitur anno 1580. Sed quod mirum est in tam decrepito sene, dum corpus in dies deficiebat, ipse renovatus spiritu mentis suæ redibat ad primævi fervoris juventutem; cumque non posset pedes ire ad ecclesiam, magno cum pietatis sensu intererat divinis. Sic stadium currens, coronam apprehendit immarcescibilem, mortuus anno 1582, die 8 Julii, relicta magna sanctitatis opinione. Cujus laborum pro Ordinis conservatione susceptorum generale Capitulum non immemor, illum eo, quo supra diximus, elogio cohonestavit in Charta anni subsequentis. Nec immerito sane : tantam etenim

apud Deum et homines virtutum laudem adeptus fuerat, ut in ejus vita et post mortem passim omnes Sanctum illum acclamarent.

Haud vulgaris fuit vitæ ipsius austeritas sensuumque mortificatio, cui addictus fuerat a prima tyrocinii sui institutione, nec ab ea unquam etiam in extrema ætate, vel minimum deflexit; adeo ut cilicium rude et hispidum ad genua decurrens, quod ad concupiscentiam carnis debellandam induerat, ad mortem usque gestaverit. Aliis quoque pœnitentiæ se macerabat exercitiis. Præter strati duritiem pulvinar cooperuerat cilicio, ne nimium corpori per nocturnam quietem indulgeret.

Paupertatis ac totius regularis observantiæ tam eximius sectator atque æmulator fuit, ut cum animum abstraxisset a rerum omnium cupiditate, nihil præter Deum desiderare, nihil præter Christum possidere vellet, cujus pauperie se existimabat ditissimum. Unde cum rerum corruptibilium amor procul exularet ab illius corde, non mirum si tanta in Deum charitate flagraret, cujus honorem et gloriam, iis omnibus quibus poterat modis, promovebat.

Admirabilis plane hujus viri charitas in egenos et calamitosos emanabat ex amore Dei; hos diligebat impense, eorumque inopiam sublevabat eleemosynis amplissimis, nullum a se remittens vacuum. Non injucundum erat Deo, Angelis et hominibus spectaculum videre et audire pauperes ab eo recedentes, alios sibi similes per plateas convocantes, ut et ipsi sua vice de perenni Prioris de Covis fonte misericordiæ haurire festinarent. Nec solum dum ditissimo de Covis monasterio præerat, exercebat liberalitatem, sed etiam in ipsa mediocritate manus suas ab larga stipe eroganda non continebat. Dum enim Domum Caçallensem, cujus res satis angustæ erant, gubernaret, jam sibi nomen comparaverat munifici ac liberalis eleemosynarii.

Hinc Visitatores unicum arguebant in Ferdinando defectum, quod videlicet in eleemosynarum largitione minime modum attenderet ac Domus facultates. Sed unde homines eum correptione dignum censebant, hinc Deus servum suum mirificabat in terris. Gravi siquidem aliquando (præerat tunc Domui de Covis) frugum caritate totam occupante regionem, cum modicum farinæ vix Domui sufficiens superesset, jussit nihilominus largiorem solito stipem erogari mendicis; quæ quidem divinitus multiplicata tamdiu affluxit in horreis, donec sterilitati successisset fertilitas abundantior.

Sub annum 1575 S. Theresa desudans pro parthenio suo Hispalensi, cum ob extremam penuriam vix locum posset pretio comparare, pius senex Ferdinandus manum suam aperuit inopi, strenueque laboravit apud Primores urbis et ipsum Archiepiscopum pro nova Carmelitarum in præfata urbe fundatione; quibus quamdiu vixit, non

modo benevolum sed et beneficum se exhibuit, abunde suppeditando quicquid pro vitæ sustentatione eis opus erat.

Multum in S. Theresam propensus, cum ab Archiepiscopo Hispalensi augustissimum Altaris Sacramentum in sacello Carmelitarum collocatum fuit, adfuit huic ceremoniæ, solemnemque comitatus est Supplicationem quæ facta est magno cum apparatu, plateis videlicet peristromatibus instructis cum musicæ gratissimo concentu. Id refert S. Theresa in Libro suarum Fundationum, cap. 24. Quæ hunc pium Patrem tanti faciebat, ut ejus consilio, dum ipsa Hispali morabatur, in rebus arduis semper steterit : quem etiam post suum recessum consulebat per literas, suasque filias in magna tunc vexatione constitutas commendabat; ut videre est in quadam epistola S. Theresæ ad Ferdinandum scripta, numero septima decima, ubi filiarum suarum pressuras et tribulationes enarrans, sic concludit :

« Obsecro propter amorem Dei ne illas deseras, nec eis in tanta persecutione orationum tuarum opem deneges. Nam præter Deum, neminem habent in terris, qui eas consoletur. At divina Majestas, quæ eas novit, earum erit protectrix, suggeretque tibi charitatem qua ipsis pariter subvenias. Hanc eis epistolam mitto non obsignatam sigillo, ut si præceptum habeant tradendi literas Provinciali, quas nomine meo recipiunt, cures saltem, ut aliquis illas conveniens hanc eis legat, ex cujus lectione aliquod recipient solamen, etc. Attendas, quæso, te solum eas in urbe Hispalensi conservasse ac sustentasse. Cumque nunc ad majores sint redactæ angustias, ipsis, iterum atque iterum rogo, opituleris ob amorem gloriosi S. Joseph. Scio quæ præstiteris beneficia Patribus nostris Discalceatis, etc. »

JOANNES XARA

PRIOR DE COVIS

Doctor Theologus et professor Salamancæ; relicto sæculo, Institutum Cartusiense in monasterio de Covis amplexatus, ob eximias animi dotes ad Prioris ejusdem Domus et Convisitatoris officium assumitur. Vir fuit maturus adeo, tantaque gravitate morum exornatus, atque regularis observantiæ zelo zelatus, ut ejus modestiam plane angelicam, virtutem singularem, prudentiamque tanti faceret Reverendus Pater Justus Perrot summus Ordinis nostri Præfectus, ut sæpissime testatus fuerit, se dignitatem suam tanto viro libentissime cessurum. Pie obiit anno 1635, die 8 Julii.

Catalogus Priorum Domus de Covis.

IX DIE JULII

HENRICUS DE COESFELDIA

PRIOR HOLLANDIÆ

Patria Monasteriensis ; non magis ingenio, eruditione, dicendi facundia, rerumque agendarum dexteritate, quam pietate, devotione ac zelo singularis, tempore schismatis difficilia quæque Ordinis obivit munia. Tanta etenim erat apud omnes in existimatione, ut plerosque Visitatores qui stabant sub obedientia Romani Pontificis, ex mandato Capitulorum generalium, ipsum etiam Reverendum Patrem Stephanum in Cartusia Seiz residentem, visitaverit. Multoties etiam ei fuit demandata Visitatio Domorum Angliæ. Cumque multos pro Ordinis conservanda stabilitate et unione stabilienda labores exantlasset, dum ex officio lustraret Domos Belgii, extremo correptus morbo in Cartusia Brugensi, ibidem in Domino obdormivit, die 9 Julii, anno 1410, bene meritus de Cartusiensi familia. Ejus obitus notatur in Charta Capituli generalis ad 10 Julii.

De eo meminit Raissius in Auctuario SS. Molani ad diem 9 Julii, eumque vocat Beatum ; Petræus in Bibliotheca et multi alii.

PACIFICUS DE MONT

PRIOR AVENIONIS

Prior Vernæ, deinde Avenionis, tandem Protoprior Massiliæ, cujus fuit insignis promotor; vir vere pacificus et sanctus. Obiit anno 1636, die 9 Julii.

X DIE JULII

ADOLPHUS DE ASSINDIA

PRIOR TREVIRIS

Huic monasterio præfuit ab anno 1409 usque ad annum 1415, quo missus est ad Domum Rutilæ primus hujus eremi Rector seu initiator. Ibi peste correptus, ad beatam immortalitatem transivit anno 1439, die 10 Julii, cum ingenti sanctitatis opinione.

Author fuit Adolphus Vitæ B. Mar-

garetæ Palatinæ Rheni, Caroli II ducis Lotharingiæ Fundatoris Rutilæ conjugis, cui fuit a Sacris et Confessionibus. Hæc quippe nupta optimo Principi, ubi sancti Brunonis sodalibus familiariter usa, plurimum ex eorum consuetudine, præsertim ex Adolphi colloquiis, in virtutis cultu promovit.

Conscripserat Adolphus libellum ab amœnis hortorum, ut solet, rosariis educta metaphora inscriptum, quo Christi ejusque Matris res olim in terris gestas complexus est. Hunc nacta Princeps cœpit assidue volvere, menteque identidem revolvere, ex eoque intimis sensibus affici, tantumque intra breve tempus proficere, uti Margareta vix Margaretam agnosceret : sementis nempe in fertili et opimo solo facta, lætam mox et uberem segetem extulit.

Hic religiosissimus Pater innumeras pene sustinuit tentationes, quibus sibi viam sternens ad summum monasticæ perfectionis apicem, æmulatus est charismata meliora. Nam singulari orationis dono ditatus frequenter extra se rapiebatur.

Browerus ad annum 1404 in Annalibus Trevirensibus Adolphum nominat Virum incomparabili sanctitate et cœlestium imaginum fluxu instinctuque plenum.

GERARDUS STAEL

PRIOR CONFLUENTIÆ

Vir non minus pietate ac devotione quam doctrina clarus; post abdicatam ConfluentinæDomus administrationem, in Cartusiam Coloniensem, ubi vota monastica nuncupaverat, se recipiens, ibi plenus dierum et bonorum operum naturæ debitum persolvit, anno 1521, 10 Julii.

Chronicon Cartusiæ Coloniensis. Petræus in Bibliotheca Cartusiana.

FRANCISCUS FONT

PRIOR PORTÆ CŒLI

Hujus Vitam conscripsit Joannes Baptista Civera, Vicarius Portæ Cœli, quam hic damus de verbo ad verbum.

Venerabilis ac religiosus Pater D. Franciscus Font natus est Valentiæ ex honestis et piis parentibus anno 1567. Qui, dum adolescentulus esset, gravi febre correptus in magnum vitæ discrimen pervenit. Nam vultus ejus quibusdam pustulis coopertus supra modum intumuit, nec ullum cibum capere poterat. A matre vero sua admonitus, ut sancto Ludovico Bertrand se commendaret, eo quod frequentibus coruscaret miraculis, ille humili devotione ipsius meritorum suffragia expostulavit; placuitque Deo, ut die altera relinqueret

eum febris, vultusque mundatus appareret, et sumeret cibum faciliter. Obstupuerunt medici ad rem adeo miram, affirmantes aliquot mensium spatium necessarium esse ad solas exsiccandas pustulas. Et ideo hoc miraculum publico Instrumento relatum fuit in informatione juridica, quæ de mandato Apostolicæ Sedis agebatur in causa solemnis canonizationis dicti Sancti, ut apparet in libro Vitæ ipsius, Tractatu 2. Cap. 7.

Anno 1591 Philosophiæ studiis cœpit operam dare; quo tempore tanta modestia, morum honestate et gravitate conspicuus fuit, ut veluti virtutum omnium exemplar appareret. Vivebat autem in domo devoti cujusdam Clerici (quia parentes ejus decesserant), cui, ut liberius studiis vacare posset, pro rei domesticæ sumptibus, certum quoddam in anno solvebat pretium. Non e domo neque ex cubiculo quidem suo pedem efferebat, nisi dum ad scholas pergeret. Ibat autem recta via non deflectens neque circumiens per alios vicos; ita ut de illo dicere possemus, quod de B. Gregorio Nazianzeno scribitur, quod dum Athenis studeret, duos solos vicos habebat notos, et qui ferebat in scholam, et qui ducebat in ecclesiam. Deambulationibus et aliis juvenum recreationibus nunquam delectabatur.

Manicas aut chirothecas, odores ac reliquas scholasticorum vanitates, maxime divitum, ignorabat, asserens contra frigus sufficere, manus sub pallio condere ac tegere. Vestitus ejus erat honestus et bene curatus, incessus placidus et modestus, oculi demissi et quieti, sermo brevis et succinctus. Missam quotidie devote audiebat, certisque horis vacabat precibus, potissimum diebus festivis, quos in peccatorum Confessione et SS. Eucharistiæ sumptione concioneque audienda et librorum piorum lectione totos pene insumebat.

Reliquerant illi parentes ejus possessionem quamdam in suburbano Valentiæ opulentam satis, quam ducentis scutis et amplius quotannis locabat. Et quantum ego intelligere potui, potius dispensator seu administrator illius quam dominus vocari potuit. Nam exceptis quibus ad victum et emendos libros indigebat, cætera erogabat pauperibus. Non opes congerere et aggregare, non census et vectigalia studebat sibi comparare; sed modo pauperem vestiebat ostiatim mendicare erubescentem, modo dote donabat virginem orphanam, quandoque religiosæ personæ egenti succurrebat, denique singulis annis impendebat plus quam scuta centum aurea in eleemosynas. Unde ita bene audiebat apud omnes, ut justus sanctusque communi opinione haberetur.

Dum die quadam Magister ejus cum quibusdam discipulis confabularetur, et eminus transeuntem illum vidisset, circumstantibus ait cum magno affectu : « Quam probus et honestus est Franciscus Font! Certe nos omnes sua

modestia et præsentia multo honore illustrat.» Et quidem Guardianus Capucinorum, qui ante annos 25 fuerat ejus condiscipulus, dum quemdam audisset æstimantem eum, tanquam magnum Dei famulum, dixit : « Quid mirum, si D. Franciscus Font post 25 annos in Cartusiensi Religione exactos sanctus sit, si adhuc juvenis et scholaris, jam scindebantur ejus vestes et servabantur pro Reliquiis ? » Et ne longius excurrat oratio, alia tanti viri probitatis testimonia prætermitto.

Imposito fine liberalium artium studiis, et nonnullis Theologicæ scientiæ rudimentis prælibatis, Spiritus Dei Numine afflatus, rebus terrenis omnino renunciare sibi proposuit. Et primo quidem ad Societatem Jesu confugere destinabat, a nonnullis amicis suis, præsertim a Patre Societatis illius Confessario, ad istius Religionis ingressum sollicitatus. Sed Beatissima Virgo Maria de Porta Cœli prævaluit, suoque obsequio et cultui mancipavit hunc Dei servum, qui inter monachos hujus Domus, anno 1595, die 20 Septembris, annumeratus, sanctum habitum suscepit.

Ut autem se vidit jam Religiosum factum, novos in virtutis et perfectionis progressus inchoavit ; nam præter Ordinis observantias, diversis austeritatibus contendit carnem spiritui subjicere. Cibi parcissimus, per plures dies solo pane et frigida aqua vitam tolerabat. Post nocturnas Horas non repetebat lectum, et ut idem facerent, cæteros Novitios hortabatur, asserens nullum vacandæ orationi aut commodius aut tranquillius tempus inveniri posse. Quo fiebat, ut multum pallesceret, marcesceretque corpore debilitato ; sed reprehensus a Magistro suo V. Patre D. Michaele Dieça, cujus memoria in benedictione est, et admonitus ut de nimio illo rigore remitteret aliquid, dicebat : « Faciam, Pater, quod jubes, prompto animo, sed melius profecto est, parum et bene vivere, quam multum et tepide conversari. »

Expleto Novitiatus anno, suum pergit testamentum, quo legavit Domui nostræ possessionem illam, quam supradiximus, in suburbano Valentiæ, et se totum Deo obtulit in holocaustum solemni professione, die S. Matthæi Apostoli, anno 1596.

Sex autem in cellæ tranquillitate transactis annis, considerata illius singulari religione, benignitate ac dulci conversatione et affabilitate in omnes, Procurator Domus est institutus. In qua obedientia manifesta solidæ perfectæque virtutis edidit specimina ; nam pluribus ac diversis pacem animi perturbandi occasionibus se se offerentibus semper ille placidus ac quietus in omni eventu permansit. Omnes consolabatur blandis sermonibus. Erat enim animi liberalis ac totus in omnes profusus charitate. Ideoque diligebatur a cunctis ac desiderabatur, quia nemo tristis ab eo recedebat.

Solus ipse tristis et afflictus, quia tantis se implicatum negotiis et distractionibus contemplabatur. Adeo ex illis affligebatur occupationibus, ut cuidam familiari sibi Religioso ausus sit dicere, quod si antequam induisset habitum, id rescivisset, nequaquam Vitam monasticam fuisset sectatus. « Nam ego, aiebat, pacifice vivebam in domo mea, et dimisi quæ possidebam, ut possem, procul positus a mundi curis, tranquillam et quietam agere vitam in unius cellæ angulo, et ecce me in medio negotiorum fluctuantem invenio ! » Et dum alloqueretur quemdam monachum, qui plures annos egerat absque Procuratoris obedientia, dicebat : « O ter quaterque beate, tu Pater, qui in cellæ secessu semper vixisti ! »

Per hoc tempus Priores Domorum de Miraflores et Montis hilaris ad hanc Domum visitandam accesserunt, et insigne de ejus virtute testimonium reddiderunt. Nam facta jam inquisitione Religiosorum, in die recitationis scrutinii, cum per ordinem pervenissent ad Patrem Franciscum Font, cœpit Visitator evolvere codicem admonitorium, quem præ manibus habebat, et valde admirabundus dixit : « Jesus, Jesus ! quid est hoc ?» Et ad illum conversus dixit : « Si tam candidam habes, Pater mi, animam tuam, sicut extat hac papyro eorum quæ de te deposita sunt, quid amplius desideramus, nisi ut te cum Sanctis Dei canonizemus ? Quis unquam vidit tale, ut de uno Procuratore præsentis Domus, cui ex necessitate incumbit cum tam diversis personis agere, non sit qui vel in minimo de eo conqueratur aut incuset ? Pater mi, da gloriam Deo, et fer patienter, nam quando hinc recessero, amputare cupio e veste tua fragmentum, quod mecum domum deferam pro Reliquia. Insuper qua benignitate et instantia efflagitavit, ub ab officio Procuratoris absolutum in cellam suam redire patiamur ? Sed ad hoc respondemus, quod Angelus dixit S. Joseph : *Vade in Ægyptum et esto ibi, usque dum dicam tibi.* Persevera in officio quod exerces, nam in ipso servis Deo et Patribus places. » Hæc revera et nonnulla alia honorifica verba toto Conventu præsente dicta fuerunt.

Postquam octo annos in hac obedientia exegit, Prior Domus Aræ Christi institutus est, quam duobus annis prudenter ac religiose admodum gubernavit. Præsertim vero admiranda illi res accidit. Nam cum duo magnifici cives Valentini, Hieronymus Bayarri et Joannes Salt, ad dictam Domum accessissent et in campum cum Priore egressi fuissent; tunc is qui Joannes vocabatur, valde admirans ubertatem ac viriditatem herbæ modicæ qua pascuntur equi et alia jumenta, dixit : « Quæso, Pater Prior, quid est hoc, quod herba vestræ possessionis tam viridis et illæsa est, et mea, quæ non longe seminata est, ab erucis et vermibus est corrosa, adeo ut nihil valeat ? Et quod magis apparet mirandum, ut verum fatear, famuli mei

invidia moti, colligentes erucarum ac vermium magnam copiam, eam in arvis vestris disperserunt, et ut apparet, mortua sunt illa omnia animalia et nihil herbæ nocuerunt. »

Tunc V. Prior sciens quod prædictus homo nollet dimittere injuriam sibi factam propter mortem patris sui, licet ad id a multis Religiosis frustra sollicitatus, intra semetipsum tantisper collectus, voce humili oculisque in terram demissis, dixit ei : « Domine Salt, si vos vultis monitis meis acquiescere, in nomine Domini efficiam, ut in cunctis possessionibus vestris, ne unus quidem vermiculus remaneat. » Silebant interim et admirabantur circumstantes, exspectantes quid facturus esset, quia totus extra se raptus apparebat. Dixit autem civis : « Et quid me vis facere, Pater ? » « Nihil amplius (subjunxit) nisi ut dimittatis injuriam pro morte patris vestri; nam si hoc egeritis, ego adimplebo verbum meum cum Dei adjutorio. » Cui ille : « Non possum hoc facere. » « Et ego quoque, ait Prior, liber sum a pollicitatione mea. »

Hujusmodi rem retulerunt mihi duo ex illis stantibus, affirmantes quod considerato modo et ordine, quibus hæc acta fuerunt, pro certo habuerunt absque peculiari Cœli inspiratione, hanc pollicitationem non fecisse, et quod opere procul dubio hanc exequutus fuisset, quia dum hæc dicebat, totus immutatus et alienatus a se videbatur.

Alia vice dum quidam creditor instanter exigeret ab eo quadraginta scuta aurea, nec modus appareret quo brevi hanc summam colligere posset, et rem tractaret cum Patre Vicario valde sollicito ob creditoris instantiam, Prior eum hortatus est, ut in Domino, qui est adjutor in opportunitatibus, spem reponeret. His dictis ad ostium Domus exivit, et ecce quidam agricola, qui debebat ei septuaginta scuta, pertransiens dixit : « Domine Prior, mane afferam vobis illa septuaginta scuta ; nam etsi dies solutionis nondum advenerit, nihilominus ego volo solvere quod debeo. » Introgressus vero Domum, rem inopinatam Vicario, eum modicæ fidei et confidentiæ reprehendens, narravit.

Anno 1613, huic Domui præfectus, die qua sedem officii accepit, finita, ut moris est, præstandæ obedientiæ ceremonia, concionatus est coram Conventu tanta facundia, spiritu devotionis et pietate, ut omnes in sui admirationem rapuerit. Nam cum hic V. Pater hactenus adeo simpliciter et humiliter vixisset, ac citra ullam sui ipsius ostentationem, nonnulli reputabant eum ut minus idoneum ad officium Prioris præsertim ad concionandum; sed modo ab errore suo liberati cognoverunt digitum Dei esse cum illo, et non solum hac vice, sed et multoties experti sunt eum habere Deum adjutorem suum.

Imposita ergo super candelabrum lucerna cœpit lucem spargere et plurimarum virtutum circumquaque diffun-

dere splendorem. Primo quidem, ut summatim pauca dicamus, adeo candidam et simplicem animam a Deo sortitus erat, ut non secus ac puer de nullo sinistram opinionem conciperet, semper omnia in bonam partem referens, falli potius appetens quam aliquid mali de proximo cogitare. Addita tamen prudentia serpentis Prælatis semper necessaria, minime decipiebatur.

Erat humilis, benignus, affabilis, modestus, quietus ac mitis erga omnes. Admirandam sane animi pacem, modestiam, morumque gravitatem, ita cum vultus serenitate facilitateque sua conjungebat, ut per totum ejus vitæ cursum, nihil in eo leve, nihil immodestum, tam in verbis quam in factis, minime potuerit reprehendi. Adeo sui compos erat, ut eamdem mentem, eamdem animi tranquillitatem tam in adversis quam in prosperis rebus semper ipse idem conservaret. Unde non semel accidit, ut ex illa angelica modestia advenientes statim illum virum sanctum judicarent et enunciarent, juxta S. Ambrosii sententiam : « Quia bona domus in vestibulo debet agnosci. »

Ita jejuniis in carnem suam desæviit, ut unum et alterum diem sine cibo transigeret. In Adventu vero et Quadragesima, ter singulis hebdomadibus solo pane et frigida victitabat. Et in reliquo anni tempore, ad minus qualibet septimana juxta Statuti consuetudinem, solo pane et aqua contentus rigidissime observabat abstinentiam. Ita pariter somni parcus fuit, ut tres solummodo horas, vestibus indutus, quieti nocturnæ indulgeret. Non secus ac Novitius semper divinis, quæ in ecclesia tam noctu quam die persolvuntur, Officiis, absque ulla dispensatione devotissime aderat.

Sed quid dicam de ejus singulari in Deum et in Cœlites pietate, deque prolixa et fere continua oratione ? Ut paucis multa absolvam, orabat vir iste sanctus sine intermissione. Quacumque hora a Religiosis requireretur, semper in oratorio cellæ suæ aut mentali aut vocali orationi vacans intercipiebatur ; et ibi divinum Officium summa cum reverentia singularique devotione, distincte horisque debitis, nihil præponens, postponensque attente recitabat.

Rem Sacram peragebat cum ingenti pietate. Singulari in imagines Sanctorum reverentia afficiebatur, ad quarum aspectum dulces lachrymarum imbres effundebat. Quandoque suspiciens in cœlum, cupiens dissolvi et videre bona Domini, cum intimis suspiriis dicere solitus erat : « Quid erit intus, si exterior pulchritudo tantum delectat et rapit ad se cor nostrum ? »

Difficile prorsus est exponere quot modi orationis, quot exercitia spiritualia, quot formulæ mortificationum, precum, meditationum, affectuum aspirationumque in Deum, ipsius manu exaratæ, veluti pretiosæ Reliquiæ post beati viri pretiosam mortem in ejus cella inventæ fuerant. Ipse enim ad instar sedulæ et

laboriosæ apis ex omnibus quæ legebat, meditabatur et audiebat, suavissimum devotionis mel pro animæ suæ profectu colligebat componebatque. Unde fiebat ut concionandi copiosissima dicendi seges ultro occurreret. Tandem audeo dicere quod oratio et familiaritas cum Deo erat centrum illius ac terra in qua semper habitabat. Sed quoniam hæc summatim de virtutibus illius commemoravimus, prosequamur historiæ ordinem.

Habentes Conventuales tale præ oculis virtutum exemplar, licet omnes religiose admodum conversarentur, singuli tamen ad majoris perfectionis culmen aspirarunt. Capitis namque ad exemplar totus componitur orbis. Et quidem ipse, si in aliquo quis erraret, blande in privato corrigebat cum omni mansuetudine; si autem defectus esset publicus et majoris momenti, publice et severe reprehendebat, sciens judicium durissimum his, qui præsunt, futurum; ideoque non patiebatur quicquam, licet minimum, quod contra Dei voluntatem et sanctæ Religionis observantiam esset.

Et quia in omnibus solam Dei gloriam prætendebat, ipse Dominus in omnibus quoque juvabat, ita ut sub ejus regimine Domus nostra tam in spiritualibus quam in temporalibus bene dirigeretur. Sed post triennium, in Charta Capituli generalis absolutus fuit a Prioratu, non quidem propter defectus a se commissos, sed propter nonnullas informationes ad Capitulum generale directas a quadam Domo hujus Provinciæ, quam super annum visitaverat (quamvis aliquando in dicta Visitatione nihil contra conscientiam suam egisse asseveraret); ex qua occasione ad optatam desideratamque solitudinis quietem cum ingenti lætitia rediens, paulo post a Priore qui ei successerat, Vicarius institutus est. Sed cum postea electio nova facienda esset, ipse communi omnium voto et suffragio ad Prioris dignitatem iterum assumptus est.

Anno vero 1620, abiit ad Capitulum generale, ubi usque adeo benigne et amanter a R. Patre exceptus est; et sciens R. Pater, quod ille vir Dei nihil in Cartusia de solitis jejuniis remitteret, et perseveraret in oratione per horas integras in sacello, quod in cœmeterio constructum est nivibus plerumque coopertum, advocavit eum ut saluti suæ consuleret, et in illa frigidissima regione tantisper nimium rigorem vitæque suæ relaxaret asperitatem. Et quidem de hac abstinentia et aliis virtutibus, quas in eo ipse R. Pater observavit, honorificum certe testimonium reddidit in responsione cujusdam epistolæ scriptæ ad quemdam monachum hujus Domus, in hæc verba : « Grata nobis fuit illa tua benevola de V. Patre Priore testificatio, quam veram esse agnovi ex facie ejus, veraque et exemplari conversatione, cujus apud nos pergratum reliquit odorem, cujus amo et colo paterne virtutes. »

Finito Capitulo in Hispaniam rever-

sus est; sed perveniens Barcinonem correptus est gravi febre, cujus morbi, ut creditur, causa ex protracta per totam diem abstinentia processit, et ex longi itineris fatigatione. Cumque per duos aut tres dies ibi fuisset moratus, ut paulisper vires resumeret, desiderio tamen Domum perveniendi accensus iter longis dietis perrexit. Verum transiens per oppidum Ondæ, ubi præsens monasterium habet domum propriam ad colligendos decimales fructus, vidensque se nimium ex itineris labore fessum, decrevit ibi biduum transigere, ut novem leucas quæ supererant, facilius postea posset peragere. At morbo ingravescente in dies, perrexit illuc Pater Correrius hujus Domus una cum Fratre Converso, ut ambo illi inservirent.

Per quindecim dies quibus decubuit, venerabilis hic Pater patientiam singularem et constantiam in infirmitate exhibuit, necnon pietatem et devotionem, quibus omnes, qui eum visitabant, valde ædificabantur, et tanquam virum justum et sanctum reputabant, adeo ut quicquid fuerat ejus usui, jam pro Reliquia conservarent. Die S. Petri, generalem Confessionem fecit Doctori Cardonæ illius oppidi Rectori, qui e cubiculo discedens perfusus lachrymis, astantibus dixit: « Hæc certe est una pura et nitida anima, et non sicut nostræ fœdæ et immundæ. » Deinde Viaticum cum tanta lachrymarum abundantia recepit, ut omnes unanimiter ad fletus excitaret. Postremo inter affectuosa crebraque cum Jesu Christo Salvatore nostro Beatissimaque ejus Matre, quorum imagines aspiciebat, colloquia, summa cum animi tranquillitate beatum spiritum emisit, die 10 Julii, anno 1620.

Statim ut obitus ejus divulgatus est, (licet acciderit hora decima noctis) commota est universa civitas, et certatim omnes confluxerunt ad osculationem manuum ejus et pedum; vestesque ejus abscindentes, digitis sacri cadaveris minime pepercissent, nisi diligenter pretiosum pignus asservatum fuisset. Medicus qui in infirmitate venerabilem Patrem visitaverat, nihil in pretium laboris sui sibi dari voluit, nisi cyphum in quo biberat. Rector qui Ecclesiastica Sacramenta ministraverat, felicem se reputavit, videns se donatum Diurnale quo Canonicas Horas recitabat. Mantilia, mappæ, lances, scutellæ et quicquid beatus iste Pater lecto decumbens tetigerat, devotæ plebis multitudini distributa sunt. Illud quoque fuit singulare et observatione dignum, quod infantes, qui naturaliter a mortuis abhorrescunt, omnes, ne uno quidem vel minimo excepto, ad oscula manuum et pedum ejus occurrerunt; tantaque fiducia et tanto amore beati viri corpus tractaverunt, ac si esset unus ex ipsis.

Quidam civis dives, nomine Orabona, offerebat ducenta scuta pro extruendo illi nobilissimo sepulchro, si in sacello suo ejus corpus deponi permitteretur.

Similiter omnes unanimiter in ecclesia sua sepulturæ mandari contendebant. Quapropter Pater Procurator summam in transportando ad hanc nostram Domum corpore curam et diligentiam adhibuit; quod plurimis Clericis et piis viris vallatum, die Dominica, duobus diebus post illius obitum, transvectum est, multis cum lachrymis ab omnibus indiscriminatim exceptum, cui etiam summa cum tristitia a Religiosis parentatum in communi Patrum cœmeterio.

Mortem illius multi pii viri extranei valde doluerunt, ut constat ex epistolis, quas ad nos scripserunt tanti viri laudibus et encomiis plenas. Inter quas primum referam, quid R. P. noster Generalis scripserit ad Conventuales in hæc verba : « Doleo pro humano sensu de obitu V. Patris Domni Francisci Font, Domus vestræ Exprioris. Amisit Ordo in eo magnum et sanctum Patrem; qui tamen non est dolendus tanquam amissus, sed tanquam præmissus ad Vitæ beatæ hæreditatem, ad quam omnes nati sumus et tendimus, etc. Vester in Domino Confrater F. Bruno, Prior Cartusiæ. »

Venerandus Pater Antonius Sobrino, Religiosus Franciscanus Discalceatorum, vir eximiæ sanctitatis ac veneratione dignus, scripsit quoque Vicario hujus Domus, in hunc modum : « Gavisus vehementer nuncio felicissimi transitus Patris Prioris Domni Francisci Font, nec possum non credere recta in Cœlum evolasse, inter Cœlestesque spiritus admissum, quia pura certe et sancta erat anima, cui ut cæteris Sanctis Paradisi commendare me quotidie non cesso... etc. »

Domnus Vincentius Navarro, monachus noster, qui morabatur in Domo Montis hilaris, quem allocutus fuerat Domnus Franciscus Font in ascensu et descensu Capituli, scripsit cuidam Religioso nostræ Domus in hæc verba : « Supramodum dolui acerbissimo nuncio, quem detulit N. ægritudinis D. Francisci Font, cujus anima jam requiescit in pace. Nam ut illius præclara merita taceam, statim ut in mentem venerunt, quæ inter nos collocuti fueramus, dum rediret a Capitulo, non possum dubitare revelatam atque prædictam sibi fuisse a Domino mortem suam, diem atque horam. Et licet ipse aperte hoc mihi non dixit, sed non credo hominem esse in mundo, qui, si sciret quæ inter nos ad invicem acta fuerunt, aliter sentiret. Deus admisit illum in regno suo cum multis gloriæ gradibus, sicut certissime credo... etc. »

In confirmationem autem illius, quod hic Pater refert ac tam constanter affirmat, videlicet revelationem accepisse a Domino suæ mortis, possent et nonnullæ conjecturæ allegari; sed illa silentio prætermittenda non est, quod ex multis retro annis hic devotus Pater ad singulas Horas de Beata Maria post *Salve Regina* addebat Orationem quæ Dominica quarta post Octavas Pente-

costes recitatur, quæ incipit : *Protector in te sperantium Deus, etc.;* et fuit observatione dignum, quod eadem die Dominica fuerit sepultus. Quis scit an præsciverit diem sepulturæ suæ?

Restat autem, ut pro conclusione nonnulla miracula, quæ Deus per preces ejus in vita et post mortem operari dignatus est, referamus.

Petrus Fernandez, Donatus noster, dum gravi dolore capitis gravaretur nec medicamine levari posset, provolutus genibus ante Patrem D. Franciscum Font, statim ut Sacra Mysteria peregit, rogavit eum ut benedictionem suam sibi impertiri dignaretur. Quod ille misericordia plenus libenter fecit; et imponens illi manus, recitataque oratione quadam et porrecta benedictione, statim sanus surrexit.

Michael Sorianus, etiam Donatus Domus Aræ Christi, refert, quod dum D. Franciscus illius Domus Prior esset, ipse Pistoris officium gerebat; vidensque duabus vicibus farinam deficere, nunciavit Priori ut necessitati succurreret; sed Prior dixit illi : « Vade, Frater, et benedic farinæ et spera in Domino, qui tempore suo providebit. » Abiit ille ut verus obediens, et fecit quod sibi fuerat imperatum, et revera farina illa multo magis duravit quam per ordinem naturæ durare posset.

Item alia vice cum vendidissent totum oleum, nihilque omnino reservassent, et paulo post indigens pecunia, interrogasset Donatum illum an remansisset quicquam olei ad vendendum? subrisit ille et dixit : « Minime, Pater, ut tu melius nosti. » « Vade, inquit, et nihil hæsitans inspice diligenter cellam oleariam. » Abiit ille, et invenit cum ingenti admiratione non modicam quantitatem olei, qua vendita, instanti necessitati provisum est.

Quædam monialis Ordinis S. Francisci, monasterii oppidi de Onda, ubi beatus Pater decesserat, tam vehementer ægrotavit, ut medici jam de ejus vita desperantes juberent eam Extrema Unctione perungi; verum illa, imposita supra morbum parva cuculla V. P. Francisci Font, et ejus se suffragiis devote commendans, brevi integram perfectamque sanitatem recuperavit.

Duo religiosi viri narraverunt mihi, quod quædam nobilis matrona civitatis Valentiæ, D. Francisco valde devota, quamdam tunicam asservat qua erat indutus in ultima infirmitate et unum cingulum ipsius, quibus nonnulla miracula, maxime præsertim in mulieribus prægnantibus patrata sunt.

F. Philippus Sentis, F. Joannes Moliner, Conversi, et F. Gabriel Rocamora, Donatus, narrant quod, nocte ipsa eademque hora qua P. Franciscus Font obiit in oppido Ondæ, ipsi in præsenti Domo subigebant farinam ad conficiendos panes pro Conventu. Et licet consuetam farinæ quantitatem accepissent, notaverunt plus solito aquam imbibere, ita ut ter aquam addere oportuerit. Videruntque massam

supra modum increscere. Idque aperte innotuit ex insolita copia panum quos e clibano extraxerunt. Mirabantur valde de tam insolita re et loquebantur mutuo dicentes : « Unde hoc provenit? Quid nobis accidit? » Et per totam diem Sabbati permanserunt in hac admiratione, donec ad vesperam advenit nuncius de morte P. Font, et quod funus illius comitabantur multi Clerici et devoti sæculares. Tunc enim dixerunt : « Procul dubio P. D. Franciscus Font, ut grati erat animi, panes auxit, ut sufficere possent Conventualibus et ejus sepulturæ causa advenientibus. » Et ita accidit; nam ex illis panibus comederunt omnes abunde per quatuor dies. Quod absque Dei miraculo ad comprobandam tanti viri sanctitatem minime fieri potuit.

FRANCISCUS JANNELLUS

PRIOR GLANDERII

Quadraginta sex annos in Ordine, triginta in Prioratu, exemplariter transigens cum maxima pace et fructu spiritali, magna fuit apud omnes in existimatione, suæ professionis memor semper, silentii amator ac solitudinis. Tandem post diuturnos ex multis infirmitatibus exantlatos labores, magno sui desiderio relicto, decessit anno 1628, 10 Julii. Præfuit etiam Villæfrancæ.

SUSANNA MAUPIN

MONIALIS GOSNAY

Parentibus orbata se se recipiens in urbem Abbavillæam apud suum patruum, sub R. P. Hauger Ordinis Minimorum regimine miros in itinere virtutis fecit progressus. Tam autem acri præstantique ingenio prædita erat, ut sexum suum superans Latinas Græcasque litteras et alias scientias calleret. His naturæ dotibus exornata, nihil penitus nisi humiliter de se sentiebat, cum in sola Christi Cruce gloriaretur. Ad hunc anhelabat totis animæ medullis. Sanctam Mariam Magdalenam, quam sibi adsciverat in Patronam, tanquam exemplar pœnitentiæ sibi proposuerat moribus exprimendam, ad cujus quidem virtutum imitationem, divina favente gratia, accessit.

Sub annum 1597, annum ætatis vigesimum quartum agens, venit in hanc Domum magistro suo spirituali comitante. Spatiabantur per id temporis moniales juxta Ordinis consuetudinem et singularem indulgentiam Romæ concessam a Summo Pontifice sacroque Cardinalium Collegio. Hac licentia Pater Hauger scandalizatus, post augustissimi Altaris Sacramenti salutationem, ratus hoc parthenium ab Instituti sui legibus defecisse, Susannam a proposito dehortatur. Verum hæc divinis impulsibus jam assueta, interiori quodam lumine persentiscens hoc monasterium

a Deo sibi fuisse demonstratum, ut ibi suæ salutis opus consummaret, respondit ei Latino idiomate : « Hic caro mea requiescet in spe. » Quibus auditis, rem Pater cum Superioribus peragit, mutataque sententia, Vitam monialium tam spiritualem et hanc Spatiamentorum relaxationem inter se conciliari posse se hactenus non credidisse confessus est.

Negotio sic feliciter absoluto, Susanna Religionis stadium ingressa, eum vitæ cursum instituit, quo non ignaviter aut incerta meta curreret; sed totam se contulit ad virtutes comparandas, quibus et melior in dies evaderet, et attingeret summum monasticæ perfectionis culmen. Utque Christo Sponso placeret unice, penitus eliminaverat a corde suo rerum visibilium amorem, soli Deo semper adhærescens. Illius gloriæ ita erat æmulatrix, ut si forte divinum Numen offendi peccatis hominum intelligeret, statim suis eum placabat lachrymis et gemitibus, parata millies in frusta concidi, modo impediret quominus effusæ adeo in humanum genus bonitatis Pater inhonoraretur.

Porro cum Deus Susannam magis ac magis in amore suo flagrantem cerneret, præveniebat eam in suæ dulcedinis benedictionibus, juxta illud Isaiæ : *Ecce ego declino in eos ut flumen pacis.* Nam tanta suavitate, tanta mentis tranquillitate potiebatur, ut pax Dei quæ sensum omnem exuperat, animam illius occupans, veluti quædam æternæ felicitatis esset illi prægustatio; unde torrente potata voluptatis, castissimis Christi fruebatur amplexibus, quibus quidem deliciis recreata fuit a suæ professionis initio ad extremam usque palæstræ spiritualis metam.

Plurimis autem quæ notitiam hominum subterfugerunt prætermissis, pauca dicam, quibus patebit Christum sibi delegisse singulariter Susannam in habitaculum. Hujus rei testis fuit Ludovica Masse, quæ propter vitæ suæ sanctimoniam huic præfuit parthenio. Cum ambæ pariter divinis interessent Officiis, Ludovica Spiritum Sanctum in Susanna quiescentem operantemque divinitus in singulis animæ illius facultatibus conspexit : quod postea retulit Superioribus, Deo sic ad gloriam suam ordinante. Vix Ludovica revelabat gratias, quibus a Domino cohonestabatur, rata, ut aiebat, expedire magis illas statim in eum a quo emanabant refundere, quam intuitu cogitationis periculoso propalare. Nihilominus tamen prædicta visio tantum in illius mente inhæsit, ut quoties eam in animo volveret, toties acceptæ gratiæ novum effectum experiretur : quod quidem post Susannæ mortem declaravit.

Porro dum Susanna his et aliis donis ditaretur, ad anteriora se se semper extendens, nova in dies charismata promereri satagebat. Horas Canonicas recitabat cum ea devotione et modestia, ut in choro conjuncta psallentibus Sorores excitaret ad intimam sen-

suum recollectionem. Quid referam de paupertate? Cui studium in victu, in cultu atque in omni usu vitæ semper fuit. Hinc de quibus passim, quia pretii nullius sunt, fit ab aliis jactura, ea sollicite excipere, et apprime sibi esse opportuna conniti. Occupata perpetuo vitabat otium, totumque manuum suarum laborem in ornamentum ecclesiæ consecrabat.

Quoties autem aliquid sui temporis impertire monialibus rogabatur, ea lege sui faciebat copiam, ut Deum semper præsentem haberent, atque ideo sermones miscebat de rebus divinis, Sanctorumque Vitas proponebat junioribus in exemplum; quibus, ut attentius divinis interessent Officiis, voces Latinas Psalmorum explicabat. Cavebat imprimis ne murmurationis verba vel detractionis audirentur, et sic semper sollicita super oris sui cordisque custodiam se se servabat immaculatam ab hoc sæculo.

Interim non ipsi defuit patientiæ materies, tam in corporis doloribus sustinendis, quam in perferendis tentationibus, in quibus semper se se fortiter gessit. Edocta divinitus, Tractatum de Sanctissima Trinitate scripsit plane mirabilem, quem dedicaverat R. Patri D. Brunoni d'Affringues, qui quamvis opus hoc sublime multum laudaret, noluit tamen sub prælo committi, ratus satius esse monialem tantum mysterium silentio quam calamo venerari. Supersunt adhuc in hoc gynæceo ingenii illius manuumque peregregia monumenta. Texuit etenim aulæa variis cum iconibus, ubi characteres diversos Græcos Latinosque depinxit, qui theologos rapiunt in admirationem.

Post contextam demum et ornatam tot virtutibus religiosis vitam, meritis dives ad immortalem morte admodum sancta feliciter transivit, anno 1630, die decima julii. Agebat annum ætatis 57, Religionis 33.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart, Monialis Gosnay.

XI DIE JULII

JOANNA DE VOS

PRIORISSA BRUGIS

Filia Balduini de Vos, unius ex Fundatoribus hujus parthenii, soror Mariæ item hujus monasterii Priorissæ. Jam quinquagenaria, postquam omni genere virtutum in hac Domo floruisset, ad Cartusiæ moderamen assumpta per quindecim annos præfuit; circa commissum gregem sollicita, suum magna cum laude prudentiæ et eximiæ in Christi Passionem devotionis laude ministe-

rium obivit. Pie moritur anno 1434, die 11 Julii, ante aram minorem sepulta.

De Domino Balduino Vossio Confundatore Cartusiæ Brugensium Monialium agunt Dorlandus, Lib. 6 Chronic. Cap. 33, et Raissius in Originibus Cartusiarum.

NICOLAUS STADINCK
CLERICUS REDDITUS BRUGIS

Vir ob assiduum orationis studium, insignem morum suorum innocentiam, jugemque Dei, in cujus præsentia semper ambulabat, memoriam, dictus contemplativus; post multos in Christi famulatu annos exactos, sancte decessit in senectute bona. Vixit circa annum 1460.

Ex antiquis Cartusiæ Brugensis Mss.

ABRAHAM BOUYS
CONVERSUS PARCI

Qui cum pie et devote vixisset, pie etiam et devote in Domino obdormivit, anno 1627, 11 Julii.

Ex Kalendario Domus Parci.

XII DIE JULII

ROBERTUS A VALLE
MONACHUS LUVINIACI

Quem monasterium S. Petri vivi Senonensis, cui annis quatuordecim Abbas præfuerat, agnovit Benedictinæ normæ observantia haud vulgari addictissimum; sed, Cartusiano schemate indutum, agnovere Cartusienses perfectissimum vitæ strictioris æmulatorem. Hic cum esset sexagenarius, abdicata dignitate Abbatiali, factus Luviniaci monachus anno 1404, ibidem sanctissime naturæ debitum persolvit. Ejus obitus notatur in Charta Capituli generalis anni 1412. Franciscus Ganneron in suo Martyrologio Cartusiensi refert eum discessisse die 19 Aprilis; decessit vero 12 Julii, ut patet ex antiquo Calendario Luviniaci.

Primo vota professionis emiserat in Abbatia S. Sequani in Burgundia, unde anno 1390 assumptus fuit ad Præfecturam cœnobii S. Petri vivi Senonensis a Clemente Septimo Antipapa. Ea de re duæ ejusdem Pontificis extant Bullæ, quarum prima injungit Joanni de Viviaco cardinali S. Anastasiæ, ut inquirat de vita et moribus Roberti de la Val. Harum autem talis est tenor :

« Miseratione divina Joannes tituli S. Anastasiæ, S. R. E. presbyter Cardinalis, Vivariensis vulgariter nuncu-

patus, Reverendo in Christo Patri Dei gratia Archiepiscopo Senonensi salutem in Domino sempiternam. Literas sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Clementis divina Providentia Papæ Septimi, ejus veras Bullas plumbea cum filis cannabis more Romanæ Curiæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, cum ea qua decuit reverentia recepimus ; quarum tenor talis est :

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni tituli S. Anastasiæ presbytero Cardinali, salutem et Apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias quibus assidue premimur, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut status Ecclesiarum et monasteriorum omnium curæ nostræ divina Providentia commissorum, spiritualiter et temporaliter augeatur ; quodque tales illis ministros præficere studeamus, per quorum regimina Ecclesiæ et monasteria ipsa utiliter et salubriter valeant gubernari. Dudum siquidem provisiones monasteriorum omnium tunc vacantium et in antea vacaturorum, per provisiones per nos seu auctoritate Literarum nostrarum tunc factas et imposterum faciendas, de Prælatis eorum ubilibet constitutis aliis monasteriis tunc vacantibus et in antea vacaturis, ordinationi et dispositioni nostræ duximus reservandas ; decernentes ex tunc irritum, et inane si secus super iis, per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari.

« Cum itaque postmodum monasterium S. Petri vivi Senonensis, Ordinis S. Benedicti, ex eo vacaverit (et vacet ad præsens), quod de persona dilecti filii Odonis, sancti Secani dicti Ordinis, Lingonensis diœcesis, tunc dicti S. Petri vivi monasteriorum Abbatis, eidem monasterio S. Secani tunc vacanti auctoritate Literarum nostrarum extitit provisum ; nullusque præter Nos hac vice de provisione ipsius monasterii S. Petri vivi disponere potuerit, neque possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis : Nos cupientes eidem monasterio S. Petri vivi per dilectum filium Robertum de Valle, Infirmarium dicti monasterii S. Secani, qui in presbyteratus Ordine constitutus existit, salubriter gubernari poterit atque regi ; circumspectioni tuæ, de qua in iis et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta præcipimus et mandamus, quatenus de sufficientia dicti Roberti, qui apud Nos de religionis zelo, literarum scientia, vitæ munditia, honestate morum et aliis virtutum meritis multipliciter commendatur, diligentius te informes ; et si per informationem hujusmodi eum ad regimen et administrationem ipsius monasterii S. Petri vivi idoneum esse repereris, de persona ipsius Roberti præfato monasterio S. Petri vivi hac vice auctoritate nostra

provideas, ipsumque illi præficias in Abbatem, curam et administrationem dicti monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; et facias sibi a subditis ipsius monasterii S. Petri vivi obedientiam et reverentiam debitas exhiberi; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus si dilectis filiis Conventus dicti monasterii S. Petri vivi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

« Et nihilominus si de persona dicti Roberti præfato monasterio S. Petri vivi duxeris providendum per aliquem Catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentem, ei munus benedictionis impendi facias ac procures. Volumus autem quod idem Antistes, qui dicto Roberto præfatum munus impendet, ab ipso Roberto, nostro et Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum recipiat juramentum, juxta formam quam sub Bulla nostra mittimus interclusam; ac formam juramenti, quod idem Robertus præstabit vobis de verbo ad verbum, per ejusdem Roberti patentes literas sub sigillo sigillatas, per proprium nuncium quantocyus destinare, procuret. Per hoc autem venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Senonensi, cui præfatum monasterium S. Petri vivi ordinario jure subesse dignoscitur, nullum volumus imposterum præjudicium generari. Datum Avenione. Cal. Augusti, Pontificatus nostri anno duodecimo. »

« Nos igitur Cardinalis præfatus, volentes Apostolicum mandatum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur, de sufficientia, idoneitate et meritis præfati Domini Roberti de Valle, juxta tenorem Literarum Apostolicarum præscriptarum, diligenter nos informavimus : et quia per informationem hujusmodi reperimus ipsum fore sufficientem et idoneum ad regimen et administrationem dicti monasterii, et per industriam suam monasterium ipsum in spiritualibus et temporalibus prospere, dante Domino, dirigi poterit et etiam gubernari : nos auctoritate Apostolica per præscriptas Literas nobis in hac parte commissa, et etiam de ipsius Domini nostri Papæ speciali mandato super hoc oraculo vivæ vocis nobis facto, de persona ipsius eidem monasterio, ut præfertur, vacanti : auctoritate prædicta providimus, ipsumque eidem monasterio præfecimus in Abbatem et Pastorem, curam et administrationem ipsius monasterii S. Petri vivi Senonensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias et largitur præmia confidentes, quod dextra Domini sibi assistente propitia, præfatum monaste-

rium per suæ circumspectionis industriam salubria in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

« Cum itaque, ut ipse Dominus Robertus Abbas præfatus in commisso sibi dicti monasterii regimine salubrius proficere valeat, vester favor eidem noscatur plurimum opportunus, Paternitatem vestram exhortamur in Domino, quatenus præfatum Dominum Abbatem et dictum monasterium sibi commissum, quod ordinario jure vobis subesse dignoscitur, habeatis pro dicti Domini nostri Papæ et Sedis Apostolicæ reverentia propensius commendatum in ampliandis et conservandis juribus suis, taliter quod ipse Dominus Abbas vestro suffultus auxilio, in commisso sibi præfati monasterii regimine se possit utilius exercere : vosque divinam misericordiam valeatis exinde uberius promereri. In cujus rei testimonium præsentes nostras Literas sigilli nostri fecimus appensione muniri.

« Datum et actum Avenione, sub anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, Indictione tertia decima, die vero nona mensis Augusti, Pontificatus præfati Domini nostri Clementis Papæ Septimi anno duodecimo. Vobisque nihilominus mandamus auctoritate Apostolica prædicta.

G. de Mellayo. A. »

Obiit Robertus 12 Julii, anno 1411, ut patet ex Necrologio Luviniaci, unde emendandum est Ganneronii Martyrologium.

MARGARITA DES PLANCQUES

MONIALIS GOSNAY

Non minus virtute quam generis splendore clara ; ad Christum Sponsum, cui se totam consecraverat, evolat anno 1501, die 12 Julii.

Ex Manuscriptis.

PETRUS CHRESSI

SACRISTA CARTUSIÆ

Professus Majoris Cartusiæ, et per viginti annos Sacrista religiositate gravis ac pietate ; angelicam animam Deo reddidit anno 1551, 12 Julii.

Ex Schedis D. Hugonis Buat.

JOANNES COMMELINCK

VICARIUS MONTIS DEI

De quo agitur in Chronico Montis Dei his verbis :

« Joannes Commelinck professus Domus Lovanii, origine Duacensis, vir multum venerabilis et jam senex factus est, anno 1570, Vicarius Montis Dei. Cum enim vitam ejus in omni virtute consummatam R. Pater Bernardus Carassus Picardiæ Convisitator propriis oculis et auribus in Flandria constitutus didicisset, factus postmodum Prior Ma-

joris Cartusiæ, pro Monte Dei semper sollicitus, curavit illum ad Montem Dei transferri, quatenus Joanni Billio Priori ad promovendam regularis observantiæ disciplinam esset auxilio.

« Vicarius itaque ordinatus probe suo functus est officio, conceptæ de se bonæ opinionis strictam in omnibus præbens observantiam. Erat namque vir admodum exemplaris, pietati addictissimus, in spiritualibus peritissimus, et jugi deditus mortificationi, adeo ut pro suæ religiositatis tessera haberet *Vince te ipsum*. Multos secum codices Lovanio attulit, qui non nisi meram pietatem spirant. D. Bertrandus Morellus, qui eum intus et in cute noverat, semper de eo quasi non vulgaris probitatis monacho loquebatur honorifice, vocans eum virum sanctissimum, qui se monstrabat in omnibus irreprehensibilem. Hujus autem V. Patris admirandam pietatem, patientiam et spiritualium experientiam ipsi dæmones exhorruerunt; cujus etiam cellulam ingredi nusquam potuere. Naturæ debitum persolvit anno 1577, die 12 Julii. »

MAURITIUS CHANCÆUS

PRIOR SHENENSIS

Nobilis Anglus, professus Cartusiæ Londoniensis ; post Patrum Ordinis nostri necem ab Henrico Rege patratam exul a patria, cum aliis monachis appellens in Belgium, aliquandiu moratus est apud Cartusianos Brugenses, donec orthodoxa Religione per Mariam Reginam restaurata, Mauritius anno 1555, mense Junio, feliciter remeavit.

Regina perillustrique Cardinale Polo Reipublicæ Christianæ patrocinantibus, destructam Cartusiam Shenensem reædificans, congregato cœtui religiosissimo præfuit non sine Catholicorum ingenti consolatione. Verum tanti gaudii extrema luctus occupat, dum post Mariæ et Poli Cardinalis mortem, anno 1559, mense Julio, Mauritius cum sociis solum vertere et Belgium repetere coactus est; ubi post fixam diversis in locis stationem, cum in Hispaniam, quamvis confectus gravi senio, profectus fuisset ad promovenda suæ Domus negotia, rebus peractis rediens in Cartusia Parisiensi extremo morbo correptus, tandem sanctissime moriens, anno 1582, die 12 Julii, a laboribus requievit.

Post mortem illius cum ejus cadaver juxta morem Ordinis lavaretur, invenerunt, qui extrema ei Christianæ pietatis officia exhibebant, corpus circa lumbos catena ferrea constrictum, quæ ita carni adhærebat, ut vix extrahi potuerit.

Hic olim inter martyrii candidatos annumeratus, Dei Providentia subtractus est, ut Beatorum Martyrum Angliæ gesta scriptis mandaret : quod et digne præstitit, quamvis, quamdiu vixit, se Sathan fuisse inter filios Dei dixerit tam humiliter quam lamentabiliter, his ver-

bis : « Ego nullatenus sum ulla laude aut gloria, quin potius omni vituperio ac ignominia dignus. Judas traditor annumeratus erat inter duodecim Apostolos; audiebat, videbat ac faciebat quæ et cæteri, verum reprobatus fuit, etc. Sathan inter filios Dei adfuit neutiquam laudandus. Ego vero prodii ex istis, res in aperto est, sed non eram ex illis. Nam si fuissem ex illis, permansissem utique cum illis, bibiturus calicem quem et illi biberunt. Ego Saul inter Prophetas. Ego filius Ephrem, intendens et mittens arcum, conversus in die belli, abii retrorsum, in non custodiendo quæ apud me reposita erant. Tanta sanctitas vigebat inter eos, quod ego non sum dignus vocari aut haberi, et multo minus laudari quasi unus ex illis. »

De Mauritio fit mentio in Bibliotheca Cartusiana, et apud Pitseum in Catalogo Scriptorum Angliæ.

ALPHONSUS DE VAL DE TORRES

VICARIUS GRANATÆ

Professus de Paulari, Procurator et Vicarius Granatæ; quadraginta annos vixit in Ordine, quibus variis et continuis fere morbis fuit probatus, podagra præsertim, summam semper exhibens patientiam. Egregiis siquidem virtutibus erat instructus, quas eo referebat, ut quoad erat fas homini, Deo digne sacrificaret; orabat sine intermissione, omnisque voluptas ejus erat in tractatione rerum piarum. Otii osor maximus satagebat insumere tempus utiliter, suo profectui spirituali vacare, atque curare hoc unum, videlicet nihil præter Deum curare. Cumque ipsi soli placere, et in corde perfecto servire sollicitus esset, mundo rebusque terrenis plane mortuus vivebat, suspensam in Deum semper gerens mentem. Profectus suorum magno tenebatur zelo; quos cum sanctæ admodum conversationis exemplis ad perfectionem monasticam provocasset, bonis omnibus desiderio sui relicto, mortalitatis debitum exsolvit anno 1602, die 12 Julii.

ANTONIUS DE LIMONT

VICARIUS TORNACI

Flander; vir doctrina et pietate clarus, post exhibitam admirabilem inter acutissimos et pene incredibiles dolores patientiam, sanctissime obiit, 12 Julii, 1631.

XIII DIE JULII

CATHARINA DU MONT

MONIALIS GOSNAY

Hujus monasterii senior; post exactos in Ordine sexaginta tres annos, collectis bonorum manipulis, Christo Sponso spiritum reddidit, anno 1542, die 13 Julii.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart, hujus parthenii Monialis.

JUSTUS PERROT

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Ejus elogium breviter describitur in tabella R. R. P. P. Priorum Majoris Cartusiæ excusa anno 1649, his verbis : « R. P. Justus Perrot, Parisinus, Cartusiæ professus et Ordinis Scriba, vir infracti animi et ad condonandas injurias inclinati, multis adversis animo et corpore pressus patientia triumphavit. Cartusiam auxit, occurrentes difficultates elusit; dolore capitis acutissimo et fere continuo vexatus, vix in terram dejectus est, quippe qui diceret Generalem stantem mori oportere, quod pene ipsi contigit. Præfuit annis duodecim. » Hactenus tabella Generalium.

Erat autem R. Pater Justus ex spectata Perrotorum familia; qui relicta sæculari militia transvolavit ad castra divi Brunonis, prælia Domini præliaturus; qui litteris humanioribus sufficienter degustatis, multa experientia et rerum Cartusianarum praxi nulli secundus fuit, ab anno 1617 usque ad annum 1630, quo factus est vices gerens R. Patris Brunonis d'Affringues, manens tamen Scriba; demum anno 1631 a Capitulo generali ad summam Ordinis Præfecturam evectus, benigne, mansuete ac paterne clavum tenuit. E vivis excessit anno 1643, die 13 Julii.

JOANNES LOBELIE

MONACHUS GLANDERII

Vir insignis sui ipsius despicientia, qui nullam, qua aliorum sibi contemptum conciliaret, prætermittebat occasionem. Silentii solitudinisque fuit adeo tenax, ut a Spatiamentis et a communibus colloquiis semper se abstinuerit, quo rerum cœlestium contemplationi vacaret liberius. In spiritu et veritate soli Deo adhærens ad extremum usque spiritum, ad beatam immortalitatem migrat anno 1634, die 13 Julii.

Ex Manuscriptis.

STEPHANUS DE SOTOMAJOR

CONVERSUS DE PAULARI

Ad omnem Superiorum nutum accommodatus, fuit diu occupatus in culinæ ministerio ac Novitiorum educatione; ita Legum nostrarum observator, ut ab illis, qui viventi et morienti interfuerunt, dicatur Stephanus extitisse posteris illustre vivendi et moriendi exemplum. Post exhibitam siquidem summam inter infirmitates, quibus senex probatus est, patientiam et ad Dei beneplacitum resignationem, recitans devotissime Salutationem Angelicam expiravit, anno 1661, die 13 Julii. Vix e vivis excesserat, cum cuidam monacho de Paulari fide dignissimo per noctem se sistens juxta lectulum ejus, facie admodum veneranda, cum vestibus candidissimis, ipsi valedixit, Dei pacem, ad quem pergebat, apprecatus. Vixerat in Ordine 29 annos.

Ex Manuscripto.

XIV DIE JULII

BONIFACIUS A SABAUDIA

ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS

Filius Thomæ comitis Sabaudiæ et Beatricis Gebennensis. A teneris annis fit primo Cartusianus; sed nondum emissis votis donatur Prioratu Nantuacensi, quem postea abdicavit; apud eosdem Cartusianos reversus, inde eligitur episcopus Bellicensis, anno 1234. Post ad Valentinensem in Delphinatu Cathedram orbatam Præsule, obitu Willelmi germani sui, postulatus est.

Interim S. Edmundo, Cantuariensi Metropolita, ad cœli amœnitatem pro sedula Christi servitute evocato, ad instantiam Regis et Reginæ Angliæ ad Archiepiscopatum promovetur. Lugdunum deductus, solemniter inauguratur ab Innocentio IV Pontifice Romano Concilium ibi Œcumenicum celebrante. Anno 1250 suam diœcesim lustravit; quo tempore recepit litteras Hugonis Cartusiæ Majoris Cœnobiarchæ.

Postquam viginti quinque circiter annorum spatio in Anglia demoratus, creditum ovile Pastorali amore fovisset curaque coluisset pervigili; singulari in pauperes et monachos charitate conspicuus; patrium solum revisens, in castro S. Helenæ, jam maturus gloriæ, mortis sarcina exemptus ad beatam immortalitatem emigravit, 14 Julii, anno 1272. Funeratus in cœnobio Altæcombæ ad locum Burgeti, diœcesis Genevensis, suæ glorificationis indicia prodidit perspicua; quibus effectum est,

Christo servum suum mirificante, ut corpus ejus incorruptum, Camberiacum Sabaudiæ Metropolim, ad securiorem situm et cultum uberiorem, quo etiamnum fulget, delatum fuerit.

Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum qui in Martyrologio Romano desunt; Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano; Guichenonius in Historia Sabaudiæ et Bugeii; Gallia Christiana et plerique rerum Anglicarum Scriptores.

MICHAEL COLMENERO

VICARIUS MIRAFLORES

Ab exiguo quodam oppido, Palantinæ diœcesis, in Hispania, dicto Artudillo, duxit originem. Cujus parentes multum ignobiles vacabant agriculturæ. Ad eumdem vitæ statum Michaelem destinantes, scholarum aditum illi interdixerunt, rati id fore in familiæ penuriam patientis detrimentum. Verum ad majora natus puer, tametsi obscuro loco obscuroque genere natus, virtute tamen, quæ adolescentem et provectam ipsius ætatem semper secuta est, clarissimus ac nobilissimus evasit.

Addictus siquidem a patre suo agricultioni, haud tamen interea neglexit potiorem animi culturam; et quamvis ludimagister illi deesset, qui eum erudiret ad prima litterarum elementa, ipse sibi pædagogus effectus, sua obstetricante industria solus legere didicit ac scribere, characteres in obviis parietibus et in terra cum carbonibus efformans: ita profecit, ut sibi aditum fecerit ad scientias humaniores.

Qui Michaelem noverant, tantam in eo, dum studiis operam dabat, morum compositionem atque honestatem, tantam omnium vitiorum fugam, tantam vitæ disciplinam, tantam ad omne bonum animi propensionem conspiciebant, ut universi in eum oculos converterent. Cœlestem in animo Michael nactus pædagogum, virtutis freno juveniles impetus cohibere didicit, nihilque unquam leve vel inane protulit, ludicra omnia refugiens ac obscena, quæ ne quidem poterat audire. Cibi parcissimus, mentem suam oratione cœlestique epulo reficiebat et audiebat verbum Dei. Nec minori in sacrosanctum Missæ Sacrificium religione ferebatur.

Quantum otii fuerit osor, hoc patet exemplo. Tempore autumnali, dum litteris justitium indicitur, ipse rediens in patriam ægre ferebat parentem suum segetes metentem videre, dum stabat otiosus. Quapropter operi manum admovens pro virili collaborabat cum cæteris; nocte vero, aliis quiescentibus, ille librorum lectione defatigabatur, nunquam studendi finem faciens. Unde nec mirum si perfecte calluerit Latinum idioma. Vir laboris amantissimus, felici Minerva mentem suam applicans ad Sacros Canones, in iis versatissimus in oppido suo Beneficium ecclesiasticum adeptus est.

Verum studiosior Instituti Cartusiensis, in hac eremo admittitur ad vota professionis post exactum in omni fervore spiritus tyrocinium. Tot virtutibus coruscare cœpit, ut in eo quasi omnes conglobatæ viderentur. Singularis in eo elucebat charitas, ex qua emanabat summa mentis tranquillitas, omnimodaque voluntati Divinæ subjectio, unde æquam in adversis servaret mentem, nunquamque ex vario rerum humanarum eventu appareret tristior.

Effusæ etiam erat in alios bonitatis, in quorum utilitatem, commodum et obsequium, quæ sua erant plane oblitus, se se libentissime impendebat. Alienæ potius quam suæ voluntatis faciendæ studiosus in omnes se vertebat formas; sicque omnibus omnia factus, singulis faciebat satis; nunquam visus est cum quoquam verbis contendere, perfectusque sui contemptor, in licitis suum semper alieno subjiciebat judicium. In his tamen adhibebat modum dum Vicarium ageret, omnia librans ad stateram discretionis, ne facilitas nimia regulari observantiæ detrimentum afferret.

Perfecte Superioribus, quos sibi vice Dei præsidentes divinaque propemodum auctoritate præcellentes suspiciebat, se totum subdiderat, omnique prorsus propriæ voluntatis usu abjecto, nulla alia præterquam eorum voluntate frui videbatur. De illis bene sentiebat, bene loquebatur, illos summopere tanquam Dei Vicarios venerabatur.

Paupertatis spiritu imbutus, in victu, vestitu atque in ipso rerum necessariarum usu ea floruit parcimonia, qua inde facile perspici posset eum rebus hisce humanis ægre ad necessitatem uti, iisque, si potuisset fieri, caruisse libentius, quo magis nudo ac omniùm indigo in Cruce Domino pendenti inhæreret. Ob hanc præstantem vitæ rationem ad Novitiorum educationem vocatus, omnem in his optime instituendis operam, laborem ac sollicitudinem conferens, totius regularis observantiæ luce anteibat.

His et Vicariatus muniis occupatus, assiduo tamen tenebatur orationis studio; et quamvis capitis doloribus acutissimis et pene continuis affligeretur, ab ea non poterat divelli. Longas in hoc exercitio trahebat moras, semper suspensam in Deum mentem gerens. Ad hanc jugem Dei memoriam cæteros hortabatur tanquam ad compendiosiorem perfectionis viam.

Demum postquam hanc eremum præclaris virtutum exemplis illustrasset, vitamque ab omni peccati lethalis labe immunem traduxisset, illibatumque servasset virginitatis florem, prolixa molestaque infirmitate, sicuti præsagierat et a Domino postulaverat, ad meriti cumulum examinatus, spiritum immaculatum Deo reddidit, anno 1600, die 14 Julii.

Hujus Vitam Hispanico sermone descripsit venerandæ memoriæ Antonius Molina hujus Domus professus.

PRUDENTIUS DE CALAHORRA

VICARIUS DE PAULARI

Oriundus ex oppido de Naxera; professus de Paulari et ibidem Procurator et Vicarius. Vixit in Ordine 42 annis, factus omnis observantiæ regularis exemplar. Præcelluit imprimis compassionis sensu erga defunctorum animas. Quantum ipsi licebat, quotidie Sacrum faciebat pro ipsarum requie. Vigilias, exercitia devotionis et pœnitentiæ offerebat divino Numini, totumque tempus insumebat in recitatione Agendarum, adeo ut plerumque quinque vel sex Defunctorum Officiis in diem persolveret, quamvis sat aliunde occupatus. Sic ad obitum usque laudabiliter perseverans, sanctissime ex hac vita migravit, anno 1623, die 14 Julii.

XV DIE JULII

FRANCISCUS MARQUEZ

PRIOR PORTÆ CŒLI

Hujus Vitæ Author est Joannes Baptista Civera, Vicarius Portæ Cœli, qui eam in suo Chronico, Cap. 28, dedit his verbis:

Eruditus ac sanctus vir iste natus est in civitate Segobricensi regni Valentini; cujus parentes valde Christiani fuerunt, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, qui filium suum ab infantia direxerunt, sub quorum cura vixit usque ad adolescentiam. Ab ortu vitæ ipsius prævenit eum Deus in benedictionibus dulcedinis, et usque ad occasum semper sub umbra manus suæ protexit eum.

Videntes autem parentes ipsius bonam indolem ejus, Complutum illum miserunt, ut in hac florentissima Academia humanis ac divinis Litteris imbueretur. Logicam et Theologiam tam perfecte assecutus est, ut in primo loco (ut moris est illius Scholæ), præcedente exactissimo examine, lauream Licentiatus seu Magisterii meruerit. Linguam Græcam et Hebraicam ad amussim didicit. Et sæpe e discipulo condiscipulorum efficiebatur magister, Præceptoris sui vices agens, quando infirmitate aut occupatione impeditus erat. Ipse vero has honorificas occasiones fugiebat propter humilitatem suam et innatam animi modestiam. Eapropter immoderate modestus a Magistro vocitatus est et increpatus.

Erat quippe sobrius inter honores, et apud se potius manere quam coram aliis apparere studens. Quocirca cum

Ill^{mi} Ducis Infantis natorum oblatum fuisset pædagogium, eorum suscipere curam omnino recusavit, nec ullis unquam argumentis vel importunis amicorum suasionibus potuit adduci, ut rei, quæ sibi ad grandia et spectatissima aditum præparabat, auditum accommodaret.

Multum ei contulit notitia linguæ Græcæ ad perfectam cognitionem sacræ Theologiæ divinarumque Litterarum; sed illud in eo mirandum valde est, quod in tanta humanarum facultatum peritia, nihil fere humanum didicit. Nam cum inter Græcos authores ingenium Homero potissimum applicuisset, tam fere nihil poeticorum figmentorum aut humanorum gestorum ipsius animo hæsit, ut cum de bello Trojano aliquando coram eo sermo fieret, negaret ipse Trojanos uspiam fuisse. Quæ res nimirum ostendit humanis duntaxat litteris, non item rebus aut gestis, operam ipsum dedisse. Turpe enim ac indecorum prorsus existimabat, tenerum ac bene formatum animum priscorum scelerum narrationibus infici vel inquinari. Quocirca, minimis hisce post se relictis, ad altiora contendit et divinis Litteris operam dedit.

Contigit vero interim, ut in Theologorum insigni Collegio locus unus vacaret (Collegiaturam appellant), quam ipsi nec petenti nec ob innati pudoris dotem præsumenti offerri curarunt. Hanc igitur Theologorum societatem nactus, proficiendi opportunitatem nequaquam neglexit; sed privatis studiis, publicis vero actibus se ipsum in dies clariorem ac celebriorem reddebat.

Dum autem hæc Compluti agebantur, necessaria mors, quam nullus effugere valet, patrem ejus jam ætate grandævum huic vitæ subtraxit. Qui etiam ob specialem erga Deiparam Virginem devotionem, sui obitus diei revelationem accepit, eumque sibi ministrantibus prædixit. Noster vero Franciscus paterni obitus ad se delatas litteras cum ingenti tædio et horrore (natura quid nuntiarent præsagiente) suscipiens, ubi rem comperit, nihil inde turbatus; nec propositum studium in aliquo remittens, quatuor annis continuis Theologiæ animum applicuit, præceptore usus clarissimo Joanne Medina, cujus præclara Volumina in Sententias præ manibus hodie habentur.

Aspirabat vero ad theologalem Doctoris pileum, quo utique in eadem florentissima Academia insignitus fuisset, nisi Cartusiani cuculli affectus recens adveniens, ipsum ab his infulis retraxisset. Utquid enim honoris externum insigne quæreret, qui humilitatis et abjectionis induerat animo propositum? Quo arrepto fervore, et sæculi vanitate contempta, adversarius diabolus tanquam leo rugiens ipsum circuit, ipsum aggreditur, ac horrendissimis blasphemiæ telis primo in ipsum intendit. Proh nefas! tot tamque nefaria et molesta in hoc certaminis genere passus est, ut omnem superent narrationem. Eratque

illi assiduus cum spiritu blasphemiæ conflictus. Graviorem vero reddebat tentationem cuncti humani consilii et auxilii destitutio. Non enim cuiquam hominum etiam familiari quantumvis reserare illa audebat, quæ ipsum vehementissime discruciabant. Quo fiebat ut solatium omne, et consilium seu juvamen illum procul fugerent.

Tandem vero necessitate compulsus ac ultra modum pressus, familiarem quemdam adiit Franciscanum Fratrem; ipsique ad aurem cuncta confessus, consilii vel solatii loco gravem retulit reprehensionem atque contemptum, quasi talia essent quæ ipse perferebat, qualia nec viles mulierculæ dignarentur. Magis ergo ex amici et Confessarii verbo territus, solum Deum refugium habebat. Et ad se ipsum conversus et propriam exactius discutiens conscientiam, haud se illis assentiri blasphemis cogitationibus, sed horrere potius et execrari comperiebat; proindeque juxta Theologorum doctrinam, quæ voluntatis assensum in peccato requirit, nihil se inde maculæ contraxisse confidebat: quod unicum erat inexperto juveni et acerrime impugnato respirandi solatium.

Tandem post decennium Compluti transactum, Theologorum consilio (in quo Vicerectoris perfunctus fuerat officio) relicto, ad proprium natale solum, Segobricensem nempe civitatem reversus, sacro Sacerdotali charactere insignitus est. Ubi opportunitatem nostri arripiendi Instituti præstolans, non neglexit gratiam Dei, sed acceptum talentum cum lucro reportare studens, primo quidem moribus deinde sermone verbum Dei publice concionari adorsus est. In quo divino munere exequendo id sibi curæ fuit, doctrinæ fontes effundere, potius quam inania verba jactare.

Præstabat adhuc nihilominus infestus blasphemiæ spiritus, et ipsum exagitabat. Eapropter anxius nimium ac nimium fatigatus, vicinum Vallis Christi cœnobium adiit, consilium a D. Joanne Castro, Parisiensi Theologo ac spiritualium rerum cognitione viro celeberrimo, reportaturus. Prius tamen tentationis molestiam et gravitatem non exposuit. At Pater ille angelicus misericordia motus ipsum hortatus est, ut absque pudore tentationem explicaret, remedium ab ipso ex Dei dono recepturus. Quod ubi fecisset, risit ille tentationes irrisione ac contemptu dignissimas, suasitque timorem deponere, illasque cogitationes omnino parvipendere.

Quæ sane quam utilissima huic morbo antidota, licet ipsum priori sollicitudine ac terrore levarint, hostilem tamen infestationem tollere nequiverunt. Quinimo pluribus adhuc annis (monacho jam initiato) adeo fuit infestus, ut ad Nocturnas laudes excitato et evigilanti quantocius blasphemiæ occurreret spiritus. Cui pervigil athleta respondere solitus erat : « Blasphemia tua tecum sit in perditionem. » Quadam autem vice inter ipsa sanctissimæ Eu-

charistiæ Sacramenta, adeo ipsum impugnavit ac præoccupavit, ut verborum consecrationis loco, blasphema verba, quæ nequam spiritus proferenda suggerebat, vix declinarit. Tandem vero post multos in hac lucta superatos agones (velut sanctus alter Hugo episcopus Gratianopolitanus, qui ab eodem spiritu nequam multis annis fuit vexatus) superabundavit gratia, et reliquit eum tentator.

Hisce igitur tentationum stimulis velut calcaribus quibusdam adactus, ad Religionis vexillum ferventius aspirabat. Et quo melius illam Psaltis vocem adimpleret, *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui,* non ad confinia Segobricæ civitatis cœnobia, sed ad Domum Scalæ Dei in principatu Cataloniæ pergere disponebat. Obfuit vero spiritualis Patris D. Joannis Castro, Vallis Christi professi, consilium, ad hanc nostram Domum Portæ Cœli ipsum ire adhortantis. Cujus monitis acquiescens, opportunitatem nactus in sancti Benedicti Solemniis et ipse a Deo benedictus Ordini initiatus est anno 1544; Novitiatumque suum peregit sub cura et magisterio sancti senis D. Jacobi Pujalt.

Ab ipso nimirum die quo habitum suscepit ac deinceps, nunquam eum pœnituit arrepti propositi, nec ullam sensit instabilitatis perturbationem; sed firmius ubique permanens sanctæ Religionis uberes carpere fructus satagebat. Nec quietem sibi proposuit aut otium vel divinas consolationes, sed pugnam et certamina, tentationumque conflictus et alia quæ humanus horret animus, sciens quoniam sub Crucis vexillo fortiter dimicare oporteat. Quæ cogitatio salubris non parum subsidii ei tulit advenientibus postea tentationibus, utpote quia juxta D. Gregorii sententiam, *jacula quæ prævidentur, minus feriant.* Qua in re nonnullos aliunde doctos et præcelsæ opinionis viros errare conspexi, qui ad nostri Ordinis Institutum quasi ad quietis portum aspirarunt; perurgentibus postea insolitis et nunquam antea expertis tentationibus, aliquando perturbari, nonnunquam vero etiam post tergum respicere sunt adacti.

Contigit vero, ipso adhuc Novitium agente, ut ab Oscensi Academia ipsius propositum nesciente, gymnasii publici Cathedra offerretur : quam ipse ad altiora contendens, nec stipendio motus, vel precibus flexus, aut honoris ambitione allectus a se facillime repulit. Sed offerentibus cum omni urbanitate rescripsit, ac pro tanto honore gratias egit.

Adduxerat autem secum copiosam librorum tam Latinorum quam Græcorum multitudinem. Erant vero illi præ cæteris familiaria Augustini, Chrysostomi et Bernardi volumina, quibus ingenium, mores et affectum excoleret. Cellæ autem addictus, gustavit et vidit quam bona est negotiatio ejus. Eapropter tam arcte illi conjunctus est, ut nec infirmitatibus, quibus diutissime laboravit, vexatus, quidquam solitudi-

nis custodiæ remitteret; quin potius amator factus fructuum ejus, dum gravibus capitis doloribus affligeretur, dum cæteri ad sui levamen colloquiis recreari desiderant) Infirmarium ipse dimittebat, amica satis solitudine contentus. Cæterum corporeis infirmitatibus ad finem usque examinatus fuit et probatus a Deo. Epatis nempe nimius ardor, stomachi debilitas et capitis vertigines, demum colica passio copiosam sane patientiæ segetem illi ministrarunt.

Porro silentii quam fuerit studiosissimus, veridico ipsius verbo innotuit. Cum enim aliquando monachus quidam,eo præsente, D. Joannem Lanspergium plurimum commendaret,eo quod, ut ex quadam ejus epistola constat, silentium decennio haud fregisset; nihil hic miratus sincere fassus est, nec se quidem reminisci decennio fregisse silentium. Quamobrem solitudinis atque silentii diligens cultor, tantam animi stabilitatem adeptus est, tamque sui cordis possessor fuit, ut nocturnis Officiis astantis attentionem vix duodecim versus ex tota psalmodia fugerent. Istudque haud rarum, verum solitum illi erat; nec mirum, erat quippe mitissimus, cui propriæ terræ possessio a Christo Domino repromissa est.

Verum quia militia est vita hominis, hostis antiquus non quiescebat, quia etsi mutaverat pugnam, sed non finivit. Quippe ab eo tempore quo blasphemiæ molestia levari cœpit, scrupulorum spiritus tam acriter eum invasit, ut majora sibi viderentur in hoc conflictu supplicia, quam ea quæ in priori senserat tormenta. Adibat spirituales Patres frequentius, dubia exponebat, consulebat, at multoties frustra laborabat. Miserum erat hominem cernere alioqui doctisssimum, ingenio perspicuum, puritatique conscientiæ cumprimis studentem, tanta offusum scrupulorum caligine, ut susceptioni medicaminis morbi magnitudo locum negaret.

Se se vero in iis afflictionibus cum intimo cordis dolore ad Deum, utpote unicum refugium, convertebat. Et propriam carnem corrigiis in extrema parte ferreis, usque ad cruoris effusionem lacerans cum ingenti lachrymarum imbre, Deum sibi propitium reddere curabat. Non quod laborem seu tentationem effugere prætenderet, sed illud sibi cordi erat, ut divinum beneplacitum, quod studiosissime indagare curabat, magis ac magis in se perficeretur.

Ad hæc malignus tentator novis eum telis aggressus est: tanta tamque fortia inanis gloriæ in eum spicula conjecit, ut inde impugnatus sensibilem quamdam toto corpore hujus perferret vitii effusionem, perinde ac si corporeum quidpiam per totum corpus diffunderetur: idque non citra sensibilem delectationem, quamvis ipse repugnaret.

Adfuit præterea fornicationis spiritus, quem jejuniis, cruentis flagellis veraque humilitate superavit. Quocirca tum

disciplinas, tum immoderata jejunia, quibus nonnulli adversus hanc tentationem dimicant, in humilitatem potius, orationem et in temperatam abstinentiam docebat ipse convertenda. Studuit autem nonnihil sibi de somno subtrahere. Quam ob causam multa et gravia passus, post labores inanes a cœpto destitit : nunquam in hac parte potuit naturæ exactionem superare. Sed et Apostoli amplexus sententiam, rationabile potius Deo voluit offerre obsequium, quam nimia somni parcitate in amentiam incidere. Sed ascenderunt tandem aliquando fletus ejus et orationes ad Deum, et devictis supradictis tentationibus, mirifice a Domino sublevatus fuit.

Cæterum spiritualia exercitia in affectum transferre curabat, cujus tantam sæpe vim, tantamque pertulit violentiam, ut necesse illi fuerit, tum ipsa exercitia, tum devotorum Authorum lectionem , tum etiam quæ spiritum demulcent intermittere , ne nimium æstuans præfervidum cor rumperetur, neve insidiis hostis decipulis, quas ibidem tensas Pater expertus suspicabatur, se irretiret.

Dolebat nihilominus plurimum, quod pervicacis ingenii curiositatem, quæ sibi impedimento nimium erat, sedare nequiret. Qua de causa pharmaca nonnulla adhibuit, quæ desideratam præstare quirent simplicitatem; verum et id frustra. Abundabat enim ratiocinandi usus et scientiarum habitus, qui negotium illi non modicum facessebant. Verum inter has naturæ vel consuetudinis molestias ingenue confitebatur, plura se post Religionis ingressum scholasticæ doctrinæ, cui tamen minus intendebat, assecutum fuisse documenta, quam antea dum in scholis versaretur.

Decimum jam in iis exercitiis agebat, ætatis vero 36 annum. Et talis erat vitæ ordo, tantaque in studio sapientiæ præstantia, et tam gravis morum disciplina, ut apud suos maxime venerandus haberetur. Quales enim ii sunt, qui corporis vinculis soluti molestiisque liberati, ex hoc vitæ certamine ad cœlestem patriam evolarunt, talis ejus erat vita; quippe quæ ab omni rerum humanarum vanitate aliena, ad Angelorum vitæ similitudinem proxime accedebat. Non ira, non invidia, non odium, non suspicio in ipso cernebantur. Omnis autem honoris, gloriæ, ambitionis et aliarum id genus inanium rerum cupiditas, omnis fastus et superbia, cunctaque scientiarum ostentatio ab ipso rejecta erant. Adeo ut nonnunquam de Græcis litteris ab eo sciscitantibus sæcularibus peritis, vix verbum extorqueri quiverit.

Erat vero aspectu bene compositus, quo omnes ad sui amorem et reverentiam excitabat. Unde nemo illi importunis interrogationibus molestus esse audebat. Delitias autem suas in temperantia collocarat; gloriam suam in eo putabat sitam, quod notus esset nemi-

ni: amabat quippe nesciri ac pro nihilo reputari, istudque monachalis Vitæ proprium esse docebat. Rebus omnibus terrenis contemptis, paupertatem veluti pretiosissimum Religiosi ornamentum summopere coluit. Ipsam vero pauperculam, qua utebatur, supellectilem, et librorum copiam, non in prospectu sed in abditis cellæ servabat reconditam, quod sibi horum objecta impedimento ad spiritus nuditatem et libertatem essent.

Erat utique ejus vita inter humanam cœlestemque naturam interposita, utriusque particeps, utrique finitima. Quatenus etenim ab humanis se perturbationibus vendicarat, hominis conditione præstantior erat; quatenus autem in corpore degebat, et necessariis sensuum instrumentis utebatur, Angelicæ et corporis experti naturæ cedebat.

Anno 1554, Domno Joanne de Castro ab officio Prioratus hujus Domus absoluto, venerabilis hic Pater in Priorem eligitur. Ipse vero ægerrime ferens solitudinis ac cellæ, quam ex animo colebat, jacturam, nihil non molitus est, ut præparatum onus declinaret. Et primum quidem adversus electores opposuit, quod monachum quemdam voce ad eligendum carentem admisissent. Nihil tamen hac via proficiens, convertitur ad lachrymas, quarum tam copiosum effudit inter divina Mysteria imbrem, ut ministrum, alioqui de ejus electione supra modum exultantem, ad lachrymas quoque et compassionem ipsius provocaverit. In die igitur beati Martyris atque Pontificis Apollinaris electione confirmata, cum de ipso festo non sine novis lachrymis celebrasset, eidem beato Martyri se committens onus injunctum suscepit. In quo duobus annis ac insuper octo mensibus quibus ministravit, quanta et qualia egerit, brevi sermone explicari non possunt.

Cœpit quidem utriusque rei cum temporalis tum etiam spiritualis curam agere, silentio, solitudini, cunctæque regulari observantiæ studiosissime invigilare, remissos animos tum verbis tum exemplis erigere, declamationes quam elegantissimas viva voce ac Latino sermone (quem familiarem habebat) opportunis diebus facere, nihilque eorum quæ ad suum munus spectabant, negligere. Et eos quidem, quos bonæ voluntatis filios invenit, singularibus monitis et assiduo vitæ examine ad meliora curabat provehere, iisque se patrem, fratrem, socium et amicum præbebat ac benigne fovebat. Alios vero sibi minus æquo parentes proprioque sensui deditos, primo quidem in communibus sermonibus perbenigne ac urbane tangebat, specialibus postea monitis ad viciniora saluti hortabatur. Maxime autem infirmos et in tentationibus positos sollicite curabat, quibus ex corde compatiebatur; et quid mirum, si ex iis quæ passus est ac tentatus, novit etiam et cæteris compati et opitulari?

Accidit autem, Deo permittente, ut vehementissima grandinis procella cunctam fere messem, vineam quoque ac tegulas grangiæ nostræ de Bexis vastaret: quæ res immodicam cunctis perturbationem attulit, ipsique Priori expensarum sollicitas curas, qua videlicet ratione necessaria Domui tritici grana provideret. Ea vero tali providentia devotis Patris precibus suffulta contigit, ut nihil Conventualibus necessarium illo anno defuerit, ac licet præter solitas singulis annis expensas, mille scuta extraordinarie illo anno fuerint consumpta : adfuit certe Dei gratia, quod quidem et ipsemet miraculo adscribebat manifesto.

Hortabatur frequenter ad conformitatem cum Dei voluntate, et animæ pacem sectandam ; quam facile esse assequi, tali docebat compendio : « Si in cunctis actibus nostris et eventibus æternam Dei Providentiam super illo particulari nostro eventu attenderemus. Juvari vero quam plurimum, si quæ agimus universa solius Dei intuitu agamus. Tunc enim licet, occurrente obice, propositum impleri bonum haud possit, nostra non pace privabimur, utpote qui non rem de qua agitur, sed Deum duntaxat objectum nobis proposuerimus, quod permanet in æternum, nec a nolentibus nobis impedire quisquam potest. Secus autem erit, si cum Deo pariter etiam objectum aliud habuerimus; quia obice adveniente, ubi conceptum propositum implere nequiverimus, alterum amittentes objectorum facillime turbabimur. » Hæc et alia ejusmodi complura doctrinæ fluenta crebro effundens audientium mentes irrigabat, et se virum exhibebat vere spiritualem.

Ipse autem cellæ privatæ amore allectus et subesse potius quam præesse desiderans, suam insufficientiam causatus, tempore Capituli generalis ab officio Prioris absolvi instantissime (frustra tamen) petiit. Verum subsequente paulo post Visitatione, allegatis multis rationibus, a Visitatoribus officii sui absolutionem obtinuit. Et ex copiosa illa librorum, quam secum in Religionem asportarat, multitudine, bibliothecam in cella Prioris studiose a successuris instruendam curavit. Inde vero recedens nihil aliud quam D. Chrysostomi in Paulum Commentaria, Dictionarium Græcum, et Divini Amoris Pharetram secum detulit : procedente vero tempore, Rosarium quinquaginta gaudiorum, prout in Pharetra jacet, et quamdam D. Joannis Rusbrochii Orationem devotam; iisque contentus, præfatos etiam libros a se dimisit. Breviarium quoque Ordinis secum retinens, ita dilexit paupertatem, ut omnibus aliis se se privaverit.

Demum triennio in cella transacto, Domus Procurator fuit institutus. In quo munere exequendo adeo cunctis fuit gratus, adeo pacificus, ut ex iis quos nostra tulit ætas, fuerit nemini secundus, et ut temporalis rei curam,

quam susceperat, cum more Marthæ sollicite gereret. Hoc etiam præstare curavit, ut vinea turris, quæ in termini confinibus versus Liriam sita est, quam etiam ipse Prior existens a primis palmitibus plantaverat, parietibus sepiretur. Non tamen circumquaque id perficere potuit, Patribus Vallis Christi illum post novem menses præripientibus, anno videlicet 1564. Quam electionem non citra mœrorem et plurimas lachrymas ille suscepit, tum propter grandem illius Domus rerum temporalium administrationem et vassalorum molestiam, propterque vicinitatem nativi soli et cognatorum. Verum quia resistere haudquaquam potuit, Deo se commendans submisit collum obedientiæ jugo. Et Domino ipsum juvante, cuncta moderatus est, juxta omnium de illius prudentia et religione expectationem.

Anno 1564 interfuit nomine dictæ Domus Comitiis generalibus Montisono celebratis, ubi tam Cæsareæ Majestati quam cæteris Magnatibus spectatissimum fuit modestiæ regularis exemplar. Erat quippe in verbis gravis, parcus et moderatus, ac demissis in terram oculis sanctam præ se ferebat verecundiam. Statura vero cum esset procerus et venusta quadam canitie, se ipsum cunctis venerabilem reddebat et amabilem.

Eodem anno, Capitulo generali supplicavit instanter, adhibitis etiam intercessoribus, ut *misericordiam* ab officio consequeretur. Quod cum Capitulum ei denegasset, postea in suæ Domus Visitatione ejusdem officii absolutionem a Visitatoribus importune petiit, multas causas repræsentans; quam cum finita pene jam Visitatione a Patribus minime impetrasset, arrepta fuga extorsit.

Cui rei ansam præbuit quædam Visitatorum simplicitas et ignorantia in forma inquirendi quamdam suspicionem, male de quodam religiosæ conversationis Converso conceptam cum scandalo sæcularium, a qua etsi præmoniti per ipsum nullatenus cessare voluerunt. Quod æquo animo non ferens, noctu mulam ascendens, insalutatis Visitatoribus, relictis tamen litteris, in quibus, ut se ab officio absolverent, illos rogabat, ad hanc Portæ Cœli Domum (quæ non nisi per tres leucas distat) quasi ad portum confugit. Illi vero, re quæ acciderat comperta, mittentes Procuratorem, hominem ad se revocant. Quem reducem primo quidem, ut in regimine perseveraret, hortati sunt, obtestantes etiam se a Conventu nullam habuisse pro ejus absolutione instantiam. Tandem vero cum recusantem omnino cernerent, ejus consolationi consulentes, non sine ingenti multorum mœrore, post octo menses ultra triennium in officio transactos *misericordiam* concesserunt.

Pastoralibus igitur curis relictis, ad consueta cellæ exercitia gaudens revertitur. Et non multo post Vicarius hujus Domus Portæ Cœli instituitur. Cumque tempore procedente, Domus Vallis Christi rebus contra spem succedenti-

bus magnum passus est conscientiæ stimulum, quod Prioratum invitis Patribus reliquisset, proposuitque firmissime nullatenus deinceps facturum, sed quæcumque Deus imponeret pro virili et cum gratia Dei se supportaturum. Se vero nonnunquam excusabat hinc, quod videlicet Patres Visitatores permanere in officio duntaxat rogassent, non item præcepissent.

Contigit autem ut infirmus quidam monachus Dominica die post Missæ celebrationem a frigoris tremore ac stridore actus, Sanctissimam evomeret Eucharistiam. Quam, cum cæteris quæ evomuerat, diligenter collegerunt in vase vitreo; vocatusque est devotus Pater Vicarius, qui, exquisito diligenter vomitu, cum Sanctam Eucharistiam ibidem invenisset, primo infirmum sciscitatus est, auderetne illam Eucharistiam sumere. Quem cum horrentem ac recusantem cerneret, ipsemet et virili pioque corde inter celebrandum illam deglutivit, nihil mali vel horroris passus. Quæ quidem actio, quantam præ se ferat perfectionem, quantave magnorum ac multorum intus latentium bonorum indicia, legentibus et contemplantibus disquirenda relinquo.

Tandem biennio in cella expleto, et mortuo D. Dominico Villa primo Priore novæ Domus Aulæ Dei, hic sanctus Pater noster ab excellentissimo D. Ferdinando de Aragonia, archiepiscopo Cæsaraugustano, dictæ Domus Fundatore, et a Conventualibus cunctis Fratribus unanimiter expostulatur in Priorem. Qui ex mandato R. Patris Cartusiæ injunctam suscipiens obedientiam dum discederet ab hac Domo, Fratribus suis valedicens subjunxit : « Ad Domum Aulæ Dei proficiscor, non tam ad regendum Prioratum quam ad moriendum. Fiat in me divina voluntas. »

Et ita accidit : nam tertio postquam illuc pervenit mense, circa Nativitatem S. Joannis Baptistæ, aliquantulum cœpit infirmari. Succrescens autem morbus in tertianam febrem conversus est, pluribus stomachi angustiis vehementissimisque additis capitis doloribus. Et ingravescente in dies infirmitate, naturaque austeritatibus jam attrita deficiente, ipse quod futurum erat præsagiens, Patri Vicario ad se vocato morula brevissima, quarta scilicet unius horæ parte, peccata sua confessus est. Deinde Sanctissimam Eucharistiam cum sibi afferri rogasset, spatii tantillum expostulavit, ut mente orans ad Sacram se Communionem præpararet. Qua suscepta, itemque Extrema Unctione, ignosci sibi defectus petiit, se ad officiorum regimina insufficientissimum fassus. Atque ut erat in omnibus circumspectus, post Sacram Unctionem gausapis parum sibi dari petiit; quo unctionis loca omnia cum studiose extersisset, illud sibi adstanti tradens, pedum plantas extergendas curavit, ne irreverentiæ quicquam sacro irrogaretur oleo.

Et quemadmodum cygnus morte

appropinquante dulcius ac placidius canit, ita et hic beatus suaviora ac dulciora cœpit nedum spiritu, verum et ore spirare. Apostrophes sive ad Deum Optimum sive ad gloriosam Deiparam Virginem, cui devotus erat, corde dirigebat attentissimo. Præ cæteris vero hæc erant illi familiaria ac frequentius versantia in ore verba : « O Ens! O Bonum! quis tu, et quis ego? Tu Deus meus et omnia; ego vero nihil. Deus meus et omnia, quando te videbo? Quando te videbo? »

Inter hæc autem jussit se pariter cum lectulo in quo jacebat, solis occasum respicientem, mutari e regione, et ad solis ortum locari : ut corpore ad occasum tendente, spiritu autem ad Solis justitiæ Orientem sublevato, non occidentem versus, sed ad veræ lucis ortum respiceret; manibusque supra pectus religiose compositis, facie serena, oculis non clausis sed solummodo demissis, solitam vultus gravitatem corporisque honestam ac decentem situ compositionem nullo mortis horrore aut angore remisit, quin potius idem ipse perseverans, somni quieti potius quam tremendo mortalibus cunctis examini se disponere videbatur. Præmonuerat autem circumstantes, ut voces et clamores, qui morientium auribus ad eos juvandos insusurrari solent, cohiberent, ne eum interpellarent ab interna contemplatione.

Cumque ex Ordinis consuetudine Passiones legerentur, etiam Mandati Evangelium recitari postulavit. His autem quæ legebantur intentus, manum ad faciem et pectus signandum admovit, sibique impressit signum Crucis; contractaque ad priorem locum manu, cunctisque adstantibus Fratribus Deique misericordiam implorantibus, magnum quoddam ac profundum suspirium ter ducens, in oratione placide expiravit, die 15 Julii, anno 1567.

Vigiliis nocte illa peractis ac Sacrificio mane pro animæ ejus salute oblato, benedictum corpus ejus feretro impositum in Ecclesiam portaverunt, et sub altaris majoris gradibus, ubi sacerdotes Sacrificium oblaturi prostrari solent, sepelierunt, singultibus interim atque mœstissimis lachrymis verba Psalmorum intercipientibus.

FRANCISCUS BRISSART

MONACHUS CAPELLÆ

Ante Ordinis ingressum Pastor erat Ecclesiæ du Bois de Lessines. Orationi fuit addictissimus; qui cum tribus ante obitum diebus in cella sua Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum magna cum devotione et pietate suscepisset, media nocte ab Infirmario repertus est, ut alter Paulus primus Eremita, flexis ante lectum genibus animam exhalasse. Id contigit anno 1629, mense Julio, circa hunc diem.

XVI DIE JULII

CLARUS DE FONTANIS

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Vix prius nomine quam pietate clarus; ob insignem sanctitatem et raram divinarum et sæcularium literarum notitiam, a multis vocitatus *secundus mundi Clericus;* ex Priore Parisiensis Cartusiæ ad supremum Ordinis Magistratum evectus, juxta omen nominis clarus in vita et morte, clarum radiis gratiæ spiritum gloriæ clarificandum splendoribus, anno 1341, die 16 Julii, in sui Redemptoris manus pie efflavit. Bis præfuit Majori Cartusiæ, uti probavimus alibi.

Chronicon ms. Majoris Cartusiæ. Martyrologium Gallicanum. Chronicon Dorlandi, et alii Rerum nostrarum Scriptores. Nicolaus Molin et Clemens Bohic.

NICOLAUS VAREMBEKE

PRIOR SYLVÆ S. MARTINI

Vir castigatissimæ conversationis, morum probitate clarus, modestia singulari multum venerabilis, assiduus in divini Officii frequentatione, dilectus a Deo et ab hominibus; cum gregem sibi commissum verbo simul et exemplo pasceret, ad meliorem vitam evocatur a Christo animarum Pastore circa annum 1533.

Ex Manuscriptis.

PHILIBERTUS REYDELLET

MONACHUS DIVIONIS

Anno 1628, 22 Julii, vota professionis emittens, quamdiu vixit, singulari exarsit observantiæ regularis tuendæ zelo; cujus ipse tenax, nullum apicem aut unum iota non sinebat a lege præterire : unde unumquemque sua præsentia continebat in officio. Erat austerus, gravis admodum, prudens et in omni actione circumspectus; præterea impense doctus et excultus Theologia et Jure Canonico.

Vir tantus ac exemplaris admotus officiis fuisset, ni timoratus nimium conscientiæ scrupulis fuisset exagitatus, adeo ut contremiscens plerumque et repletus comminatione accederet ad altare Dei, anxiusque persolveret Officii divini pensum. Cumque diutissime in hoc tribulationis camino fuisset exami-

natus, tandem in extremo morbo, post nubila serena die ægrotanti illucescente, scrupulis penitus extinctis, tranquillus animam efflavit 16 Julii, anno 1662, post exhibitam admirabilem patientiam in illa, qua per annos multos laboravit, paralysi; paupertatis strictissimæ egregius semper amator.

XVII DIE JULII

MARTINUS GROETHER

PRIOR SCOTIÆ

Professus Gandavi; ob vitæ sanctimoniam, anno 1452, per Chartam Capituli generalis in Priorem Vallis virtutis in Scotia ordinatus. Vir dignus longiori ævo, post quatuor circiter annos regiminis rapitur præmatura morte ad beatam immortalitatem, anno 1455. Fuit austeræ admodum vitæ.

Chronicon ms. Cartusiæ Gandavensis.

SALVATOR MAS

PRIOR MONTIS HILARIS

Mataronensis, e nobili prosapia oriundus; spretis sæculi delitiis, in hac Cartusia se se mancipavit Dei obsequio. Ibi ædificans super humilitatis profundissimæ fundamentum, omni virtutum genere floruit. Ne autem in incertum currere videretur, abstinentiis et mortificatione corpus suum castigabat, ut carnem spiritui subjiceret. Miro fervore devotionis accensus in dies renovabatur, Fratribus quos impense diligebat se præbens exemplar bonorum operum. Prior institutus, præ solitudinis amore hanc dignitatem abdicavit. Demum acutissimis et diuturnis extremi morbi doloribus tanquam aurum probatus in fornace, die 17 Julii, 1627, sancte moritur.

Ex Manuscriptis.

HIERONYMUS BAGGIUS

CONVERSUS BONONIÆ

Bononiensis; dum inserviret Patribus nostris in publico civitatis peste infectorum xenodochio, ipse eodem morbo correptus occubuit, anno 1630, die 17 Julii.

Ex Chron. Cart. Bononiensis.

JACOBUS PERONET

DONATUS MONTIS DEI

Noctis tempore ad conversionem venit ex vita liberiore, terris jactatus et alto, postquam multas urbes et regio-

nes viderat, in quibus de salute propria periclitatus, aliorum saluti corporali per Hypocratis mercimonia invigilaverat. At mox ubi Religionis officinam intravit, sæculo integre valedicens, nihil de pristina vita retinuit; jam ab ipsis crepundiis in alterum virum mutatus, ita ut de passionibus propriis triumpharet ac quinque sensibus antea indomitis daret leges.

Quamdiu autem vixit, semper se extendit ad anteriora, se ipso quotidie melior existens; cui et ad patientiæ cumulum et exercendæ virtutis pabulum morbi frequentiores dietim famulabantur. Uni voluntati divinæ, quamdiu in Religione vixit, adhæsit. Circa negotia prudens, circa studium orationis internæ attentus, multitudine negotiorum obrutus in coquinæ obedientia nunquam remisit animum. Charitate in pauperes, tum sanandos pro sibi dato medicinæ talento, tum pascendos, vix habuit similem. Obiit anno 1642, die 17 Julii.

Ex Manuscriptis.

XVIII DIE JULII

JACOBUS HANGOBART
VICARIUS VALENCENNARUM

Vir meritissimus, qui in officio Vicarii ultra quadraginta annos perstitit, pro regulari observantia infatigabiliter laborans; pro quibus meritis bravium immortalitatis, ad quod totis nisibus anhelarat, accepit, postquam 52 annos laudabiliter vixisset in Ordine. Ejus obitus signatur in Charta anni 1518.

Ejus meminit F. Ganneron in suo Martyrologio ad hanc diem.

VINCENTIUS MANERIUS
PRIOR CAPRI

Hujus eremi alumnus, quam non minus sua pietate quam eruditione illustravit. In Latina Græcaque lingua versatissimus, elegantissimum poema tribus distinctum libris composuit in honorem Dominicæ Passionis, quod opus Neapoli impressum anno 1540 prodiit in lucem. Tractatum etiam descripsit de S. Catharinæ Virginis et Martyris laudibus quam impense diligebat. Dum silentio addictus et solitudini sapientiam in otio scriberet, suisque præluceret virtutibus, admotus regimini Cartusiarum Capri et SS. Stephani et Brunonis, post laudabilem administrationem Præfecturam dimittens, dierum et meritorum plenus ad Dominum migravit, anno 1551, die 18 Julii, mortuus Neapoli agens Vicarium.

Ita referunt Manuscripta ad nos transmissa, quamvis juxta Capituli generalis

Chartam, ubi obitus ejus describitur, constet decessisse monachum Capri.

HENRICUS KOLDINUS

PRIOR RATISBONÆ

Inter adversa patientissimus; ex regimine Domus Illimbacensis translatus ad moderamen hujus monasterii anno 1557, dum strenue laboraret ad commissæ sibi Domus (juxta creditum sibi a Deo talentum) reformationem, suaque exemplari conversatione cæteros provocaret ad gradiendum per semitas vitæ sanctioris, mercedem laborum percepturus a Domino evocatur ad cœlestem patriam, anno 1562, die 18 Julii.

Ex Catalogo Priorum.

XIX DIE JULII

CANONIZATIO S. P. N. BRUNONIS

Postquam Deo volente monasterium S. Stephani de Bosco, in quo almi Confessoris Brunonis corpus reconditum erat, recepere Cartusiani, jam felicem nacti opportunitatem, sui Patriarchæ sanctissimi venerabile corpus in sua potestate habentes, protinus curarunt diligentem ei honorem impendere et pro illius canonizatione solliciti esse.

Hujus itaque rei gratia quidam Patres Ordinis ad hoc specialiter deputati Leonem X Summum Pontificem, anno Domini 1514, 19 mensis Julii, adierunt, imprimis referentes ea quæ Pontificem ipsum ad canonizandum Brunonem, Cartusiensis Ordinis Institutorem primarium, inclinarent : quomodo videlicet Vir ipse sanctus olim in sæculo celebris et Romanæ Sedis studiosissimus fuerit; vitæ probitate in sæculo præstans, et Christiana doctrina præcellens, tandem sæculum omne reliquit; novum in Ecclesia Catholica Ordinem instituens, qui ejus decorem promoveret, et ad eam corroborandam quasi novum exercitum in campum produxit, qui cum Moyse manus levans, non autem cum Josue pugnans gladio, Amalecitas hostes prosterneret. Cujus etiam vitæ exactæ sanctitas ubilibet nota et miraculorum olim frequentia apud Calabros præcipue manifestata; et alumnorum quos instituit disciplinæ regularis observantia, hactenus ad illius sanctitatis indicium in suo primævo tenore perseverans, quotidie per fidelem propaginem coalescit ad Dei gloriam, ad S. Matris Ecclesiæ utilitatem, et ad tanti Patris Brunonis honorem.

His igitur atque aliis id genus ad per-

suadendum depromptis, Patres Commissarii suppliciter efflagitarunt, ut pro Omnipotentis Dei gloria ac præfati Confessoris honore, illiusque manifestissimis sanctitatis indiciis signisque virtutum, de Apostolica benignitate dignaretur Pontifex universo Ordini Cartusiensi facultatem impertiri illius festum quotannis celebrandi sub 6 Octobris, in qua ipse sanctissimus Patriarcha mortalitatis sacco exutus ad cœlestia evolaverat.

Ad quæ Pontifex, qui jam multa audierat de sanctitate D. Brunonis, aurem accommodans, in privato Consistorio re proposita coram Cardinalibus, ut provideret paupertati Cartusiensium, qui solemnioris canonizationis sumptibus impares erant, ipsum B. Brunonem, absque multa circa hujusmodi celebritatem prævia ordinatione, sed solum congrua inquisitione præhabita circa sanctitatem et miracula ejusdem beati Patris, ipsum Sanctorum Catalogo adscripsit; concessitque cunctis Cartusiensis Instituti professoribus, ut ejus quotannis festum recolerent. Dedit insuper facultatem ipsius Brunonis corpus digno honore prosequendi, aptumque Officium decantandi et memoriam ejus singulis diebus faciendi.

Hæc autem canonizatio toti Cartusiensi familiæ significata est per hoc Diploma, cujus tenor talis est :

« Antonius miseratione divina tituli S. Praxedis S. R. E. presbyter Cardinalis Papiensis, necnon totius Ordinis Cartusiensis Protector, universis et singulis præsentes nostras inspecturis et lecturis salutem in Domino sempiternam. Cum ex nostro protectionis officio, benevolentiaque ac pietate, qua universo Cartusiensi Ordini prædicto afficimur, hodie ad pedes Sanctissimi Domini nostri Leonis divina Providentia Papæ Decimi præsentavimus venerabiles Religiosos viros DD. Matthæum Bononiæ, Ludovicum Mantuæ, Jacobum Neapolis, et Hugonem S. Crucis in Urbe, ejusdem Cartusiensis Ordinis Domorum Priores; et tam nos quam Religiosi prædicti plura de laudibus, præconiis ac vitæ sanctitate B. Brunonis Confessoris, ejusdem Ordinis Cartusiensis primi Fundatoris ac Institutoris, Sanctitati suæ retulissemus et exposuissemus : qui Vir beatus, declinante Christiana militia, et propter iniquitatis abundantiam charitate plurimum frigescente, tanquam dux strenuus ad resistendum hostibus novum in Ecclesia Dei instruxit et instauravit exercitum, et in vineam, quam Dominus sua dextera plantaverat, jam vitiorum vepribus et spinis obsitam, veluti solertissimus paterfamilias tot fideles conduxit operarios, ut uberiores in dies ex ea fructus Sanctæ Ecclesiæ proveniant, et odorem suavitatis proferat et sanctitatis. Ipsius namque beati Confessoris multiplex doctrinæ, vitæ castigatissimæ, innocentiæ ac munditiæ exemplum plurimos generans sanctæ adoptionis filios, generatque et enutrit in dies incessanter;

cujus meritis Ordo præfatus exornatur et comprobatur miraculis, et assidue quasi de virtute in virtutem crescit, rigans montes de superioribus suis, et de fructu operum suorum satiatur terra.

« Idcirco nos una cum præfatis Prioribus ab eodem Domino, Domino nostro, venerabilium virorum Francisci de Puteo moderni Generalis, aliorumque Priorum et universorum monachorum, monialium, Conversorum et personarum dicti Ordinis nomine humiliter supplicavimus, ut pro Omnipotentis Dei gloria, qui in suorum exultat veneratione Sanctorum, ac beati prædicti Confessoris honore, illiusque evidentissimis sanctitatis operibus signisque virtutum, quibus in carne positus claruit et ad cœlos evocatus perpetuo splendet, proque tam præclari Ordinis decore, de Apostolica munificentia et benignitate, sub sexta Octobris die, qua die, posita carnis sarcina, idem B. Bruno Confessor ad perpetuam evolavit gloriam, festum quotannis in ejus memoriam ac solenne Officium dignis in Domino laudibus et honoribus celebrandi, et Commemorationis ejusdem cæteris diebus faciendi licentiam concedere dignaretur, quamvis idem B. Bruno Confessor non comperiatur aliter canonizatus per Summos Pontifices prædecessores suos, ut moris est.

« Qui præfatus SS. Dominus noster Papa asserens se jamdudum de laudibus ac sanctitate ejusdem beati Confessoris plurima intellexisse, arbitratus dignum esse ac consonum rationi, ut, quem Deus in hoc sæculo tantis donis et gratiis insignivit, assumptum in cœlis magis ac magis venerandum, et cui viventi dederat cor Omnipotens ad præcepta et legem vitæ et disciplinæ, eidem nunc apud thronum Divinæ gloriæ existenti impendatur in terris debitæ devotionis obsequium : hujusmodi nostris et præfatorum Priorum supplicationibus libenter annuens, dictis Domnis Francisco moderno ac pro tempore Generali existenti et aliis Prioribus, monachis, monialibus, Conversis ac personis dicti Ordinis, in ipsius Ordinis duntaxat Domibus et eorum ecclesiis seu capellis, festum prædictum solenniter colendi et devotione debita celebrandi, præfatique Brunonis corpus et memoriam dignis in Domino laudibus prosequendi et venerandi, Officiumque conveniens in honore ipsius B. Confessoris agendi et decantandi, necnon Commemorationem singulis diebus faciendi, ex tunc et de cætero in perpetuum cum Dei benedictione licentiam, vivæ vocis oraculo nobis facto, benigne ac favorabiliter concessit pariter ac indulsit; non obstante quod idem B. Bruno Confessor non inveniatur aliter canonizatus, ut supra : præsentibus quoque ibidem Reverendissimo in Christo Patre D. D. Laurentio Putio, tituli sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. presbytero Cardinale, et R. Patre Domino Francisco Amellino cameræ Apostolicæ clerico.

« Quare, ne apud quemquam de hujusmodi concessione possit aliquod dubium suboriri, præsentes manu propria subscriptas, et nostri soliti sigilli appensione munitas confici jussimus et per nostrum quoque Secretarium subscribi fecimus, in fidem, robur et testimonium præmissorum et veritatis. Datum Romæ in Apostolico Palatio, die 19 mensis Julii, anno 1514, Pontificatus vero Domini nostri anno secundo. Antonius Cardinalis S. Praxedis, Protector, manu propria. Ambrosius Testa Verulanus. »

Anno Domini 1515 Capitulum generale Ordinis Cartusiensis celebratum, die septima Maii et sequentibus, insequendo tenorem Bullæ canonizationis S. Brunonis hanc promulgavit Ordinationem :

« Cum Sanctissimus Dominus noster D. Leo divina Providentia Papa Decimus et modernus, nobis et Ordini nostro sua gratia dederit et concesserit licentiam et authoritatem, ut in singulis Domibus dicti Ordinis nostri et earum ecclesiis seu capellis possimus festum B. Brunonis Patris nostri solenniter colere et devotione debita celebrare, ejusque corpus et memoriam dignis in Domino laudibus prosequi et venerari, et Officium conveniens in honorem ipsius agere et decantare, necnon Commemorationem singulis diebus de eo facere, et alia prout in desuper confectis Litteris plenius continetur :

« Propterea, ne tantam gratiam neglexisse videamur, ad Dei et ejusdem Patris nostri laudem et honorem, Ordinis incrementum, et nostram subditorumque nostrorum salutem, consolationem et pacem, dictarum Litterarum mentem et tenorem insequentes, volumus et ordinamus, quod de cætero annis singulis, perpetuis futuris temporibus, die sexta mensis Octobris, qua die idem Pater noster carne solutus beata fuit immortalitate vestitus, festum prædictum in omnibus et singulis Domibus totius Ordinis nostri prædicti et earum ecclesiis seu capellis in honorem et sub nomine et vocabulo ejusdem B. Brunonis Confessoris, cum candelis solenniter celebretur, et ab omnibus Prioribus, monachis et Conversis et aliis personis dicti Ordinis nostri veneratione debita colatur, ejusque corpus et memoria dignis in Domino laudibus veneretur ; fiatque et decantetur ea die sexta Octobris de eo solenne Officium cum 12 lectionibus, Capitulo et Refectorio, et cæteris cæremoniis quæ in solennibus Festis candelarum solent observari, in hunc videlicet, qui sequitur, modum : ad primas Vesperas Antiphona, etc. »

Coangustabatur fere inter Cartusienses divi Brunonis celebritas, donec per totum orbem Christianum promulgata est a Gregorio XV Pontifice Maximo. Tale autem Decretum a Sacra Rituum Congregatione pro festo S. Brunonis sub ritu semiduplici primum emanavit, quod hic subjicimus :

« Die 19 Novembris, 1622. Indultum S. Brunonis. Supplicationi a D. Bernardo Gazio, Ordinis Cartusiensis Procuratori generali, Sacræ Rituum Congregationi porrectæ, eadem Congregatio communi Illustrissimorum R. P. assensu inclinata, habita etiam Sanctissimi Domini nostri confirmatione, festum S. Brunonis ejusdem Ordinis Fundatoris die 6 Octobris, qua in cœlum evolavit, in Missali ac Breviario Romano reponi, et Officium de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari, concessit. Illi enim inter Sanctos præcipue universalem Ecclesiæ venerationem expostulare videntur, qui sacrarum familiarum Institutores militanti eidem Ecclesiæ nunquam intermoritura suffragia reliquerunt.

Sign. Franciscus M^a^. Card. a Monte.

Locus † sigilli.

J. B. Rivaccus (Rinuccinus), secret. »

Anno 1623, supramemoratus Gregorius Papa præcepit, ut die 6 Octobris omnes sæculares et regulares ubique terrarum sub semiduplici ritu recitent Officium S. Brunonis Confessoris Fundatoris nostri, necnon in Breviario, Missali et Calendariis imposterum imprimendis festum ejusdem S. Brunonis describendum statuit. Breve autem est hujusmodi :

« Gregorius Papa XV ad perpetuam rei memoriam. Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices quanquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto nobis Pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim vero sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium, votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum et venerationem respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

« Supplicationibus itaque dilecti filii D. Bernardi Gazii, Ordinis Cartusiensis Procuratoris generalis, nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus festum S. Brunonis, ejusdem Ordinis Fundatoris, die 6 Octobris, qua in cœlum evolavit, in Missali et Breviario Romano reponi, Officiumque de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari libere et licite possit et valeat, Apostolica authoritate tenore præsentium concedimus et indulgemus.

« Quocirca venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis in universo terrarum orbe constitutis, præcipimus et mandamus, ut in suis quibusque Ecclesiis, provinciis et diœcesibus præsentes nostras Litteras solenniter publicari et ab omnibus ecclesiasticis personis, sæcularibus et quorumvis Ordinum Regularibus omnino observari faciant : nonobstantibus Constitutioni-

bus et Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 17 Febr. 1623, Pontificatus nostri anno tertio.

S. Card. S. Susannæ.

Ita est, Sylvester Spada, Ill^{mi} et R^{mi} D. Cardinalis Vicarii Notarius.

Locus † sigilli. »

BRUNO LE PELLETIER

MONACHUS TOLOSÆ

Parisinus, ex honesta prosapia oriundus; erat quippe frater uxoris Domini Le Bret, clarissimi olim regiæ advocationis Causidici in summo Senatu Parisiensi. Tolosæ literis operam navans, cepit Vitæ monasticæ consilium. Cartusiam igitur Tolosanam ingressum, Secretarius domini de Verdun protopræsidis (cui Bruno acceptissimus erat) convenit, ut adolescentem ab incœpto retraheret. At pius juvenis spretas sæculi delitias ultra non repetere fixum habens, tribus se Religionis votis obstrinxit, quo fortius dimicaret. Sic victor evadens, inter Novitios adnumeratur ; animumque adjiciens ad suum corpus castigandum, amplectitur abstinentiam ciborum ac inediam, annuente prius Superiore, tribus hebdomadæ diebus pane et frigida contentus.

Adeo religiose coluit solitudinem, ut neminem unquam conveniret. Cumque statis diebus animi relaxandi causa spatiaretur intra monasterii septa, silentii tam severus custos erat, ut plerumque secederet in hortuli secreta, quo Deo sibique soli vacaret liberius. Nonnunquam in pomario deambulabat cum Domno Baffis, cujus consuetudine et familiaritate mirifice delectabatur ob illius sanctimoniam.

In Necrologio Cartusiæ Tolosanæ perhonorifica fit mentio Brunonis, ubi dicitur præcipuus benefactor hujus Domus, qui post annos viginti septem et menses circiter novem summa cum patientia, paupertate, humilitate et suimet abjectione, silentii quoque ac solitudinis stricta observatione transactos, feliciter obiit anno 1633, 19 Julii. Vicarium egerat in Domibus Ruthenæ et Villæfrancæ. Verum ob infirmitates Tolosam rediens, ibidem decessit, relicta sanctitatis opinione.

XX DIE JULII

GOSWINUS COMHAIR

EPISCOPUS SCALHOLTENSIS

Natus Daventriæ honestissimis parentibus; habitum Religionis suscipiens in Cartusia Diestensi, circa annum 1400 hujus monasterii Moderator erat magna pollens gratia et authoritate apud Principes et Belgii Nobiles, quorum et multos habuit secum ejusdem Instituti sectatores; inter quos fuere, Hermannus Santdorpius, Vicarius Monialium Brugis; Joannes de Montengiis, Prior Capellæ; Henricus de Hagis, et duo ex illustri familia Brederodiorum. Unde factum est ut Cartusia Diestensis Domus Nobilium a vicinis vocaretur. Hinc B. Lidewigis virgo Schedamensis, quæ per id temporis omni sanctitate et patientia florebat, congratulabatur iis qui in hac Domo se se cultui divino mancipabant.

Anno 1414, cum variæ legationes ad controversiam inter Antonium ducem Brabantiæ et Sigismundum Imperatorem, quæ de ducatu Luceburgensi maxime intercesserat, dirimendam mitterentur; ab ipso duce Brabantiæ, qui præclaras Goswini dotes singularemque in rebus agendis solertiam noverat, Goswinus ad Concilium Constantiæ legatus est, ubi viriliter magnoque animo sui Principis causam contra ipsum Imperatorem præsentem egit. Reversus e Concilio honorem declinans a Duce sibi reddendum, Prioratu abdicato, Majorem Cartusiam petiit, ubi altera professione emissa factusque Procurator, negotia Domus et Ordinis cum laude promovit. Mortuo autem patre suo circa annum 1416, a quo olim, anno videlicet 1410, hæres institutus fuerat, pleraque bona eidem Domui Cartusiæ contulit anno 1422; quo etiam tempore venit Diesthemium, cum Priore de quibusdam bonis transacturus.

Horum omnium Instrumenta descripsimus in primo Volumine Notitiarum nostrarum: quibus constat eum secundam professionem prius fecisse in Cartusia Majori, quam Episcopus ordinaretur. Ad quam dignitatem non potuit evehi nisi circa vel post annum 1428.

Cum enim circa idem tempus a Capitulo generali novam Cartusiam fundandi gratia in Daniam missus fuisset, tantam apud populos istos existimationem sua eximia doctrina et pietate sibi comparavit, ut vacantis Ecclesiæ Scalholtanæ (quæ est ditionis Danorum in Islandia) in Episcopum fuerit electus.

In hac sublimi dignitate, oculis suis effectus humilior, nihil declinavit a pristino vitæ cultu; quin potius memor suæ professionis, non solum semper retinuit Ordinis habitum ciliciique usum, verum etiam perpetuum carnisprivium servavit inter Episcopalis sarcinæ quotidianos labores. Verum cum per plures annos vigilantissimi Pastoris ministerium implevisset, relictis infulis, ad Majorem Cartusiam remeans tandem post vitæ longævæ curricula naturæ debitum ibidem persolvit, anno 1447, die 20 Julii, cum ingenti opinione sanctitatis.

Consule Volumen I et IX Notitiarum nostrarum Ordinis Cartusiensis.

JACOBUS DE ARAGONIA

PRIOR NEAPOLIS

Professus Neapolis ; ubi Priorem egit, et in Domibus SS. Stephani et Brunonis, Capri et Romæ. Erat etiam Lombardiæ remotioris Visitator. Vir utique tanto Magistratu dignus, ob eximias illius animi dotes. Nam præter natalium nobilitatem, longe clarior erat pietate, religione, probitate morum, ac regularis observantiæ zelo. Multum ille laboravit pro recuperando SS. Stephani et Brunonis monasterio, quod a tot sæculis fuerat devolutum ad extraneos. Hanc eremum, Deo favente, Cardinale de Aragonia patrocinante, et annuente Leone X Pontifice Maximo, sua prudentia, sua industria, sua denique integritate e manibus alienorum ereptam Ordini vindicavit, adductus ab illustrissimo D. Adamo Foralco, Barone inclyto terræ Vadulati. Anno igitur 1520 præfectus huic Cartusiæ SS. Stephani et Brunonis, dum invigilaret pro reparatione novæ Domus, fatis concessit, anno 1523, die 20 Julii, relicta sanctimoniæ haud vulgaris fragrantia.

Catalogus Priorum Neapolis et Calabriæ.

HIERONYMUS DE RAVIZONIBUS

PRIOR PARMÆ

Patria Novariensis ; alumnus Cartusiæ Papiensis ; cujus Moderator fuit, et Domorum Vallis Christi, Montis S. Petri, Casularum, Astensis, Mediolani, ac tandem Parmæ, in cujus monasterii Prioratu vitæ admodum exemplaris cursum absolvit, anno 1523, die 20 Julii.

Vir fuit ob mores castigatissimos, haud vulgarem prudentiam, religiosissimam conversationem, per Ordinem nominatissimus ; qui multoties delegatus fuit ad evellendum et eradicandum quod inimicus homo seminaverat in agro Domini, cujus cultor egregius, Hieronymus noster, verbo simul et opere faciebat fecundiorem. Pastor optimus, quod in grege suo infirmum erat

consolidans, et quod ægrotum sanans. Cum per multos annos sapienter laudabiliterque præfuisset, ad cœlestem patriam feliciter migrat. Visitator fuit etiam Lombardiæ propinquioris et Cathaloniæ.

Ex manuscripto Catalogo Priorum Papiæ.

PETRUS DE DOMNO PETRO

PRIOR VALLIS S. HUGONIS

Hujus Elogium describitur in Charta Capituli generalis anni 1543, his verbis : « Obiit D. Petrus de Domno Petro, Prior Vallis S. Hugonis, alias Prior Angionis, et Lanceæ, suæ professionis; in qua a Lutheranis multa perpessus est verbera, vincula et carceres, et tandem cum toto Conventu suo per ipsos Lutheranos violenter a dicta Domo Lanceæ expulsus fuit : habens plenum cum psalteriis Monachatum, et Missam de B. Maria per totum Ordinem, et Anniversarium sub die obitus sui, qui fuit 20 Julii. »

CATHARINA MARCHAND

MONIALIS GOSNAY

Neptis R. Patris Hieronymi Marchand, Majoris Cartusiæ Prioris; ob cujus sanctitatis reverentiam inter hujus cœnobii moniales annumerata, se se præbuit, ab avunculi sui probitate non deflectens, totius perfectionis exemplar. Quapropter instituta Magistra Novitiarum, forma gregis facta, mire profuit. Annos nata quinquaginta quatuor, professionis vero 30, denascitur 20 Julii, anno 1626, Deo victura in æternum.

Ex Mss. M. Mariæ Margaritæ de Brongniart, Monialis hujus monasterii.

ISABELLA LANGLET

MONIALIS GOSNAY

Transactis in Ordine 53 annis, per totum hoc spatium unus ex altero semper illi dolor fuit, ut extensa videlicet ejus patientia vitæque commensa simul cum ætate cresceret, et ex amussi Divinæ voluntati Isabellam adæquaret. Moriebatur itaque quotidie ac renascebatur, donec per sexennium ante obitum gravi paralysi correpta lectulo affixa decubuit, membrorum impos præter manuum usum, quas Deo sic concedente in vestibus pauperum vel Donatarum impendebat. Interim vacabat lectioni rerumque cœlestium meditationi, statas preces quotidie pro defunctis persolvebat erga quos ferebatur summo compassionis affectu. In his charitatis officiis ad mortem usque perseverans, a laboribus tandem requievit, anno 1645, 20 Julii, ætatis 69.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart.

XXI DIE JULII

SIMON DE CHAIGNETO

PRIOR PARISIENSIS

Vir nobilissimus; Cartusiæ Parisiensis professus; circa annum 1372 electus in Priorem Montis Dei, ex hujus eremi gubernamine anno 1386 assumitur ad moderamen Cartusiæ Parisiensis. Haud vulgaris fuit doctrinæ, pietatis ac prudentiæ. Unde propter tam honestæ conversationis et eximiæ virtutis meritum a viris piis et nobilibus mirum in modum colebatur. Domus Parisiensis sub eo magnum habuit incrementum in temporalibus, majus in spiritualibus, ob exemplarem vitam monachorum et sanctitatis eorum fragrantiam; qua multi Magnates illecti, in hanc eremum beneficos se se exhibuerunt, et in ecclesia hujus Domus elegerunt sepulturam.

Anno 1392, tempore schismatis Ecclesiæ, a Carolo Sexto Rege Francorum delegatus est Simon cum Joanne de Vallibus, Priore Cartusiæ Divionensis, ad Bonifacium IX, Romanum Pontificem, pro Ecclesiæ tractanda unione. Hujus Patris memoria in benedictione est ob morum illius probitatem, singularem in ægrotos charitatem et effusam bonitatem, qua sibi omnium animos conciliabat. Summa cum laude Visitatoris munus obivit. Demum cum religiosam admodum vitam in Ordine duxisset, dierum et bonorum operum plenus ad meliorem migravit, anno 1402, die 21 Julii.

Chronicon Montis Dei. Cartusiæ Parisiensis Necrologium et Chronicon ms. Spondanus ad annum 1392. § 5.

BERNARDUS BARIOT

PRIOR LUGDUNI

Is cum ex pernobili familia fuisset oriundus, utpote clarissimo apud Parisienses Præside, se ipsum tamen nesciens et humilem Jesum solum scire desiderans, in humilitate radicatus semper extitit. Sive Romæ ubi mortuus est, sive Parisiis ubi Ordinis negotia tractabat, sive in Majori Cartusia, ubi, anno 1597, die 2 Februarii, emiserat vota professionis, resideret, semper contendebat subesse, sicut et præesse olim nisus fuerat, cum Synedrus seu vir consularis inter conscriptos Patres Curiæ Parisiensis spectaretur.

Erat ingenii optimi, totius urbanitatis et prudentiæ filius, totus amore provectus in Deum, cui omnia difficilia quasi

in meridie lucebant, apprime doctus et educatus, Jurisconsultus spectabilis, facundus et suavis eloquio, venustus facie, nemini asper et, quod magis æstimandum est, eximia decoratus pietate; ita ut non immerito de illo diceretur : « Nil indole clarius illa, nec pietate fuit. » Etenim signis omnibus ornatus erat, quibus homo venerabilis, probus et amabilis haberi possit.

Cum quidam nocendi audax et alienæ prodigus innocentiæ apud Henricum IV, Franciæ et Navarræ regem, institisset, quatenus ex alienis incommodis sibi aut suis faceret lucrum; petivit a Principe, ut gynæceum Poletense monialium Ordinis nostri, sibi concederet pro dilecta sibi consanguinea Abbatissa Sancti Petri Lugdunensis cœnobii; quod confestim impetravit, ad hoc sibi multum auxiliante Maria Medicæa Regis consorte, quæ statim ad Summum Pontificem pro ratihabitione donarii confirmanda veredarium direxit : quasi sepulto jure Cartusiensium, quibus insciis et pigritantibus alienorum manibus traditam hæreditatem suam universi mirabantur.

Sed ecce dilectus Deo et hominibus Bernardus cum licentia Reverendissimi Patris Generalis ad Romanam Curiam festinato se confert pro publico Ordinis bono consulturus. Duorum ibi annorum spatio commoratus est Bernardus tunc Prior Cartusiæ Lugdunensis. Cumque tandem obtinuisset a Summo Pontifice rescriptionem ad Principem Christianissimum, jamjam in Gallias reversurus febre continua corripitur, qua ingravescente, necdum marcens ab annis, Romæ pie moritur, ingenti sui desiderio relicto, anno 1607, die 21 Julii juxta Chartam, vel 22 Julii juxta Chronicon Cartusiæ Lugdunensis.

XXII DIE JULII

STEPHANUS
MONACHUS HENTON

Arnoldus Raissius in suo Auctuario ad Sanctos Belgii Molani meminit Stephani ad diem 22 Julii, sicut etiam Jacobus de Voragine in festo S. Mariæ Magdalenæ. Item Petrus Dorlandus in suo Chronico Cartusiensi lib. 5, cap. 6, agit de Stephano his verbis :

Domus Loci Dei, Ordinis nostri Domus in Anglia est, non longe a civitate Hentonia. In hac fuit monachus quidam egregiæ pietatis, Stephanus nomine, qui ad Mariam Magdalenam ferventissimo flagrabat amore. Hanc serviens amabat, hanc æstuabat, ad hanc cuncta per somnia recurrebat.

Et quia amor semper meretur impetrare, uno dierum cum hanc suam ami-

cam solita dulcedine cogitaret, raptus in mentis excessum, vidit se transpositum in clivio montis altissimi, ubi hortus erat tanta amœnitate refertus, tanta suave spirantium odoramentorum fragrantia delibutus, tanto diversorum fructuum florumque ornatu redimitus, ut se se Paradisi delitiis interesse putaret. Cumque loci pulchritudinem secum miraretur, vidit obviam sibi fieri incomparabilis gratiæ ac formæ Dominam, cui de facie solis radii defluebant. Huic de vertice crines pendebant aurei fulgoris, ambrosium spirantes odorem, quæ holosericis atque auro textis vestibus renitebat, pulchra nimis et cœlestis formæ gloriam repræsentans. Quæ mature procedens, cum substitisset, dulci eloquio Stephanum consalutat dicens : « Salve, mi Stephane, o mi Stephane! salve, amator meus. »

Ille tremefactus ad splendentem gloriam admirabilis mulieris, positis genibus eam pronus honorat. At postquam in ejus serenissimum vultum oculos intendit, agnovit Magdalenam esse, amatricem suam : quam agnitionem ingeniosus illi infuderat amor, amor, inquam, qui et lynceos semper oculos habet, et omnia scrutatur, etiam alta Dei. Accepta itaque fiducia ait Stephanus : « Salve et tu, o suavissima feminarum ! mel meum et lumen meum, peccatorisque mei incendium singulare. »

Magdalena. — Scio equidem id, mi Stephane; sed quid a mea nunc pietate requiris ?

Stephanus. — Stephanus ipse cum sim, similis illi Stephano peccatori, quem post multa facinora in tuam gratiam revocasti, oro te, lux mea, ut sicut ejus miserta es, ita et mei miseri te misereri non pigeat.

M. — Et quo pacto vis miserata sim tui ?

S. — Ut iram, quam merui, Judicis sempiterni tua prece amoveas, ac me peccatorem sua gratia dignum efficias.

M. — Hoc et ego magnopere, ut fiat, cupio.

S. — Accede igitur, o mitissima ! ad thronum gratiæ ejus, facile pro me quod volueris impetrabis.

M. — Verum tu dicis. Ego nempe et cæteri, qui in Cœlis sunt, Sancti omnes pro Fidelium salute semper exoratum habemus Altissimum.

S. — Absit ut de eo dubitem, mea Mater. Sed cum ego post Virginem Dei Genitricem te complexer præ cæteris ac venerer, da operam, precor, ut singularem pro me Domino precem offeras, et peculiari pro me voto te patronam instituas.

M. — Ergo tu præ cæteris Sanctis me arbitraris idoneam, quæ tuam possim causam melius apud Altissimum promovere ? Nullam existimas magis idoneam ?

S. — Nulla mihi videtur magis idonea, o mea fautrix ! præter Dei Sanctissimam Genitricem.

M. — Quid igitur de cæteris Sanctis sentiendum reris ?

S. — Bene et optime sentiendum reor. At tu amasia mea, tu protectrix et salus mea es, te Matrem, te patronam, te semper meam constitui adjutricem.

M. — Quam ob causam tu me præ cæteris Dei Sanctis patronam et Matrem elegisti?

S.—Tu meis sensibus dulcius influis, tu cor meum suavius afficis, et amore tuo animæ meæ venas perfundis. Tu tuo amore a Christo Domino specialiter diligi meruisti, quem et animæ tuæ consolatorem et fratrem et sponsum et amicum perpetuo conquisisti. Hæc una est ratio, cur plus ego te diligam.

M.—Approbo rationem; sed si aliam adhuc nosti, ne eam sileas velim.

S. — Stringit me reverentia tua, cum sim pulvis et cinis. At quoniam tu vis, dicam quod vis, orans interim, ne mihi succenseas, o benigna!

M. — Fidenter loquere, ne timeas.

S. — Scimus olim, dicente Scriptura, te fuisse feminam peccatricem, quæ ad Christi vestigia, sparsis ubertim lachrymis, tua crimina diluisti. Hinc aptissima mihi visa es, ad quam ego peccator et multorum scelerum reus, debeam fidenter confugere et tuam supplex gratiam deprecari.

M. — Laudo, mi Stephane, consilium tuum. Ego sum, ego utique sum, præ aliis, qui in Cœlo sunt, Sanctis, peccantium omnium advocata, et inter Deum miserosque mortales, unica post Dei Matrem mediatrix : quod dum scelera mea ad pedes Domini plangerem Salvatoris, ipsa promerui.

S. — Hinc est, o Maria! quod tuam opem peccator supplex efflagito, et quod tuam ambiam gratiam vehementer.

M. — Quid igitur tibi vis faciam?

S. — Ut sicut illum olim scelestum Stephanum, quem Flandrum novimus, ita et me ad dulcem tuum componas amorem.

M. — Grata mihi petitio tua. Tu ergo in reliquum confortare, et esto robustus valde, sciens studiorum tuorum industriam requiri, ut gratiam invenias in tempore et auxilio opportuno.

S. — O dulcia plus melle labia tua! Et nunc, o piissima! quia ad cor servi tui loqui dignata es, cupio tibi summopere nunc muneris aliquid offerre; sed nihil in me dignum invenio, quod tuæ queam Celsitudini impartiri.

M. — Votum pectoris tui libenter recipio, hoc si tribueris, sat habeo. Externa etenim munera minima spernunt.

S. — Quod igitur interni voti tibi munus impendam?

M. — Gratulare ex corde beatitudini meæ, gratulare privilegiis meis, gratulare invenisse ac possedisse me quem diligit anima mea, et quod illi sim indissolubili juncta complexu in Cœlis, quem totis animi mei visceribus concupivi in terris. Tibi autem hujus congratulationis hic erit fructus, quod meo interventu, veniam reportabis et gratiam, et lætitia mecum perpetua perfrueris.

Hæc ubi dixit, disparuit, et Stephanum ad se reversum apprime consolatum reliquit.

LUCAS DE WAERENBERCK

CONVERSUS BRUXELLÆ

Anno 1498, die 29 Octobris, per vota professionis se se cultui divino dedicans, brevi spatio temporis explens tempora multa cursum vitæ feliciter absolvit, anno 1507, die 22 Julii, illibato usque ad mortem virginitatis flore.

Chronicon Cartusiæ Bruxellensis.

JOANNES ROS

PRIOR SCALÆ DEI

Barcinone, nobili ex stirpe progenitus; ab ipsis adolescentiæ annis Deum ita timere didicit, ut secum pietas orta atque aucta videretur. Litteris humanioribus ac Jure civili optime instructus, vix ætatis florem attigerat, cum sponte Dei jugo colla subdens, in Cartusia Scalæ Dei, Divinæ se ipsum servituti mancipat, anno 1501, die 6 Martii.

Præclarum Joannes sub Michaele Sabather optimo morum præceptore tyrocinium adorsus, Angelicæ prorsus fuit conversationis. Unde ipse vocatus est Angelicus homo. Nec immerito sane. Cum enim, post quartum a professione sua annum in Ordine, suæ vicis aliquando Sacerdotem hebdomadarium ageret, post decantatum *Te Deum laudamus* inter Nocturnas preces, lecturus Evangelium, e Vestiario visus est egredi stipatus duobus Angelis ceroferariis.

Aderat tunc Matutinis Horis Michael Torrero Cæsaraugustanus, vir ob pietatem et devotionem oculatus testis fide dignissimus, dives mercator, qui visionem quam viderat, tanquam insolitam rem Priori retulit, mire delectatus tali spectaculo. Cui Prior subridens dixit : « Deliras, bone vir ; hæc somniasti. » « Parcas velim, Pater Reverende, subjunxit ille, vere vigilans hæc ipsemet oculis meis conspexi. » Tum Prior advocans Joannem jussit mysterium hoc propalare. Qui adactus obedientiæ præcepto, genis madentibus lachrymis, secreto rem pudore suffusus aperuit.

Ex hac Joannis sincera confessione devotionem suam augens erga Domum Scalæ Dei, multa ei contulit beneficia; quin etiam novam plantationem Cartusiæ de Fontibus in Aragonia una cum Petro Perandreu a fundamentis erigere statuerat, idque magnifice satis. Verum utriusque, opere infecto, labor incassus et conatus irriti fuere, cum Torrerus morte sublatus est præpropera : et Petrus Perandreu navigans versus Majoricam, a Mauris servituti mancipatus fuit.

Interim dum Joannis virtus magis ac magis in dies innotesceret, rei domesticæ

cura ei committitur. Cumque primi hujus Cartusiæ Procuratoris munus obiret, degens in Correria, sæviente ibidem pestilentia, se se cum aliis Religiosis recepit ad grangiam Bonæ requiei; ubi mansit donec revocaretur a Superiore, qui Joannem multum faciens timuerat, ne hac lue tolleretur, aliunde ad maxima quæque Ordinis munia reservandus.

Anno 1510 cum Ludovicus Mercader (qui postea fuit Dertusensis Præsul) a Capitulo generali ordinatus fuisset in Scalæ Dei Cœnobiarcham, occupatus publicis negotiis, cum minus vacare posset domesticis, Procuratori suo totam demandavit temporalium administrationem; quam cum vigilantissime gereret, exauctorato a Comitiis generalibus anni 1511 Ludovico Mercader, in ejus locum Joannes communi monachorum suffragio sufficitur. Nec immerito sane. Cujus Præfectura multum utilis fuit huic monasterio et Ordini. Diutissime quidem Moderator existens magnam sibi comparavit famam apud omnes.

Non solum fuit admotus regimini Scalæ Dei, quod tenuit per ipsos triginta quinque annos, sed et Provinciæ Cataloniæ per triginta annos cum ingenti lucro fuit Visitator. Per id temporis omnes Hispaniarum Domos visitavit ex mandato R. Patris Generalis, collegam habens V. Cartusiæ Neapolitanæ Priorem; adiit serenissimum Regem Ferdinandum, acturus cum eo de recuperatione monasterii SS. Stephani et Brunonis in Calabria, quod Cistercienses invaserant. Excepit Rex perhumaniter Joannem, dimisitque adauctum confirmatione privilegiorum Scalæ Dei.

Anno 1522 negotiorum Ordinis gratia veniens Cæsaraugustum, ubi tum morabatur Adrianus Papa Quartus, ab eodem obtinuit Apostolicorum diplomatum ratihabitionem.

Anno 1526 Tarraconem petiit aditurus Cardinalem Salviati Legatum a Latere. Socium legationis habebat V. P. Joannem Baptistam Priorem Trisulti; qua quidem functus est, multis prius in suæ Domus gratiam obtentis a præfato Cardinale.

Annis 1523 et 1530 adfuit Tarraconensi Synodo, a qua bis fuit delegatus ad Regem, qui se plurimum benevolum Joanni exhibens postulatis illius faciliter acquievit. Adjecit Ferdinandus, sicuti regni Magnates, amplas eleemosynas; et ne minus aliis Carolus V Imperator fecisse videretur, præter privilegia, donavit eidem summam sexaginta ducatorum annui redditus.

Anno 1527 trajiciens ad Cartusiam Majoricarum, hanc eremum visitaturus, tam turbulenta tempestate jactatus est, ut jam navis factura erat naufragium. In hoc discrimine vitæ Joannes opem Beatissimæ Virginis Mariæ de Mont Serrat inclamans, ita hanc Stellam maris statim expertus est propitiam, ut navis feliciter portum tenuerit. Haud immemor patrocinii Deiparæ pius Pater, votumque quod nuncupaverat con-

stitutus in his angustiis soluturus, perrexit ad nominatissimum illud sanctuarium, cujus montem nudis pedibus conscendit, quo suam in hunc locum reverentiam magis testaretur.

Inter cæteras autem quibus exornatus erat virtutes, charitas in pauperes excellebat. Summo etenim erga illorum miseriam affectu compassionis ferebatur; quibus cum erogaverat quidquid monasterii facultates suppetebant, hisce domesticis eleemosynis illius zelo minime sufficientibus, voluit etiam largitionum perillustris Laurentii Perez, Abbatis d'Agor, episcopi Nicopolitani, esse administer. Hic Præsul omnium virtutum exemplar pauperum Pater vocabatur; singularique amicitia conjunctus erat Joanni, cui diversis temporibus viginti quinque et amplius millia scutorum tradidit ad sublevandam mendicorum inopiam. Prætermitto alias hujus Episcopi liberalitates in religiosas Domos et Xenodochia. Porro Joannes agebat hoc charitatis opus magna cum animi volupe, se se in calamitosos benignum, affabilem et beneficum lingua simul et manu exhibente.

Anno 1530 cum pestilentiæ sterilitas succedens regioni famem intulisset, monasterium Scalæ Dei misericordiæ sinum expandit calamitosis, adeo ut inopes catervatim confluerent ad Cartusiam. Verum cum annona præ mendicorum multitudine Patribus deficeret, Joannes pro pauperibus sollicitus circumvicinos Magnates hortabatur ad stipem miseris erogandam. At frustra laborans pro colligendis eleemosynis (unusquisque etenim sibi primo consulens, minus aliena torquebatur calamitate), ad excellentissimam Franciscam Enriquez, ducissam Cardonæ, singularem Scalæ Dei benefactricem, confugiens, ab ipsa pecuniam recepit, quam inclyta mulier tunc nummis vacua mutuo acceperat, sub conditione tamen annui redditus solvendi, ut Joannes necessitatem patientibus subveniret. Qui, frumentum quod appulerat ad portum de Salou pretio comparans, egenis opportune succurrit, donec Deus benedicens coronæ anni benignitatis suæ, pro sterilitate substituisset abundantiam.

Pia Joannis circa pauperes sollicitudo nihil de illius vigilantia circa commissum gregem detrahebat. Huic prælucens bonis operibus, singulos ad humilitatem, ad pietatem, ad rerum terrenarum contemptum, ad perfectam Statutorum observantiam provocabat, factus ipse forma gregis animi candore eximio, sui ipsius despicientia, Christianaque simplicitate. Temperantia porro et moderatio, quæ passionibus imperat, sine qua nec ullus Rector bonus esse potest, ita Joannis animum composuerat, ut neque ira neque odio unquam commoveretur, nunquam iratus ad pœnam accederet, aut cupiditate ulla possessus vir vere mitis et humilis corde in quemquam judicium ferret : sibi imperare nescium, digne aliis imperare non posse existimans.

Verumtamen, cum veri Pastoris officium ac munus illud esse agnosceret, quo languidæ oves curantur, infirmæ consolidantur, ægrotæ sanantur, ac Samaritani pietate a Domino commendata, oleum vinumque infunditur in ægrotorum vulnera, haud se asperum ac turbulentum erga lapsos exhibere solitus erat; sed cum haberet quamdam mansuetudinem sibi a natura inditam, ita curabat subditorum vulnera, ut patris potius ac medici quam judicis personam induens, clementia et lenitate delinquentes attraheret ad virtutem.

Tanta in administrando suavitas mire Joanni omnium conciliabat animos; qui ad ætatis occasum vergens in extremum morbum incidit. Per biennium ægrotans hæsit affixus lectulo, se totum ad rerum divinarum contemplationem conferens; atque ideo, quo facilius eidem devotionis exercitio vacaret, appenderat bonus senex ad collum suum libellum meditationis, Missale ac Breviarium, ex quorum frequenti lectione mentem suam erigeret ad cœlestia. Interim se se jam plane imparem officio cernebat, factusque linguæ impeditioris ob membrorum paralysim, a Superioribus contendebat de sua exauctoratione; cui monachis obsistentibus tanto Pastore orbari ægre ferentibus, tandem multoties senium ad omnia prorsus inutile, morbi diuturnitatem, ac linguæ impotentiam causatus, in Ordinem redactus est.

Quantum Religiosi dolebant de Joannis abdicatione, tantum ille gaudebat se ex Præfectura exoneratum sentiens; quos amicissime complectens, ab iis omnibus, si quos eorum dicto vel facto imprudens offendisset, supplex petiit veniam, utens excusationibus maximis, quod eis molestus fuisset in tam prolixa infirmitate; eosque amantissimi Patris instar ad perfectam Statutorum observantiam, ad mutuam charitatem, ad perseverantiam hortatus. Adhuc post absolutionem per annum superstes, demum ea qua vixerat sanctitate vitam conclusit, anno 1547, 22 Julii, virgo natus, virgo mortuus.

Ex Vita ejus Hispanico sermone.

ANTONIUS GONNET

SACRISTA LUGDUNI

Patria Lugdunensis, ecclesiæ S. Justi Semicanonicus; ingenti apud omnes ob morum suavitatem relicto sui desiderio, Cartusianis, anno ætatis 33, nomen dedit; exactoque multum exemplariter Novitiatu, die 22 Julii anni 1634, emisit vota professionis. Admotus postea officio Sacristæ curæque Novitiorum, hæc obivit munia ea laude, ut tanquam Angelus Domini appareret semper singulari modestia, in divinis laudibus decantandis fervore, vitæ innocentia, miro candore, effusa in omnes charitate: quibus omnium sibi amorem concilians, nemini unquam visus est mo-

lestus, nulli onerosus unquam, per totum vitæ spatium coram Deo et hominibus ambulavit sine querela.

Tot gratiæ donis cumulatum Deus cæcitate exercens, amplam ipsi obtulit patientiæ materiem. Quam Antonius per sexennium tanquam Tobias perpessus, diuque insuper probatus dolore ischiadico, tandem meritis dives repositam sibi coronam percepit, anno 1661; mortuus die festo S. Mariæ Magdalenæ, quam tenera devotione semper coluerat. Ad extremum usque spiritum semper sui compos.

XXIII DIE JULII

HENRICUS DE TRAJECTO

VICARIUS CAPELLÆ

Vitæ admodum religiosæ et exemplaris; ad patriam cœlestem felici morte migravit, anno 1426, die 23 Julii. Alii scribunt ejus obitum ad diem 22 Julii.

Chronicon Capellæ.

PETRUS SCHERPENISSE

PRIOR LYRÆ

Professus Domus S. Sophiæ, cujus Priorem sicut et Leodii egerat; anno autem 1549 ex regimine Cartusiæ Delfensis ad moderamen Lyræ translatus, multum laboravit pro stabilienda regulari observantia. Erat enim vir multum celebris ob pietatem et mores religiosissimos. Strenue dum impleret suum ministerium, suis præripitur, anno 1558, die 23 Julii (non autem 22), raptus ad Superos.

Chron. Cartusiar. Lyræ et S. Sophiæ.

MICHAEL EXARTEL

MONACHUS PORTÆ CŒLI

Hujus Vitæ author fuit Joannes Baptista Civera in Chronico Portæ Cœli, cap. 31, quam hic nihil de verbis ipsius immutantes subjicimus :

« Hic devotus Pater fuit Majoricensis, ac Doctor Theologus. Intravit in Ordinem anno 1559, et annis tantum undecim vixit in eo. Ad demonstrandum autem quanti meriti fuerit apud Deum, solum referam, quod mihi scripsit Pater Petrus Malonda, insignis verbi Dei prædicator Societatis Jesu, videlicet, quod dum ipse esset adolescentulus, ac primis linguæ Latinæ rudimentis operam daret Valentiæ, venit ad visitandam hanc Domum, una cum condiscipulo suo nomine Stephano. Qui, dum in cella D. Michaelis Exartel de Deo loquerentur, interrogavit eos, quem vitæ statum sectari desiderarent? Et respondens Stephanus dixit : « Se velle ad instar patris sui profiteri me-

dicinam. » Sed D. Exartel subjunxit : « Nequaquam, fili mi, medicus eris, sed Carmelitanus. » Porro Petrus Malonda sic locutus est : « Ego, Pater, magna devotione erga hunc sanctum Ordinem Cartusiensem afficior, optaremque valde hoc habitu indui. » « Neque tu, ait, Cartusianus eris, sed Jesuista. »

« Cum essent parvuli, sapiebant ut parvuli; quapropter potius irriserunt, ac contempserunt tanti viri prophetiam. D. autem Exartel (ut intelligerent quam serio loquebatur) assumpsit unum racemum, et porrexit Stephano, dicens : « Accipe hunc racemum, Carmelita. » Et apprehendens alterum, dixit Petro Malondæ : « Accipe uvam hanc, Jesuista. » Reversi autem ad sua narraverunt parentibus suis, quasi per jocum, quod sibi acciderat. Et prosequentes studia sua, post aliquot annos Stephanus Ordinem Carmelitanum professus est. Et quamvis, dum indueretur, præsens esset socius ejus, neuter tamen prophetiæ recordatus est.

« Deinde post duos annos, et ipse Petrus Malonda Societati Jesu nomen dedit. Pater autem ejus, re audita, pergens statim ad collegium S. Pauli cœpit multis rationibus ad defectionem filium sollicitare. Novitio vero firmiter in sancto proposito perseveranti tunc dixit pater : « Persevera, fili, persevera. Non enim ut te a Societate revocarem, hæc quæ audisti proposui, sed ut te probarem et tuæ constantiæ facerem experimentum. Scio enim hanc esse Dei voluntatem. Nam non meministi, quomodo annis præteritis profectus ad sanctam Portæ Cœli Domum una cum socio tuo Stephano, reversus narrasti, quod quidam sanctus monachus prædixerat Stephanum Carmelitam futurum et te Jesuistam? Ecce quomodo totum impletum est. » Hoc audiens Novitius cœpit tremere præ admiratione, et firmior effectus est in sancto proposito, agnoscens aperte hoc esse Dei beneplacitum, quandoquidem longe antea statum suum huic sancto Patri manifestaverat.

« Porro venerabilis P. D. Michael spiritu prophetiæ multisque virtutibus conspicuus obiit anno 1571, 23 Julii. »

MARTYRES CARTUSIANI RUREMUNDÆ

Anno Domini 1572, die 23 Julii, milites hæretici, duce Principe Orangiæ Guillelmo comite Nassovio, Ruremundam Geldriæ ducatus civitatem invadentes, eo quod in ipsa oppugnatione quosdam ex suis amisissent, acriter in Religiosos præsertim suam exercuerunt crudelitatem.

Per id temporis præerat huic Cartusiæ vir plurimum ob senectam et virtutem venerandus, Joachimus. Hic pastor bonus videns lupos venientes, non ut mercenarius fugam iniit, aut dimisit oves; sed cum eis se recepit in eccle-

siam. Et quoniam præ temporis angustia de peccatis suis singuli confiteri nequibant in particulari, post factam generalem in Capitulo Confessionem, ipsis Summi Pontificis Christi Jesu vices in terris gerens absolutionem impertivit; muniens et exhortans eos, in hoc vitæ discrimine ad mortem constanter obeundam pro Fide Catholica et monasticæ disciplinæ professione, cujus vel nomen solum sceleratis istis exosum erat et execrandum.

Itaque furibundi milites in monasterium magno impetu irruentes, primum incidunt in janitorem nomine Fratrem Stephanum Conversum; qui eos benigne comiterque excipiens, ut primum furoris eorum impetum frangeret, ultro claves illis obtulit, usus qua potuit verborum urbanitate. At illi homines truculenti nihil moti boni Fratris facilitate, rejiciunt claves; deinde aggrediuntur eum, volentemque in domum vicini effugere, intercipiunt et male tractant, arreptisque ligonibus caput effringunt, excussoque cerebro, crudeliter necant.

Præfato facinore in ipso ingressu perpetrato, mox insiliunt maximo tumultu in anteriorem monasterii aulam, atque in cellas Fratrum laicorum irrumpunt, quæ se offerunt primo loco ingredientibus; in quarum una Fratrem Albertum Winsemium Conversum, coquum monasterii, senio confectum et correptum apoplexia, offendunt, quem lecto decumbentem, eo quod se movere non posset, subito immaniter trucidavere.

Deinde alium invadunt nomine Fratrem Joannem Sittart Conversum. Is erat pistor et coctor cervisiæ monasterii, et se se abdiderat in tugurio quodam sub lignorum strue, sed tandem inventum repente interfecerunt.

Inde ex anteriori aula cum magno clamore se effundunt in interius monasterium, januis vi effractis. Ac primum obviam habuere senem quemdam venerandum sacerdotem, qui præ diuturna infirmitate et affecta ætate debilitatus, baculo corpus fulciens properabat ad ecclesiam, ut aliis ibidem congregatis et paratis ad mortem oppetendam se se adjungeret. Hunc ita sibi obvium factum subito confodiunt. Nomen illi erat Erasmus Trajectensis.

Pergentes vero insani milites, aliorum clausa cellarum ostia validis ictibus evertunt, cædibusque ac rapinis omnia replere ac fœdare conantur; atque inter cæteros reperiunt grandævum quemdam Patrem, cui nomen erat Matthias Coloniensis, simplicem adeo, ut propemodum ignoraret quando Dominica dies occurreret in hebdomada. Hunc barbari homines in ipso cellæ limine, nihil reveriti ipsius canitiem atque columbinam simplicitatem, occidunt.

His in monasterio scelerate admissis, in templum advolant sacrilegi, et in ipsum sacrum ecclesiæ chorum, in quo quam immaniter et irreverenter sint grassati, quis absque lachrymis refe-

rat? Neque enim truculentos istorum nefariorum animos, vel sacratus Deo locus, vel Reliquiarum Sanctarum, adeoque nec ipsius Venerandi Sacramenti reverentia commovere, neque omnia ecclesiæ ornamenta jam erepta, quæ et plurima et pretiosa erant, potuerunt explere, quominus sacrilegas manus in ipsos quoque Christos Domini extenderent.

Igitur calicibus sacris ablatis, multaque præda rerum Deo consecratarum ex templo monasterioque accepta, cum necdum posset ipsorum saturari aut crudelitas aut cupiditas, gravius etiam inclamarunt et magna contentione plura exegerunt et extorquere conati sunt a Religiosis ante summum altare prostratis. Qui cum responderent se nihil quod supersit novisse, rogarentque ut vel nudos rebusque omnibus exutos et spoliatos solaque vita donatos ejicerent; illi immanissimi furoris œstro perciti, ac diris juramentis se devoventes, vociferabantur, nisi latentes thesauri proferantur in lucem, se omnibus ad unum et singulis vitam laqueo erepturos. Quas voces ultro citroque eundo et redeundo aliquoties ingeminantes, tandem a minis et verbis ad verbera scelerati progrediuntur; et extractum e medio aliorum Henricum Wellenium ante se statuunt, eique verbis insultant. « Tu vafer juvenis, aiunt, tu nosti utique, tu monstrabis nobis, quas investigamus pecunias. » Quo respondente id quod res erat, nihil se prorsus scire, en scelestus quidam, adacto in pectus ejus pugione, crudeliter in ipso choro ante altare summum sustulit eum de medio.

Cum sacrilegi eo dementiæ pariter et audaciæ devenissent, ut pro nihilo ducerent innocentem sanguinem effundere, etiam adoriuntur, spe thesauri alicujus obtinendi, impellente eos avaritia et concepto in monachos odio, Religionis causa, adoriuntur, inquam, Guillelmum Wellenium Procuratorem Domus, qui cum non posset nec vellet dare quod diri exactores postulabant, furore accensi, bipenni valide vibrata caput fere per medium secant, et paulo post semivivum de ecclesia extractum in plateis trajiciunt glande plumbea. Deinde impetum faciunt in D. Joannem Leodiensem monachum, et trajecto ejus femore ictu sclopeti in terram prosternunt, ac tam diu bellicis instrumentis caput ejus contundunt, donec post longam cum morte conflictationem spiritum Deo Creatori suo redderet, in æternum victurus in gloria.

Prædicti D. Joannis Leodiensis necem truculentam subsecuta est excarnificatio, vel ut verius dicam, martyrium Joannis Leewis, quem miles unus crudelis ferociter invasit, sciscitans valde importune, ubinam essent thesauri; illoque affirmante vere non esse sibi argentum et aurum, nihilque de thesauris sibi constare; cum improbus homo magis instaret et urgeret, duo ex nostris Religiosis qui astabant, videlicet Joannes Ass sacerdos et Joannes Gressenich

diaconus, videntes confratri suo paratum malum ab homine insano, commiseratione quadam moti, sermone dulci militem aggrediuntur, et verbis blandissimis lenire conantur ejus rabiem. « Eia, inquiunt, amice bone, parce et ignosce nobis, quemadmodum frater noster dicit, ita se res habet, nemo nostrum habet vel dare potest, quod a nobis exigitis. »

Quibus precibus et verbis mansuetissimis ille magis etiam exacerbatus : « Scio, ait, quid sit, confœderati estis et conjurastis simul, ne proferatis thesauros et pecunias quas requirimus. » Dixit, et ecce homo humanitatis omnis et probitatis expers, sica in pectus defixa, eum non interemit solum, verum etiam dum adhuc animam ageret in templo, quidam ex sicariis videns illum adhuc palpitantem, « En, inquit, ut hiat et palpitat monachus iste, » procaciter insultans morienti : quod in Turcis atque Tartaris jure reprehendas.

Joanne Ass monacho atrociter ab eisdem vulnerato (qui tamen diu superstes vixit), Joannes Gressenich diaconus, qui militis barbariem verborum suavitate frustra conabatur inflectere, accepit et ipse ab eo plagam mortiferam, in dorso tam horrende læsus, ut ferrum interiora omnia ad pulmonem usque pervaderet. Delatus tamen ægre est ipse valde æger in Maseyck, quod est oppidum vicinum in ditione et Episcopatu Leodiensi, ibidemque in Conventu Cruciferorum, frustra chirurgorum opera adhibita, aliquot post diebus discessit e vita, ibidem sepultus.

Severus, monachus professus Confluentiæ, hospes in hac Domo, nescio qua simplicitate sibi persuaserat, quod hostes licet essent externa quæque direpturi, nequaquam tamen eos indumentis spoliarent, sed expulsos e monasterio sinerent abire. Unde duabus oblongis tunicis duabusque cucullis indutus prodiit, et cum aliis comparuit in ecclesia. Sed qui mortuis jamque morituris vestes omnes usque ad nudum corpus detraxerant, quomodo huic pepercissent?

Statim ergo atque in templum, adeoque in chorum ipsum sacrum veniunt, unus ex illis dictum Severum severe compellat his verbis : « Quid, inquit, tu monache, præ cæteris his veluti exuviis onustus es? Quid hoc sibi vult? Cur ita duplicibus vestibus ac tot gravatus indumentis et oneratus incedis? Cujas es? » Illo respondente, « Confluentinus sum, missus huc ab obedientia ex mandato Superiorum meorum, » « Et ego, ait ille, Confluentinus sum. Itaque conterranei sumus ; sed tu si vitam laude dignam apud tuos duxisses, utique mansisses in solo illo patrio tuo. »

Repente autem Severo idem quod ante dixerat, aliisque Religiosis qui aderant idem affirmantibus, « Nequaquam, inquit ille, verbis fidem adhibeo; sed sistat hic gradum iste, manibus meis illum hic emori oportet. » His dictis accurrit et rapuit quæ potuit; fu-

gientemque Severum ad chorum Laicorum insecutus ante altare B. Mariæ Virginis trucidavit, vel certe confecit gravi vulnere, ac in capite sauciavit. Nam incertum est utrum ibidem efflaverit animam et Deo Creatori suo reddiderit spiritum. Altera enim die in monasterii culina repertum est cadaver ejus, vestibus omnibus spoliatum ac plene nudum, lacerumque crudeliter ac bulliente aqua perfusum.

Accidit autem hic res stupenda dignaque referri. Cum iste Severus ferro cæderetur ante altare, ut dictum est, Beatæ Mariæ Virginis, sanguis ejus in altitudinem octodecim pedum emanavit et erupit, parietemque altari Divæ Virginis vicinum aspersit non sine grandi miraculo : qui sanguis a pluribus gravibus viris et præsertim Episcopis sæpe cum admiratione visus (cujus rei oculati testes sunt, R. D. Lindanus primus episcopus Ruremundensis et R. D. Cuickius ejusdem Ecclesiæ secundus antistes), in pariete apparet.

Fungebatur in hac Domo Sacristæ officio Vincentius ab Herck, qui singularem crudelitatem, variaque tormenta et contumelias a nefariis hominibus istis pertulit. Nam detractus ab illis e testudine templi, ubi delitescebat, cogitur prodere res ecclesiæ; quibus sublatis, volebant eum abducere in castra Principis Orangiæ. Sed dum eum in platea alii milites istorum socii conspiciunt, illis invitis et repugnantibus rapiunt eum, et velut prædam feræ immanes per medium civitatis et per forum trahunt usque ad alteram urbis portam, trudunt, pungunt, illudunt, convitiantur, vulnera infligunt et tanto furore in eum insaniunt, ut vix possent majori.

Deinde nasum et ambas amputant aures, mentum in modum crucis findunt et fodiunt, cutem in capite, nimirum a corona sursum versus abstrahunt, et omne genus malitiæ ac nequitiæ in miserum exercent. Inter hæc sibi vicissim succedentia supplicia verbis contumeliosis ipsum proscindunt, et per ludibrium et irrisionem aiunt illi : « Concionare nobis, monache. » Imitatores scilicet eorum, qui Christo Domino illudebant dicentes : *Prophetiza nobis quis est qui te percussit.* Respondebat autem mansuete, Christi exemplo, Vincentius tractantibus se injuste : « Quid vobis concionabor, qui non vultis resipiscere? Ignoscat vobis Deus, equidem lubens ignosco. Sed jam, quæso, tandem his cruciamentis finem imponite. » Sic pius Vincentius nolens vinci a malo, sed vincens in bono malum, desideravit imitari aliquo modo illum Magistrum suum, qui crucifixus dicebat : *Pater, dimitte illis, etc.*

Tandem unus istorum perditorum militum, qui reliquis clementior videbatur, volens breviori tormento longiores istos cruciatus terminare et concludere, displosit in eum sclopetum, ut in quodam Manuscripto monasterii reperitur : quanquam ex eo necdum videtur occubuisse. Nam in quadam

epistola, ad nostros Lovanienses scripta de clade civitatis Ruremundanæ, continetur quod etiam confossus sit Vincentius, et adhuc spirans pertractus ad Minoritarum Franciscanorum cœnobium, et ad portæ introitum, qua ad templum itur, semivivus suspensus fuerit. Libet hic ea ipsa verba ejusdem epistolæ attexere :

« Venerabilem Patrem Sacristam, singulari pietate atque rara vitæ innocentia spectabilem, monasterio abripiunt, quem chorali serica chlamyde indutum ludibrii causa nebulonum manipulus cingit. Cappam illam choralem undique per omnia in speciem reverentiæ sublevantes subsequebantur aliquot Dalmaticis, alii Albis, alii sacris Casulis induti. De Missali diras in eum blasphemias occinentes, sive potius porcino grunnitu grunnientes, irreligioseque Deum blasphemantes et *Kyrie eleison* obgannientes. Alii pium virum longe trahunt in itinere insultantes, pedibusque in eum illidentes et calcibus fortiter pulsantes. Præibat quidam crucem Dominicam sublimi manu gestans, oculisque ejus, non tam reverenter illam ostentans, quam in os subinde crudeliter impingens. Alii colaphos sacro impingebant capiti, fessisque longo protractu humeris diri subinde crudeli laniena infligebant vulnera. Tot igitur mactatus vulneribus, tot dissectus plagis, media in platea (quæ inferior dicitur e regione Elephantis) felix Christo cadit hostia, quam ex furiosis illis unus stricto mediam perfodit gladio. Sed adhuc spirantem ad Minoritarum usque pertrahunt monasterium, ubi ad portæ introitum, qua ad templum iter est, de laqueo semivivum suspendunt. » Hæc ibi.

Sepultum autem corpus ejus fuisse dicitur a bonis Catholicis non procul a porta illa civitatis, quæ Nigra appellatur : eo enim usque a sceleratis raptum fuisse per urbem dicitur. Post tres autem annos plus minus R. Episcopus Lindanus curavit cadaver exhumari, ac primum quidem in vicino cœnobio Franciscanorum nocte asservari, deinde postero die cum solenni processione ad Cartusiam nostram transferri, ubi decenter, ut par erat, sepulturæ traditum fuit.

Cæterum hic prætereundum non est, quod jam extinctis Cartusianis, ne quid vel ignominiæ vel etiam extremæ crudelitati deesset, homines scelerati in ipsa quoque cadavera impie et impudentissime grassati sunt: et quorumdam magis pinguium carnes truculenti carnifices exciderunt, adipemque evulserunt, et mutilatis membris corporis etiam pudendis amputatis, resectoque abdomine, pinguedinem istam chartæ involutam hastisque affixam circumferebant per civitatem publice et plateatim cum summa contumelia proclamantes : Si quis abdomen monachorum coemere velit. Et hæc quidem illi per ludibrium malitiose perpetrarunt, relictis interim cadaveribus per integrum triduum inhumatis.

Postmodum tamen ossa illorum collecta et honorifice sublata, condigno honore in loco quodam subterraneo in choro ad latus dextrum summi altaris juxta parietem condita sunt, exceptis quibusdam capitibus et ossibus, quæ alibi inventa et asservata sunt. Unde Ill^mus Princeps D. Franciscus de Mendoza et Cardona Admirantius Aragoniæ, Aulæ regiæ Catholicæ et Serenissimi archiducis Alberti Austriaci summus Præfectus ac primarius Magister equitum, pro sua singulari erga Reliquias Sanctorum devotione, aliqua sibi donari postulaverat, cum circa annum 1598 Catholici Regis exercitus, cui ipse summa cum potestate Dux et Capitaneus generalis tunc temporis præerat, in agro Ruremundensi versaretur.

Porro sub ea tempestate erat in hac Cartusia Dominus Paulus a Waelwyck, R. D. Guillelmi Lindani episcopi Ruremundensis sacellanus, ab iisdem satellitibus propter Fidem Catholicam cum Nostris pariter inhumanissime tractatus et interemptus crudeliter. Nam ut se ad mortem pro Christo oppetendam melius compararet et muniret, relictis ædibus Episcopi ad monasterium venerat, et se se Nostris in templo adjunxerat : « En, inquiens, adsum, vobiscum moriar. » Erat sane vir ille rara eruditione et morum integritate præditus. Concionator quoque egregius, ut qui publicis concionibus tum vitia acriter reprehendere, tum Hæreticorum impia commenta luculenter confutare consuevisset, Nostrosque in hoc certamine et oratione et exemplo ad martyrium subeundum inflammabat.

Hunc viri illi, homines ab omni humanitate alieni, primum spoliant crumena sua, mox pallium et pileum auferunt. Inde ex ecclesia protractum per cœnobium circumducunt, jactant in eum probra et convitia, multisque injuriis et contumeliis onerant. Denique contundunt et cædunt immaniter. Ad extremum in Cartusiæ pomarium raptum, tres aut quatuor profani milites insiliunt in sacerdotem Dei, in capite vulnere imposito gravissime sauciant, deinde prostratum humi non solum ignita glande per medium trajiciunt, sed etiam ense confodiunt. Nec desunt qui dicant (proh dolor et horror!) ab impuris illis nebulonibus illi viro pudico, vestibus omnibus spoliato, nudoque impudenter præcisa verenda, apertoque ventre, cor evulsum atque intestina in os ejus congesta.

Cæterum corpus ejus terræ conditum fuit eodem in loco pomarii ubi peremptus est. Cujus ossa post triennium effoderunt Cartusiani nostri et honesto loco collocaverunt. Quæ postmodum Reverendissimus D. Lindanus episcopus, solenni pompa et celebri Supplicatione comitante, ad ecclesiam Sancti Spiritus honorifice transtulit.

Præter hos ab Hæreticis monachos trucidatos, graviter ab eisdem vulnerati sunt Guillelmus Wellen et Leonardus; sicuti etiam Nicolaus diaconus, Joannes

Trajectensis, Joannes Ass et Joannes Voeren, monachi hujus Cartusiæ. De Joachimo Priore dicemus ad diem 9 Septembris.

Horum Martyrii Historiam fuse descripsit Arnoldus Havensius, Prior Cartusiæ Gandavensis. De iisdem agunt Arnoldus Raissius in Auctuario ad SS. Molani; Martyrologium Gallicanum Andreæ Saussayi ad diem 23 Julii; Bibliotheca Cartusiana Petræi; Historia ms. Ordinis Cartusiensis.

XXIV DIE JULII

JOANNES DYPACH

PRIOR RUTILÆ

Cujus breve Elogium describitur a beato Dominico Trevirensi his verbis :

« D. Joannes Dypach professus et Prior Domus Confluentiæ, Visitator Provinciæ Rheni et secundo professus Domus nostræ Trevirensis, obiit in Prioratu Domus Rutilæ, anno 1447, die 24 Julii ; homo pacis appellatus et honestæ conversationis. »

NICOLAUS DE CORTONA

PRIOR FLORENTIÆ

Hujus monasterii alumnus ; eidem per Ordinis Cartusiensis Comitia anno 1433 celebrata præfectus, summa morum probitate, in rebus agendis prudentia vitæque sanctimonia præluxit. Fuit amicitia conjunctissimus cum beato Nicolao Albergati Cartusiano Cardinali, quem idem Cardinalis secundæ in Galliam legationis duxerat comitem. Adfuit hic venerandus Pater Nicolao Albergati animam agenti, cujus conspectu suavissimo moriens mire confortatus, postea placidissime expiravit.

Diu Nicolaus amico superstes, multoties regiminis onus deposuit, quo sibi solique Deo vivere posset; sed rursum admotus gubernaculo, cum per litteras sæpe sæpius petiisset a supremo Ordinis Ministro absolutionem, Patres conscripti multum facientes Nicolai dotes eximias et in administrando peritiam, frequentibus illius litteris per Chartam Capituli generalis anni 1457 responderunt in hunc modum : « Priori Florentiæ non fit *misericordia;* quem exhortamur in Domino, ut propter bonam conservationem Domus suæ habeat patientiam in officio Prioratus. » Sic acquiescens Comitiorum ordinationi, perseveravit usque ad mortem obediens. Tandem senio et infirmitatibus fractus, sancto fine quievit, anno 1459, die 24 Julii.

Vita Nicolai Albergati. Catalogus Priorum Florentiæ.

GUILLELMUS BIBAUCIUS

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Celebris ante conversionem, mirabilis in conversione, sanctus extitit in conversatione R. Pater Guillelmus. Fuit origine Flander, patria Tiletanus, qui diu in pædagogio Gandavensi litteras edocuerat, quamvis Lovanii prima scientiarum rudimenta cœpisset. Jam in ipsa toga sæculari omnibus venerationi erat ob mores castigatos; jamque a sæculo meditabatur quiddam conversionis, cum procrastinanti stimulus additus est. Ludum litterarium aperuerat Gandavi, et suis auditoribus ingerebat disciplinas, cum subito flamma fulguris instar in schola cœpit micare; quæ frequenter se huc illucque vibrans per omnes angulos auditorii desæviit, ac postremo ipsum percussura ita exterruit, ut animo conceperit votum se, si evaderet incolumis, quamprimum Cartusiam ingressurum.

Unde instar Pauli divinitus vocatus se adjunxit Cartusianis, vota Domino reddens in monasterio Gandavensi. Factus postea Prior Montis S. Gertrudis in Hollandia et Teutoniæ Visitator, cum per universam Cartusiensem familiam virtutum illius odor spargeretur, anno 1521 post obitum R. P. Francisci de Puteo Prioris Majoris Cartusiæ, tandem renunciatus est Ordinis Antesignanus. Cum esset præditus insigni religione et ornatus multiplici thesauro scientiarum, de illo plures ambigebant, quænam in eo potior esset facultas, aut pietatis aut scientiæ. Sed ex ejus fine deprehensum est pietatem in eo potiores partes sibi vindicasse.

Post multos siquidem sudores Ordinis gratia susceptos ad vitæ occasum vergens, anno 1535, statim post Capituli generalis celebrationem, ita concidit, ut de salute illius medici conclamarent. Quod ipse pius Pater intelligens, nihil habuit antiquius, quam ut accerseret animæ medicum, cui vitæ suæ labes exponeret. Confessione rite peracta, cum sentiret adventare Sacram Synaxim, sublevans se quantum poterat corpusque infirmum animo fulciens, supplex ac effusus in lachrymas in hæc verba magno cum spiritus fervore prorupit :

« Mene, inquit, piissime Jesu, mene nequissimum servum tuum dignaris invisere? Sed quid dixi, servum ? imo vero hostem potius et quidem ingratissimum, qui tantis a te cumulatus beneficiis et donis, nec tibi dicto unquam obaudiens fuerim, tuam toties læserim Majestatem. Propter quod ego, per illam, qua omne genus hominum complecteris, charitatem, quæque cœlitus ad nos in terram deduxit nostræque humanitatis cinxit involucris, quæ famem, quæ sitim, frigus, æstum, paupertatem, labores, irrisiones, quæ postremo etiam mortem Crucemque te subire compulit : per hanc ergo te, Salvator Jesu, quæso, te obtestor, aver-

tas faciem a peccatis meis, ut cum ante tuum tribunal astitero, quo me jamdudum sentio citari, non mea fraus, non mea culpa plectatur, sed condonetur Crucis tuæ meritis. Valeat, valeat in causa mea Sanguis ille tuus pretiosissimus, quem pro asserendis in libertatem hominibus in Ara illa sublimi nostræ redemptionis effudisti. »

His dictis, Corpore Christi reficitur; quo cœlesti pabulo confortatus, paulo post inter Salvatoris nostri manus emisit spiritum, anno 1535, die 24 Julii. Professionis vota nuncupaverat circa annum 1500.

Chronicon Cartusiæ Gandavensis. Arnoldus Raissius in Auctuario ad Molanum. Historia ms. Ordinis Nicolai Molin.

JOANNES FOXIUS

MONACHUS LONDINENSIS

Post necem Cartusianorum Angliæ patratam ab Henrico VIII Rege, post Cartusiæ Londinensis et aliarum Domorum Ordinis excidium pulsus e patria, multa exilii incommoda pro Catholica Fide passus, tandem anno 1555 religione restaurata, Joannes cum Mauritio Chancæo remeans in Angliam pro restitutione Ordinis in pristinum statum, Londini febre correptus, sancte decessit, anno 1556, 24 Julii; in xenodochio sepultus.

Mss. Cartusiæ Shenensis.

XXV DIE JULII

MANASSERIUS

CONVERSUS FONTIS B. MARIÆ

Primo professus Montis Dei, secundo Fontis B. Mariæ, ad quam, post recentem fundationem, incolendam per Capitulum generale missus est ob spectatam ejus pietatem et vitæ exemplaritatem; cujus sane specimen in eruditione Fratrum laicorum sibi commissorum abunde exhibuit, venerandæ canitiei addito claræ mortis honore.

Manasserii obitus signatur in Charta anni 1348. De eo meminit Franciscus Ganneron in suo Martyrologio ad hanc diem.

DIDACUS LUXAN

PRIOR DE COVIS

Madriti prosapia nobili oriundus; spreto generis splendore, se cultui divino per vota professionis mancipavit in Cartusia de Covis, anno 1489, in ipso Epiphaniæ festo. Vir fuit singulari

prudentia et virtute exornatus; quapropter ad moderamen Domorum de Covis, de Paulari, Xeritii, Aniago et Caçalla assumptus, perfectissime suum implevit ministerium.

Effulsit imprimis charitate in pauperes, cujus extat luculentum testimonium his verbis descriptum : « Cum anno 1520 Prior de Covis existens, fame valida et generali sterilitate terra laboraret, ipse quingentis ducatis, qui solum in arca erant, et aliis quingentis commodatis Religiosum misit Neapolim, ut triticum ad pauperibus subveniendum emeret. Qui cum navim tribus millibus fanecis onustam concrederet mari, immiti tempestate jactata, partem tritici, ut illam alleviarent, jactarunt nautæ in mare; ipsa vero ventis exagitata, post diversa pericula appulit tandem ad Africæ littora, et quidem non sine magna Dei providentia : nam Buxia civitas, quæ a Barbaris obsessa erat, et jam fame pene deficiens, tritico fuit provisa redemptaque a furore Infidelium. Ad Hispaniam tandem pervenerunt fanecæ septingentæ, ex quibus venerabilis Prior solum voluit percipere trecentas, quas omnes pauperibus impertivit. »

Plenus meritorum ex hac vita migravit, anno 1525, die 25 Julii, juxta Ms. Cartusiæ de Covis, vel die 5 ejusdem mensis, juxta Chartam Capituli generalis.

BARTHOLOMÆUS GARCIA

CONVERSUS VALLIS CHRISTI

Castellanus ; a teneris annis se se Cartusiæ Vallis Christi famulatui mancipans, agebat opilionem. Aliis deinde occupatus laboribus, tanta virtute devotioneque effulsit, ut post instantissimas preces, anno 1579, inter Fratres Conversos hujus monasterii a Joanne Bellot fuerit annumeratus. Post Religionis ingressum, dum se se ad interiora extendit, strenue nihilominus muniis domesticis vacabat, quotidianum laborem interim ita suscipere visus, ut corporalem exercitationem semper nutriret oratione. Unde propria status atque obedientiæ ministeria, quæ ad Conversos spectant, omni studio ac diligentia prosequebatur; cumque ultra vires suas laboraret sæpius, nunquam tamen apparebat fatigatus.

Cura molendinorum monasterii Bartholomæo fuerat demandata. Qui cum videret hanc occupationem esse periculosissimam, virumque licet Religiosum ibidem in peccati discrimen adduci ob concursum utriusque sexus, tot rationibus in mentem Superiorum induxit conducendas esse moletrinas, ut Bartholomæo acquiescentes, non modo spirituale, verum etiam ingens temporale lucrum ex his locationibus perceperint. Cum enim annui reditus pistrinorum singulis annis in sartis tectis horum procurandis dependerentur,

postea Domus hæc quingentos ducatos quotannis ex moletrinarum vectigalibus refecit. Ex hoc molestissimo munere liberatus præpositus fuit constructioni ædificiorum officinæ pistoris, cui per viginti quatuor annos invigilans, nihil interim remittebat de quotidianis spiritualibus exercitiis.

Familiarissimum illi erat orationis studium, quam rigida fovebat abstinentia. Et ne injunctis sibi obedientiis paululum deesse videretur, aut potius ut carni bellum indiceret, cibos, quorum erat parcissimus, singulis diebus Dominicis parabat ad reliquam hebdomadam ; quibus modice utens, statim redibat ad laborem. Transactis multa cum sedulitatis laude pluribus annis in ædificiorum sollicitudine, senio et labore jam fractus ad cellulæ quietem revocatur. Ibi a Domino brevi remunerandus, mense Julio febre correptus incredibilem pene patientiam semper demonstravit : quo propius ad vitæ metam accedebat, eo ardentius divina charitate incalescere videbatur.

Perceptis devotissime Sacramentis, morbo prævalente, per tres dies abstinuit ab omni cibo ; adeo ut cum extremam ejus imminere horam adstantes perspicerent, Philippus Tronchoni, hujus Cartusiæ monachus, Bartholomæo ad bene moriendum animos addens, ægroti fidem, spem et fiduciam in Deo non sine lachrymis mirabatur : æstuabat siquidem pius Frater præ beatæ æternitatis desiderio. Cumque ab eodem Philippo rogaretur, ut illius memor esset in Paradiso, subjunxit ille : « Ita, Pater, tui cæterorumque Fratrum meorum recordabor; cumque illic nihil sit nisi charitas et amor, nunquam oblivioni dantur illi, qui superstites in hac valle miseriarum indigent Beatorum suffragiis. Neque etiam immemor esse possum hujusce Cartusiæ monachorum, cum quibus tanto charitatis nexu conjungor; ipsis amicitiæ vices redhibebo in perpetuas æternitates. Festinemus igitur ingredi in illam requiem sempiternam. »

His dictis, paululum siluit, se seque colligens oculis in cœlum defixis, ait : « Videam te, o suavissime Jesu ! Ut moriar ! Moriar cito, o dulcissime Salvator, ut te videam ! » Has voces iterum repetens, cum totis animæ medullis anhelaret ad cœlestem patriam, a corporeo carcere liberatus, ad hanc mox evolavit, anno 1612, mense Julio.

Annales Vallis Christi Joachim Alfaura Hispanico sermone scripti.

MICHAEL HOVE

PRIOR TORNACI

Vir vitæ multum exemplaris, eximius custos solitudinis ac silentii, verborum parcissimus. Obiit in Domo Valencennarum (exoneratus a Prioratu) anno 1629, 25 Julii.

XXVI DIE JULII

JOANNES DE ROESENDAEL

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

De quo Chronicon Majoris Cartusiæ manuscriptum meminit his verbis :

« Anno Domini 1463, mense Februario, dicto Domno Francisco (Maresme videlicet) per electionem canonicam successit in Prioratu Cartusiæ Reverendus atque Angelicus Pater in Christo, Domnus Joannes de Noviomago, alias de Roesendael tunc Prior de Castris, natione Teutonicus, Domus Vallis benedictionis prope Avenionem professus; a quo Prioratu, post multa Religionis exercitia, ad apicem summi Prioratus Cartusiæ nutu Divino sublimatus fuit.

« In quo quidem Prioratu magis incrementa sibi sunt aucta pietatis; nam in frequentando ecclesiam, in abstinentiis faciendis, ac cæteris observantiis Ordinis inconcusse tenendis, etiam quorumque præcellere robur videbatur juvenum. Et licet sibi rigidus, aliis tamen extitit misericors et pius. Sacrarum Scripturarum dogmatibus refertus, quanto plus exaltabatur, tanto in omnibus apud se humilior efficiebatur. Compositus erat moribus, honestate conspicuus, circumspectione providus, mitis, mansuetus et placida conversatione dilectus. Sed quid plura? Cum ipse cæteris sapienter provideret, nec sui pariter suæque salutis oblitus est. Nam quantum negotia Cartusiæ et totius Ordinis patiebantur, incessanter lectioni, orationi devotæque recollectioni vacabat; et cum senex esset, dissolvi et esse cum Christo, diesque sibi abbreviari, ne onerosus fieret Ordini, orabat.

« Ob quod, superveniente infirmitate, facta prius generali Confessione, Unctione suscepta, Viaticum tanquam valedicens pie petiit, licet die penultima ante obitum Missam devotissime celebrasset. Sed cum viribus pene deficeret, ob reverentiam Domini sui ad ecclesiam pergere jam tentaverat, sed ultra progredi vires non habuerat : Corpus Dominicum sibi extitit allatum. Ipse vero ut Salvatorem suum advenientem agnovit, cum super misericordiam decumberet, confestim exiliens ad terram se prostravit, et prorumpentibus lachrymis subclamans gemebundus, ait: « Bene venerit Deus meus; sed unde hoc mihi? cum non sim dignus, ut veniat Dominus meus ad inutilem servum suum. » Sicque *Confiteor* præmis-

so, maxima cum devotione cordisque contritione Creatorem suum gratanter suscepit.

« Itaque hoc ministerio impleto, et eodem Patre ad lectulum collocato, Conventu astante ac Litaniam prosequente, cum idem Pater Crucem Domini ante se fixi devote cerneret et preces ad Deum, Beatam Virginem et Sanctos, ut poterat, funderet, illico tanquam de postulatorum obtentu dulciter congratulans, ait : Deo gratias. Sicque tribus emissis singultibus animam Deo reddidit.

« Post cujus felicem transitum, vultus ejus totumque corpus ita apparuit splendidum atque formosum, quod astantium oculos alliciebat ad videndum. Obiit autem hic memorandus Pater senex et plenus dierum, anno 1472, die B. Annæ, 26 Julii, ætatis autem suæ fere nonagesimo; et præfuit Domui Cartusiæ annis novem, mensibus sex, relinquens post se benedictionem filiis suis sanctæ Religionis exemplum. »

PETRUS SARDE

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Lemovix; Prior Portus B. Mariæ. Anno 1554 ad totius Ordinis moderamen assumptus, totus Christo ac Matri ejus vixit, raro devotionis exemplo et sedulo solitudinis ministerio præfuit. Ita enim Christi et Mariæ amore invisceratus erat, ut opere et verbis intus latentem flammam quasi ex conflatorio educeret. Ea propter in cella et in ecclesia fere semper, alibi raro videbatur, ne exspatiaretur extra oleas pietatis. In extrema ægritudine variis molestiarum pressus incommodis, animam efflavit anno 1566, 26 Julii.

GORGONIUS PETRINI

PRIOR PISARUM

Professus Pisarum; admotus regimini Belriguardi, anno 1570, et postea factus Prior Pisarum et Pontiniani; tandem, anno 1584, a Comitiis exauctoratus, pie animam efflavit, anno 1628, die 26 Julii. Vir fuit acri ingenio, summa præditus morum bonitate, austerus, ac orationi valde deditus.

GORGONIUS PETRINI

MONACHUS PISARUM

In oppido Camugnani, Bononiensis diœcesis, natus. Decennis ab Angelo in Cœlum evectus est, gloriam contemplaturus sororis suæ nuper defunctæ, et auditurus felicitatis ejusdem designatum sibi consortium, quando in Dei obsequio impiger, ad eamdem sibi gradum facere animo hæreret. In hoc totus incubuit, et litterarum, quibus a

moribus formandis nomen, fontibus delibatis, Pisis sanctæ conversationis habitum quæsivit, labente humanæ Salutis anno 1590, mense Novembri.

Mundo fuga devicto, irruentes ejus fœderatorum acies generose sustinuit, eoque gloriosius, quo annis ter denis cellula inclusus, nunquam munitissimis prodiit e castris; et si quæ mutua colloquia, aut amœnæ per viridaria deambulationes, austero, humanæ tamen imbecillitati attemperato in hoc sodalitio statis diebus concessæ, ab iis toto eo tempore abstinuit. Vinum, in quo est luxuria, nescio quando gustavit. Glorioso convicio uva sicca appellabatur, quod inedia exesus consumptusque, pelle vix ossibus hærente, uvam succo exhaustam referret.

Virginitatis candorem Sanctissimæ ejus Antesignanæ Mariæ cultu et patrocinio munivit. Sacris admovendus Mysteriis Florentiam cum perrexisset, et Acciaiolio hospitaretur in palatio, ubi tunc ex munificentia amplissimæ in hunc Ordinem familiæ, commune Cartusianorum Pisarum in ea urbe pernoctantium hospitium; primis tenebris iturus cubitum, duas sibi easque formosissimas astare puellas aspexit, venereis quæ lenociniis inhonestos eum ad amplexus invitabant, extrema etiam minitantes, nisi adolescentulis nobilissimo prognatis sanguine morem gerendo, suæ earumque libidini indulgeret. Procidit e vestigio ante imaginem Immaculatæ Dei Parentis, ad cujus implorationem auspicii vaferrimus hostis, qui filiarum amplissimi hospitis vultus ementiebatur, pudore suffusus, abscessit.

Sed rediit mox instaurato certamine, aspectu non jam formosus, sed ferox et pro luxuriæ ejaculatis antea facibus, forcipe eum candenti invadens, ad renes super stratum jacentem vellicare ausus est, et lethaliter saucium multoque sanguine aspersum relinquere. Atrox hinc dolor, uberes hinc lachrymæ, lacero quod corpore, destitutus quod viribus insequenti luce sacris Aris initiari nequiret. Sed adfuit Cœlorum Regina, præsentemque opem secundo invocata impertivit. Momento vires recepit et incolumitatem, dolorem tantum ad multum exinde temporis perpessus.

Ætate et pœnitentia confectus, aderat choro assiduus, et cum lento nimis gressu serius vereretur accurrere, aut viribus in eundo destitutus per claustrum decideret, juvenum occurrentium excitabat fervorem; quos benigne rogabat, porrigerent eunti brachium, vel præberent jacenti manum, ne viro Dei obsequio emancipato illud sinistrum unquam occurreret, Odeo vel una ex Horis divinarum laudum decantationi statis deesse.

Apoplexia correptus, loquelam amisit; quam Mariano sibi restitutam patrocinio paulo post ostendit, Antiphonam *Salve Regina* in gratiarum actionem repente decantans; nec multo post tempore magnæ inter Dei Matris favores

ad Filii gloriam perrexit, cujus in manus animam commendavit emisitque, die 26 Julii, 1628, ætatis 57, secessus a mundo 40, et altero minus.

Ex Theatro Chronologico Ordinis Cartusiensis Caroli Josephi Morotii, qui obitum Gorgonii perperam refert ad annum 1629.

BARBARA DE PONTHIEU

SACRISTINA GOSNAY

Beatissimæ Virginis Mariæ cultrix eximia; noctu diuque occupabatur oratione, ibi torrente inebriata voluptatis. Vix e choro in cellam reversa, statim flexis genibus se se convertebat versus Sacratissimum Altaris Sacramentum; quod quidem ea venerabatur devotione, ut sive dormiens, sive vigilans semper in illud vultum converteret. Unde non immerito nuncupari poterat perpetua custos Sanctuarii, quod myrrha mortificationis crebræque orationis aromatibus fumigabat. Tanti fervoris fragrantia Domus hæc illæsa permansit inter bellicos tumultus. Multum etiam affecta fuit erga Christi Passionem; cujus perfecta imitatrix, carnem spiritui, appetitum rationi subjiciebat. Silentii tenax et solitudinis, diem supremum obiit anno 1662, 26 Julii.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart.

XXVII DIE JULII

GUIGO

QUINTUS PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Archimandrita undequaque sanctissimus et doctissimus, cujus merito testimonium perhibent non solum S. Bernardus Clarævallensis et Venerabilis Petrus Cluniacensis abbates, sed magis ipsa in omni sanctitate peracta conversatio. Ipse est qui *Consuetudines* Cartusiæ scripto digessit, ex quarum tenore infracta animi constantia vivens priscis Anachoretis æquiparandus venit, Summorum Pontificum amicitia fretus, Præsulum sui temporis familiaritatem nactus, et omnibus denique prædicatus laudibus Dei servorum. Is denique post vigesimum septimum regiminis annum laboribus magis quam ætate fractus, ex ergastulo hujus sæculi ereptus, cum Sanctis eremi Patribus connumeratur die 27 Julii, anno 1137.

Anno ipso fundationis Cartusiensis Ordinis, id est 1084, non sine quadam mira Dei providentia, natus est Guigo, ejusdem Ordinis futurus quandoque Antesignanus et Legislator, apud Ca-

strum sancti Romani (vulgo Romans), oppidulum nempe ditionis et diœcesis Valentinensis, non longe ab ipso Cartusiæ loco constitutum. Parentes habuit secundum sæculi dignitatem claros et nobiles.

Mater ejus viduitatis annos implens ad longum pervenit senium ; et jam multos annos habebat in Prioratu filius, cum adhuc pia mulier in vivis erat. Quæ cum aliquando, ut erat valde religiosa et religiosis viris ob pietatem addicta, ad S. Hugonem Episcopum accessisset pro salutaris moniti captando consilio, cum eo quæ voluit et quantum voluit, locuta est; non tamen ad filium Guigonem accessisse fertur. Cum autem Guigo quæreret a S. Hugone, utrum matrem senecta valde fregisset, ipse vir castissimus paululum secum præmeditans, responsum dedit continentia sua singulari oculorum dignum, dicens nescire se utrum vetus an non esset.

Traditus litteris a parentibus, statim doctus evasit; erat enim ingenio subtilis, memoria tenax, facundia admirabilis et in exhortando efficacissimus. Anno autem vigesimo tertio circiter perosus rerum mundanarum, cum Ordinis Cartusiensium sanctimoniam audiisset, factus est monachus in Majori Cartusia, sub Joanne Tusco Priore, cui et anno 1110 obeunti, in Prioratu Cartusiæ, magno Ordinis bono suffectus est. Sola quippe Cartusia tum Ordinis Primiceria cis Alpes censebatur, cujus filia eremus Calabriæ vel modica vel ignota erat.

Cum itaque Domus illius habenas suscepit moderandas, vix 27 annum ætatis impleverat, stupendo prorsus in tali juvene exemplo. Sed cum sanctitas et prudentia fierent ætatis supplementum, ad tale onus post paucos conversionis annos subeundum, a S. Hugone Episcopo et Fratribus Cartusiæ, non sine pia quadam vi, compulsus est. Quanta autem illius Domus utilitate hoc factitatum fuerit, constat ex eo, quod eamdem in utroque statu quasi a fundamentis restauravit.

Claruit enim multitudine sanctorum discipulorum, qui ad religiosæ perfectionis apicem pervenerunt, quales fuerunt : S. Anthelmus, qui illi successit, et tandem assumptus fuit ad Episcopatum Bellicensem. Et Hugo, qui ex Gratianopolitano Viennensis Præsul effectus est. Bernardus, Prior Portarum, magnus ille Thaumaturgus. Et Audiunus Lotharingus, qui tam miraculose servatus inter nives, sanctissime paulo post coram eo expiravit. Gaufredus, primus Prior Montis Dei et Excubiarum, vita valde conspicuus et doctrina. Basilius, qui ex monacho Cluniacensi factus est Cartusianus et inde Prior Majoris Cartusiæ. Hugo, sextus ejusdem eremi Cœnobiarcha. Et alii multi; quibus et addo sanctos illos duos ex Conversorum numero Fratres : quorum primus, humilitatis et pietatis virtute singularis, a dæmonibus tam acerbe

tractatus, ad B. Mariam Virginem confugiens, ejus opera liberatus est; alter etiam juvenis ab eo receptus et in disciplinam cuidam veterano Converso traditus, gloriosus illi post mortem apparuit.

Ex quo elicitur quanta vitæ sanctitas et disciplinæ strictioris observantia apud Cartusiam viguerit sub Guigone. Quam et admirans Petrus abbas Cluniacensis : « Quando (inquit) explicare potero, quomodo a vobis corpore sejunctus, tota vobis mente conjungar? quomodo alibi manens vobiscum semper maneam? quomodo cum aliis conversans, intra sacri collegii vestri numerum spirituali cohabitatione converser? Quando referre valebo, quam gravis mihi sit (teste Eo quem fallere non possum) ipsa vestra corporalis absentia, qua si carere possem, non solum miserum, quantum ad me, nomen Abbatis, sed etiam totum cum suis omnibus mundum exuere nullo modo dubitarem? »

Hoc idem B. Godefridus Ambianorum præsul ambiebat. Qui ubi comperit servorum Dei famam, qui sub Guigone in Cartusia degebant, relictis omnibus, in hanc se recepit solitudinem, ut uni Deo vacaret. Hunc ut vidit Guigo Episcopum vultus angelici et simplicis naturæ, gratias immensas agit Christo, statimque illum religiosissimo cœtui Fratrum adjunxisset, ni veritus fuisset Romanum Pontificem, Remorum Archiepiscopum, aliosque Galliarum Præsules minime passuros, ut illic permaneret. Interim tamen cellam ei assignavit, ubi servavit Institutum ad unguem.

Cum autem quandoque cellulas monachorum pia sollicitudine Guigo venerandus inviseret, etiam ad B. Godefridum pervenit, invenitque eum nescio quæ pia divina scripta legentem et uberes fundentem lachrymas. Valde autem ejus amore succensus, nosse cupiens utrum posset æquo animo ferre injurias, ita ait ad eum : « Solebasne, o Episcope, pro Sacris Ordinibus aurum et argentum, et id genus munuscula recipere? » (Ut alii multi tum faciebant.) Respondit cum multo gemitu Antistes : « Equidem, pater beatissime, non nummos expetebam ab aliquo, sed vel invitus sæpe humani favoris aura inani inficiebar. » Id audiens Guigo mirabatur eum minime se palpare, sed humiliter accusare etiam extrema quæque.

Sed cum oporteret eum inde recedere, postquam ibidem a festo S. Nicolai usque ad initium Quadragesimæ demoratus fuisset, ab illa Cartusia recedens, crebro ad eam reflectebat oculos lachrymis madentes, se miserum et infelicem summo animi dolore pronuncians, cui in illo angelico contubernio non licuerat usque ad ultimum vitæ finem permanere.

Ejus vero disciplinæ rumor ita pervolavit, ut Cartusianus Ordo cœperit dilatari sub illo. Siquidem Domus Portarum, Excubiarum, Durbonis, Sylvæ

benedictæ, Majorævi et Arveriæ exordium acceperunt et incrementum non modicum tam in personis quam ædificiis. Anno etiam ejus vitæ ultimo, Domus Montis Dei ipsius ordinatione et consilio per manum viri valde venerabilis Odonis abbatis S. Remigii cœpit habitari.

Ob eamdem pariter Cartusianæ Vitæ illustrem famam Guigo summopere ab omnibus sanctis synchronis colebatur : cujus amore, et etiam B. Hugonis Episcopi, S. Bernardus Abbas, cum apud Claramvallem aliquot annos fecisset, studuit eum invisere devotionis gratia. Cum S. Abbas ad locum accederet, videretque humiles Cartusiæ casas, lachrymatus est præ gaudio, videns priscorum monachorum Ægyptiorum renovata vestigia et sancti sui Patris Benedicti primordia renata. In Cartusia igitur a Reverendissimo P. Guigone et a cæteris Fratribus magno affectu et veneratione susceptus est Christi servus, exultantibus illis in gaudio, quia qualem per epistolam prius noverant, talem invenerant et præsentem. Olim namque Guigo scripserat ad S. Abbatem, congratulans ei pro bonis quæ audierat de eo; quibus S. Bernardus binas rescripsit litteras, ex quibus videre est arctissimam S. Abbatis cum B. Guigone amicitiam.

Quem, ut præfati sumus, cum S. Bernardus adiisset, multo gaudio exceptus est. Sed cum in reliquis omnibus ædificaretur, unum fuit quod Guigonem movit aliquatenus, stramentum scilicet animalis, cui idem Vir insidebat, minus neglectum, minus redolens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat; sed locutus uni e Fratribus, aliquatenus super hoc moveri se se confessus est et mirari. Cumque ille ad sanctum Abbatem quod audierat retulisset, non minus ipse miratus, quale esset illud stramentum quærebat, quod ita scilicet a Claravalle Cartusiam usque venisset, ut nunquam vidisset illud. Neque enim suum erat animal, sed a quodam monacho Cluniacensi avunculo suo et in sua vicinia demorante, fuerat commodatum : eratque sicut sibi sternere ille solebat. Quod audiens Guigo in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus oculos foris circumcidisset, intus occupasset animum, ut quod ipse primo visu offenderat, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset.

Sed quoniam hoc loco occurrit, miror quosdam Scriptores imperitos audacter in suis Legendis asserere, valde fuisse scandalizatum B. Guigonem in hoc facto Bernardi. Utinam et attenderent ipsa verba Gaufridi monachi, scriptoris Vitæ S. Bernardi; et quod magis, non vulgarem Guigonis sanctitatem et perfectionem; et id quod ait S. Hieronymus : « Quia qui scandalizatur pusillus est, majores enim scandala non recipiunt ! »

Prodeat deinde in medium alius Guigonis admirator, et Vitæ Cartusianæ

singularis paranymphus Petrus Cluniacensis abbas, qui ad eumdem Guigonem scribens ait : « Venerabili et non fictæ charitatis brachiis singulariter amplectendo Domino et Patri Guigoni Cartusiensi Priori et cæteris Fratribus, etc. Cum exundantem erga vos sincerum cordis mei affectum verborum signis explicare pertento, fateor, in ipso conatu deficio. De quibuslibet aliis assidue tractanti, verborum copia affluit ; cum vestri amore et memoria tota sit repleta anima mea, se ipsum quærens explicare animus succumbit. »

Et in epistola ad Eugenium Papam : « Cartusiensis (inquit) Ordinis et propositi Instituta quantum dilexerim, quantum diligam, quantum veneratus sim, quantum amplectar, noverunt multi. Ego vero magis, Deus autem maxime... Agnosco me Cartusiensium a triginta fere annis, id est etiam antequam præesse inciperem, præ cunctis mortalibus amasse Religionem, coluisse sinceritatem, amplexum esse veritatem. Intellexi, nec me falli putavi, cunctorum Latinorum Institutis, eorum propositum præferendum, etc. »

Et ad Priorem Cartusiæ Majorævi ait : « Semper supremam arcem pectoris mei vobis vestrique Ordinis viris servavi, Instituta Cartusiensia universarum Religionum Institutionibus facile prætuli ; a primis pene adolescentiæ annis sincero affectu sacrum vestræ Religionis propositum colui. Unde quando vacare potuit, quædam antiquiora vestri Ordinis loca adire frequenter non pigritavi, inaccessibiles pene nivibus et a glacie altissimas rupes non abhorrui, Fratres inter illas montium et rupium angustias omnipotenti Deo servientes videre, visitare atque cum eis in Domino jucundari, dulce habui, etc. »

Haymericus pariter, famosus ille Cardinalis et Cancellarius S. R. E., multo tempore in Cartusia apud Guigonem sibi familiarissimum demoratus est; ut constat ex epistola quam ad eum postea Guigo misit, in qua inter cætera ait : « Quam grata nobis fuerit vestra præsentia, recordatione sentimus. Unde quæsumus, sic agite, ut cum ab his diebus, qui secundum Apostolum mali sunt, et secundum Psalmistam sicut umbra deficiunt, ad dies bonos et annos æternos transieritis, non de nostra (quid enim sumus nos vel erimus?) sed de Illius visione et societate cum omnibus Sanctis sine fine lætemini, propter quem nostram et obscuritatem nosse et necessitatem supplere, et, quod longe pluris ducimus, tot et tantis ecclesiasticis, quibus nunquam caretis, interpositis negotiis, latebras nostras non solum humiliter, sed et laboriose penetrare, nosque ipsos oculo ad oculum invisere et ore ad os loqui non est dedignata vestra sublimitas, etc. »

Nec pigebit hic subjicere unam ex epistolis supramemoratis, quas divus Bernardus ad Guigonem misit, quem sic alloquitur : « Inter Patres reveren-

dissimis et inter amicos charissimis, Guigoni Priori Cartusiensi cæterisque sanctis, qui cum eo sunt, F. Bernardus de Claravalle salutem æternam. Sanctitatis vestræ litteras tam lætus accepi, quam avidus et olim desideraveram. Legi eas, et quas volvebam in ore litteras, scintillas sentiebam in pectore, quibus et concaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne, quem misit Dominus in terram. O quantus in illis meditationibus exardescit ignis, e quibus hujuscemodi evolant scintillæ! Vestra illa succensa et succendens salutatio sic mihi, ut verum fatear, accepta fuit et est, quasi non ab homine, sed certissime ab illo qui mandat salutes Jacob, descendere videretur. Non me sane arbitror salutatum in via, non in transitu, non veluti ex occasione, ut assolet consuetudinis; sed plane ex visceribus, ut sentio, charitatis prodiit hæc tam inopinata et grata benedictio.

« Benedicti vos a Domino, qui me in benedictionibus tantæ dulcedinis prævenire curastis, ut daretur puero vestro, vobis primum scribentibus, fiducia rescribendi, scribere quidem ad vos jampridem gestienti, sed non præsumenti. Verebar nimirum sanctam quam in Domino habetis, importunis scriptitationibus infestare quietem, juge illud vestrum sacrumque silentium a sæculo, susurrium cum Deo vel ad modicum interrumpere, nostraque ingerere auribus secretis penitus occupatis supernisque eulogiis. Timebam omnino molestus fieri vel Moysi in monte, vel Heliæ in deserto, aut certe excubanti in Templo Samueli, si divinis intentos confabulationibus aliquatenus avocare tentassem. Clamat Samuel : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus;* et ego me audiri præsumerem ? Timebam, inquam, ne si et David elonganti se et fugienti manentique in solitudine importunus insisterem, indignans excusaret et diceret : Sine me, non audio te modo; audiam potius, quod dulcius ausculto. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus ; quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super Sanctos suos et in eos qui convertuntur ad cor...*

« Charitas cum voluit, fecit sobrios nobis; adeo ut minime duceretis indignum, me non modo sustinere loquentem, sed tacentem insuper benigne provocare. Amplector benignitatem, dignationem admiror, laudo et veneror puritatem, qua de nostris profectibus quos putatis, tanta in Domino exultatione gloriamini. Glorior et ego plurimum tanto testimonio, et servorum Dei tam grata quam gratuita admodum familiaritate delector, etc. »

Porro non immerito tanti viri Guigonem tanti faciebant, quippe qui floreret omni genere virtutum, de quibus pauca delibabimus.

Humilitatem quam studiose, imo et ambitiose sectatus fuerit, satis indicant scriptæ geminæ ad Innocentium itemque ad Haymericum litteræ. Itemque ea, quam ad Petrum abbatem Clunia-

censem scripsit, ubi ait : « Domino P., dignationis ejus servus et filius, Cartusiensium pauperum inutilis Guigo famulus. Vestra in litteris quas misistis expressa charitas, nostræ etsi magnam præstat consolationem infirmitati, non minorem tamen humilitas confusionem ingerit extremitati. Unde petimus, per eam, qua in nos indignos vestra fervent viscera, charitatem ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur Serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non infletis elatione. Et illud præ omnibus et super omnia quæsumus, et defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram Patris nomine dignam ulterius æstimetis. Satis et super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur. Valete. Salutate Reverendos Patres et Dominos nostros, quibus paternam curam impenditis, quorum pariter et vestris precibus nostram illuminari cæcitatem, roborari infirmitatem et aboleri petimus iniquitatem, etc. »

Scintillam quoque hujus prædilectæ sibi humilitatis emittit in Prologo Consuetudinum Cartusiæ, quas summa instantia et importunitate victus digesserat, dum dicit : « Nos qui tale aliquid facere possemus vel deberemus, dignos minime putabamus. Huc accedebat, quod doceri magis quam docere ad humilitatis nostræ propositum pertinere noveramus, tutiusque esse aliena bona potius quam sua prædicare, etc. » Et cum de Prioris officio agit, post aliqua subdit : « Sedes Prioris ubilibet, vel vestitus nulla quasi dignitate vel pretiositate differt a cæteris, nec quidquam gestat, unde quod sit Prior appareat... Quod idcirco scribimus, ne quis forte posterorum cornua velit sibi assumere, vel nomen suum quacumque gloria vel eminentia celebrare. »

Paupertas ejus satis ex eo celebratur, quod in proverbium apud Cartusianos abiit « horrere manticam Guigonis » pro eo, qui paupertatis viam ingredi apprehendit. Toto enim sui regiminis tempore Cartusiani ob paupertatem apud omnes bene audierunt. Cujus et probatus testis et oculatus Guibertus Novigenti abbas, qui de Cartusianis et Guigone ait :

« Cartusiani cum in omnimoda paupertate se deprimant, ditissimam tamen bibliothecam exaggerant. In tantum autem sunt custodes suæ inopiæ, ut hoc ipso quo agimus anno, Nivernensis comes, vir omnino religiosus et potens, eos causa devotionis et optimæ, quæ hinc emanat, opinionis inviserit, multumque super sæculari eos cupiditate, ut caverent, inde monuerit. Cumque regressus ad sua, eorum indigentiæ, quam viderat, meminisset, nescio quæ argentea, scyphos et scutras pretii plurimi eis misit. Sed eorum, quæ dixerat eis, nequaquam obliviosos invenit. Mox namque communicato consilio, quæcumque direxerat, ad integrum refutata recepit : « Nos, inquiunt, neque in ex-

pensis nostris, neque in ecclesiæ ornamentis, exterarum quidpiam pecuniarum retinere delegimus. Et si in horum alterutro non expenditur, ut quid a nobis suscipitur ? » Puduit itaque prævaricatoriæ contra suum sermonem oblationis Comitem ; et tamen dissimulata aspernatione eorum, boum tergora et pergamena plurima retransmisit, quæ pene inevitabiliter necessaria esse cognovit. »

Fuit autem unus ex præcipuis sui sæculi contemplativis, cujus in Deum jugis amor ubique spargebat scintillas ; adeo ut si quem Dei amicum alicubi sciret, statim, quia pedibus ad eum accedere non poterat, scriptis litteris ad eum, congratulabatur profectui et bonis de eo auditis, utque ad anteriora se in dies extenderet et Dei gloriam promoveret, sollicite animabat. Charitas ejus tanta in Deum charitate etiam in proximum decorabatur. Volebat enim omnes homines salvos fieri et ad agnitionem Divini nominis venire, ad quod, quia viva voce non poterat, litteris et scriptis operibus se ipsum totum impendebat.

Notum est quam studiose apud Innocentium Papam egerit pro Cisterciensi et Fontis Evraldi Ordinibus. Quam gratiosus etiam in beneficos, ex epistola Petri Cluniacensis liquet. Miserat enim S. Abbas duas ad eum Crucifixi imagines, « ut eum Crucifixum pro eo in hoc mundo crucifixi contemplantes, dum illum pro sua multorumque salute deprecarentur, ejus in sacris suis precibus nullomodo obliviscerentur. » Ex quo gratiam illi Guigo referens, scripsit ad illum brevem sed medullatam epistolam, multas gratias habens, « quod Crucifixum crucifixus et ipse crucifigendis miserat. » Cujus grati et non ingrati animi Guigonis mentionem facit idem ad quemdam ejus in Cartusia successorem : « Non sic piæ memoriæ, inquit, Domnus Guigo scribebat, sed epistolari more, salutatione præmissa, affectum benigne cordis congruenter verbis subsequentibus indicabat. »

De ejus pariter affectu et grati animi significatione in Odonem S. Remigii abbatem inopine ad Cartusiam venientem, multa habent Monimenta Montis Dei et Legenda S. Godefridi episcopi Ambianensis : ubi habetur quomodo Beatus apud Guigonem plurimos dies egerit sanctissime, et quomodo quadam die ad eum veniens memoratus Prior, inter alia non sine gemitu mentionem faciebat Godefridi Episcopi, et quam religiose inter ipsos vixisset ; aiebatque se admiratum fuisse tantam ejus compunctionem, eo quod ab ejus oculis pene jugiter lachrymæ manarent. Respondebat ad hæc Odo, se reipsa hæc comperisse ; quippe qui summa ejus fruitus esset familiaritate, et defuncti corpus sepelisset atque ejus pectinem et cingulum pro sua in eum devotione et sui tuendi causa, semper apud se ab eo tempore gestasset. Quod ut audivit

Guigo, dici non potest, quanto affectu ea osculatus sit, Christum testificans revera felices eos esse, qui non modo cineribus ejus, sed vel fimbriis vestimenti potiri mererentur.

Porro ædificia superioris pariter et inferioris habitationis Cartusiæ pene omnia vel nova construxit vel vetera renovavit, et aquæductus lapideos labore mirabili et exquisitis ingeniis curavit fieri. Eloquentia mirabilis, nullo suo tempore secundus censebatur; licet enim litteris humanis pariter et divinis esset illustratus, Romana tamen in eo præcellebat facundia. Vitam S. Hugonis episcopi Gratianopolitani nitido a se stylo descriptam dedicavit Innocentio II, Pontifici Maximo; divina ejus præconia sic enarravit, ut decora in se transfuderit tam sincera quam studiosa imitatione. Consuetudines Cartusiæ Majoris nobili et præclaro stylo digestæ ab eodem fuerunt; juxta quarum pene inimitabilem rigorem et ipse totam vitam suam instituit et vixit. Supersunt alia ejus ingenii Monimenta, quæ alibi recensuimus.

Zelum ejus pro Domo Dei plures admirari possunt, pauci æmulari. Cum cognovisset B. Thomam de S. Victore, Parisiensem Priorem, passum pro justitia, statim juncto sibi S. Hugone scripsit ad Patres Jotri congregatos, « rogans et obsecrans, quatenus armatura fidei protecti et rectitudinis zelo succensi, et Sanctorum Moysis, Phinees et Matathiæ, BB. quoque Apostolorum Petri et Pauli adversus Simonem, Ananiam et Bar-Jesu pie desævientium, maximeque ipsius Domini venditores de Templo cædendo proturbantis exemplis animati, in sacrilegos homicidas ecclesiastici rigoris intrepide gladium producerent; eosque, si fieri posset, omnibus Sacrorum officiis privarent et Beneficiis, quatenus omnis Israel audiens timeret et nequaquam similia facere attentaret. » Magnum etiam schismaticorum se antagonistam in suis scriptis prodit.

De ejus fervore ignitoque eloquio satis sit recensere illa quæ habet Petrus Venerabilis in quadam epistola ad Basilium successorem : « Decreveram, inquit, renovare tecum antiquas illas et sanctas felicis memoriæ D. Guigonis prædecessoris tui mecum sæpe habitas collationes, quibus velut scintillis ab ejus ore prodeuntibus accendebar, et omnium pene humanarum rerum oblivisci cogebar. »

Tantarum vero illius virtutum corona fuit mirabilis illa et plus quam humana patientia, qua multis flagellis attritus, et diuturnis molestiis corporis excruciatus, et variis animi tribulationibus probatus, semper immobilis permansit adversus potestates et principes tenebrarum, qui circa finem vitæ illius, horrenda illa strage et morte monachorum inter nives sepultorum eum valde afflictarunt. Sed pius Dominus proximus iis semper qui tribulato sunt corde, eum et per se et per suos famulos consolatus est.

Inter quos extitit supramemoratus Abbas Cluniacensis, qui statim ei scripsit in hunc modum : « Beatissimis et singulariter honorandis ac nominandis Dominis ac Patribus Cartusiensibus, Domno Guigoni Priori et cæteris Fratribus, F. Petrus humilis Cluniacensis abbas : æternam a piissimo Salvatore Jesu Christo salutem et a consolatore Spiritu plenissimam recipere consolationem. Audita, dilectissimi, et vix credita Apostolici numeri et cœlestis collegii vestri tam subita et inopinata imminutione, fateor, quasi in extasi raptus diu stupui. Occurrebant mihi, et quasi violenter cordi meo se immergebant, hinc rei novitas, illinc abyssus consiliorum Dei ; hinc *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, illinc mortis ejusdem ex humano affectu dolor : qui, etsi Sanctorum funeribus non debetur, ex diligentium tamen cordibus ipsa vi dilectionis extorquetur...

« Hortor igitur et obsecro, ac mecum, quæ Cluniaci Domino Christo servit et vobis ex corde compatitur, tota Fraternitas deprecatur, ne casum hunc cordi apponatis, ne inde plus justo doleatis : ne justorum morte, qua magis gaudere debetis, vos ipsos multis aliis confectos laboribus afficiatis. Nam si res bene perpenditur, non est quod vobis dolorem importet ; sed est plane, quod ingentem vobis lætitiam subministret. Quis enim dolor illis debetur qui dolorem evaserunt ? quæ lachrymæ, qui lachrymarum omnem materiam exuerunt, qui ad vitam illam pervenerunt, de qua in Apocalypsi Joanni vox de cœlo ait : *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, et mors non erit ultra, neque luctus neque dolor?* Quid, inquam, illic dolendum est, qui quod diu desideraverunt, nunc tandem consequi meruerunt ? Quid sane illi viventes optabant, nisi quod Apostolus de se dicit : *Cupio dissolvi et esse cum Christo?...* etc. »

Demum cum vitam plane angelicam vixisset in terris, annum agens quinquagesimum tertium beatam animam efflavit, anno 1137, die 27 Julii.

Hujus meminere Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Chronicon ms. Majoris Cartusiæ, Dorlandi Cartusiense Chronicon, Historia ms. Ordinis Nicolai Molin et Clementis Bohic, Bibliotheca Cartusiana, Martyrolog. Gallicanum et alii plurimi Scriptores.

JACOBUS CROM

MONACHUS ULTRAJECTI

Cujus Elogium in Chronico Ultrajectinæ Cartusiæ describitur his verbis : « Anno 1436, die 27 Julii, D. Jacobus Crom, diaconus, professus hujus Domus, speculum et exemplar totius Domus, præsente Conventu et Litanias dicente, spiritum Deo reddidit. »

NICOLAUS FARALDUS
SIVE DE MURO
PRIOR PADULÆ

Professus Romæ et ibidem Prior, postea Padulæ, et Visitator Lombardiæ remotioris. Cui a pueritia pupillorum pauperumque Patroni nomen fuit. Cujus providentiæ, solertiæ, imo et sanctitati sunt adscribendi eventus quos Padulana Cartusia prosperos experta fuit sub ejus Prioratu, videlicet fecunditatem animalium, agrorum fertilitatem, rerum omnium abundantiam, cujus copiam copiosissime faciebat egenis et calamitosis. Unde dilectus Deo ac hominibus magna fuit in existimatione apud Magnates.

Carolus V, Imperator invictissimus, aliquando hanc invisens Cartusiam, Nicolaum tanquam Sanctum suspexit; angelicum enim quid in hujus Patris vultu elucebat. Unde præfatus Princeps immunitatibus a regni Neapolitani Regibus præfatæ Cartusiæ concessis adjecit alias. Ditata etiam fuit hæc Domus Abbatia Sancti Nicolai de Turone a D. Joanne Bracantio Abbate, qui habitum Religionis suscepit de manibus D. Nicolai Faraldi.

Cumque tam strenue pro Domo sua tamque feliciter laboraret, accepto consensu a S. Sede Apostolica, a Capitulo generali, et ab Archiepiscopo Tarentino pro nova Cartusia in ejus diœcesi ædificanda, bonis omnibus necessariis ad fundationem præparatis, a morte præventus, re infecta, Neapoli naturæ debitum persolvit.

Vir tantus suismet oculis viluit semper, et tantæ fuit mansuetudinis, ut nemo eum unquam viderit iratum. Sagacis ingenii et miræ prudentiæ, adeoque charitatis operibus et hospitalitati deditus, ut propter hoc meruerit unionem Abbatiæ Sanctæ Mariæ prope Posticium et grangiæ S. Basilii (quæ ditior est ac omnibus aliis opulentior) a Leone X Pontifice Romano obtinere : par erat enim favere Nicolao, cujus charitatis fama percrebuerat. Habuit etiam Abbatiam de Cadosso, et quam plurima bona temporalia recuperavit et auxit, quo pauperibus magis subveniret. Tandem meritis dives, rediens e Capitulo generali, decessit in Cartusia Neapolitana, anno 1544, 27 Julii.

Mss. Nicolai Riccii Cartusiani.

MATTHIAS MITTNER
VICARIUS MAURBACH

Professus Ratisbonæ, SS. Theologiæ Doctor, Vicarius Maurbach; qui, suprema detentus infirmitate, cum Ferdinando II Romanorum Imperatori Cartusiam adeunti pro more non occurreret, apud quem ob vitæ integritatem et doctrinæ excellentiam erat in pretio; monitus de viri periculo Cæsar vehementer indoluit, missoque aulico et

personæ medico, ab illo salutem dici, ab isto etiam adhibitis medicamentis conferri voluit, si res foret adhuc integra; sed morbi violentia neque medelam admisit, neque procrastinationem. Vix enim Cæsarea Majestas Cartusia decesserat, cum Matthias corporeis vinculis exsolutus, in Cœlos quoque, ut credere pie par est, evolavit, die 27 Julii, 1632.

Cum ad Cartusiam Seiz iturus navigio in flumine Mura uteretur Matthias, contigit viduam cum infantulo et cista eo navigio excludi, quod naulum non esset solvendo; misertus ille pecuniam quæ petebatur exsolvit. Cum deinde naufragium facerent, solus Matthias adminiculo cistæ illius emersit, utique cum cæteris alias periturus, præsenti virtute eleemosynæ magnifice delectatus.

Ex Chronico Cartusiæ Maurbach Leopoldi Brenner nunc Prioris Walditz.

BASILIUS DE LA VARDE

RECTOR CURERIÆ

Angiensis; professus Cartusiæ, die 4 Februarii, anno 1594; alias ejusdem Vicarius, Rector Cureriæ; R. P. Hieronymi Marchant cognatus et sedulus imitator; benignitatis ac humilitatis exemplar. Ad Christum abiit die 27 Julii, anno 1650.

Ex Schedis D. Hugonis Buat.

JOSEPHUS DE LA PEÑA

MONACHUS XERITII

Adolescens pietati simul et litterarum studiis operam navans, solemni ritu medicinæ Doctor inauguratur; quam cum aliquandiu Hispali exercuisset, se se apud Cartusianos Granatenses recepit, præ humilitate inter Conversos Fratres adscriptus. Per aliquot menses deputatus coquinæ ministerio, viliora lubens et alacer obivit munia, donec a Domino evocatus ad meliorem Mariæ partem, ingenti desiderio sui relicto, Granatenses dimittens, suscipitur ad monachi habitum in Domo Xeritii, anno 1648.

Virtutis omnigenæ sectator, studuit præsertim humilitati; qua, licet dotibus præclaris præditus, abhorruit a dignitatibus Ordinis, Beatissimam Virginem quotidie rogans, ut nunquam admoveretur præfecturis. Ad Christi Passionis meditationem non poterat continere lachrymas. Unde cum aliquando Diaconum agens, Passionemque Dominicam decantans, ad flagella et sputa pervenisset, præ compassionis sensu in fletus et gemitus erumpens ulterius progredi nequivit, adeo ut alter suppleverit ejus vices.

Divini amoris facibus exæstuans sæcularium conversationem declinabat, sola Dei delectatus præsentia; multum etiam addictus Deiparæ, cujus quotidie recitabat Rosarium. Deditus cœlestium contemplationi, extendebat tamen

se se ad proximum, omnia ei præstans officia charitatis; ad ipsum siquidem tanquam ad piissimum patrem vel ad Domini Angelum multi confugiebant, præsertim infirmi, quibus, obtenta Summi Pontificis licentia, non solum corporaliter subveniebat, sed et spiritualiter. Tandem morte sanctissima, quam præsagierat, decessit, anno 1660, die 27 Julii.

XXVIII DIE JULII

PETRUS DE VILLA MAYRA

PRIOR NEAPOLIS

Vir percelebris ob vitam exemplarem et regularis observantiæ zelum; qui laudabiliter præfuit Domibus Trisulti et Neapolis, ubi depositus est in cœmeterio cum hoc Epitaphio : Hic jacet F. Petrus de Villa Mayra Prior hujus Domus, qui obiit anno 1363.

Ejus obitus signatur in Charta anni 1364 ad diem 28 Julii, cum pleno Monachatu per totum Ordinem.

HENRICUS PLOVE

PRIOR DANTISCI

Alumnus hujus monasterii; ex regimine Domus Coronæ B. Mariæ translatus ad Prioratum Dantisci. Præfuit circiter 12 annis, defunctus anno 1444, die 28 Julii; cujus memoria in benedictione est ob insignem illius observantiæ regularis zelum.

Catalogus Priorum Dantisci.

CONSTANTINUS BRANDT

PRIOR COLONIÆ

Anno 1437, die 14 Junii, per solemne votum in hac Domo se divino famulatui mancipans, anno 1474 instituitur in Priorem. Verum post biennium a Capitulo generali ad suas instantissimas preces absolutus, residuum vitæ in silentio et solitudine, ac scriptione librorum aliisque operibus devotionis transigens, tandem annis gravis, laboribus fractus, cumulatus meritis, vitam cum morte commutat anno 1487, 28 Julii, annum agens 74. Vixerat pie religioseque in Ordine 50 annos.

Chronicon Cartusiæ Coloniensis.

BEATRIX DE LONGOPRATO

MONIALIS BRUGIS

Transegit in Ordine 72 annos; multum commendabilis ob mores religiosissimos, patientiam et humilitatem. Officium Sacristinæ, in quo stetit per

33 annos, se obire dicebat ex solo Christi amore, a quo interdum non sine ingenti consolatione visitabatur, quique revelavit eidem quod in die sanctæ Beatricis ad eum veniret. Quod et contigit, anno 1494, die supramemorato, videlicet 28 Julii. Post illius mortem tanta pulchritudine corpus ejus, præsertim vero manus, quibus res sacras contrectaverat, ita coruscabant, ut Sororum adstantium oculos perstringerent.

Ex Mss. hujus Cartusiæ.

JOANNA GRAND

MONIALIS GOSNAY

Non solum bonis, quæ a parentibus hæreditaverat, sed etiam præstantioribus suæ virtutis dotibus hoc monasterium amplificans, post exactos in Ordine 45 annos, ad Sponsum migravit anno 1529, die 28 Julii.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart.

THEOTONIUS A BRAGANTIA

ARCHIEPISCOPUS EBORENSIS
FUNDATOR SCALÆ CŒLI

Jacobi hujus nominis Quarti, ducis Bragantiæ filius. Petiturus Lutetiam Parisiorum studendi gratia, divertit ad Scalæ Dei Cartusianos; a quibus humanissime susceptus incredibilem animi sensit ex eorum conversatione voluptatem, sic ut jam ex eo tempore sibi proposuerit, reversurus in Lusitaniam, ibidem construere Ordinis monasterium. Degens Parisiis Cartusiam frequenter adibat, mire affectus erga monachos, quorum colloquiis ad meditatum opus aliquando in patria perficiendum excitabatur.

Lusitaniam repetens, prius invisit Cartusiam Majorem. A R. Patre Petro Sarde perhumaniter exceptus, ibidem per aliquot dies demoratus est; ratus se cum Angelis conversari, vix inde recedere poterat. Philtrum quippe ei erat et illex loci asperitas, incolarum simplicitas plane Christiana, castigatissimi mores ac vitæ illorum sanctimonia. Inde perrexit ad limina Apostolorum salutaturus Summum Pontificem, cui et animi sensum de Cartusianis aperuit. Extant litteræ ab eodem scriptæ ad Gregorium XIII, quibus luculentum perhibet testimonium quantum faciat Cartusianos.

In patriam redux, vir omni genere virtutum exornatus, ad Archiepiscopatum Eborensem assumitur. Memor suæ semper in Cartusianos benevolentiæ, juxta Eboram eis ædificat Domum, qui pro illius incrementis nullis parcens impensis, manu etiam propria mercedem distribuebat operariis. Se se erga Religiosos quos advocaverat tanquam proprium Priorem exhibens, erat

sollicitus de vestitu eorumdem ac victu, ipsemet omnes pitantias devotissime disponens, et infirmis subministrans necessaria. Singulos monachos sæpissime conveniebat, inter eos degens ac si unus eorum fuisset. Verrebat eorum cellulas, purgabat ecclesiæ lampades, conficiebat panes eucharisticos, sacras vestes curabat resarciri, viliora denique monasterii obire munia gestiebat, molestissime ferens, si quis eum ad hæc exercitia deprimi non sineret.

Pergebat aliquando pius Præsul ad Cartusiam. Pauperem quemdam ad portam civitatis, quæ Alagoa dicitur, jacentem reperit tantisque oppressum infirmitatibus, ut vix se movere posset. Tumque ex jumento Archiepiscopus exiliens, jussit domesticis, ut mendicum ei superimpositum in sui palatii xenodochium deducerent. Ipse vero pedibus Cartusiam petiit duabus leucis ab urbe distantem.

Altera quoque vice cum ad monasterium per eamdem portam rheda veheretur, vix ex civitate egressus vidit hominem, qui a regia via declinans ocyssime gradiebatur. Hunc advocans Theotonius magnæ cum humanitatis indiciis, excepit in currum; Cartusiamque ingressus, virum rogat seorsum quisnam esset et quæ causa gressus tam præcipitis. Ille Præsulis sermonum lenocinio captus, se laicum Fratrem esse cujusdam Ordinis indicat, qui pertæsus monasticæ Vitæ reliquerat cucullum. Mox Theotonius consolatoria verba subjungens ita effecit, ut eum ad habitum Religionis resumendum adduxerit; datisque litteris ad istius Ordinis Superiorem, commendavit profugum, qui ad monasterium revertens, ibidem sancte perseveràvit usque ad mortem.

Tandem anno 1602, dum Pontifex cum aliis Episcopis Vallissoletum petens obstiturus ne Judæi remissionem generalem obtinerent, morbo superveniente, vitæ cursum ibidem absolvit, die 28 Julii, relicta eximiæ sanctitatis opinione.

Monumenta Cartusiæ Scalæ Cœli. Joseph de Valles in Libro Hispanico fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

BARTHOLOMÆUS VINCENTIUS

MONACHUS LYRÆ

Decessit anno 1617, die 28 Julii; cujus Vitam descripsit quidam Cartusianus, quam hic subjicimus.

Libentissime, Venerabilis Pater, quod orando imperas (Prælatorum enim preces jure suo apud subditos mandati vim obtinent) exequor; et fasciculum tibi præclarissimarum virtutum piæ recordationis Fratris Bartholomæi Corselii, quas magna quidem, sed heu! nimium brevis, quæ mihi cum sancto juvene necessitudo intercessit, deprehendere dedit, quasi vivam defuncti filii imaginem offero : paternum ejus

desiderium utcunque soleris, magisque deinceps gaudeas quod talem habueris (filius namque sapiens lætificat patrem), quam doleas quod talem, non dicam amiseris, sed ad cœlum præmiseris; quam etiam, si ita judicaveris expedire, junioribus Fratribus meis, pro exemplari ante oculos ponas, ad cujus normam vitæ suæ lineam ducant.

Eo enim potissimum fine religiosa piorum gesta post mortem commemorare semper in Ecclesia Dei Sanctis solemne fuit, ut per honorificam heroicarum actionum recitationem humanus accendatur animus ad imitandum id quod admiratur et laudatur. Siquidem longum iter est præceptis mores informare, breve vero et efficax per exempla, pleniusque, ut asserit sanctus Leo Pontifex, bono opere docetur pietas quam erudito sermone.

Præsupposito itaque, ut est verissimum, nihil hominem æque ad perfectionis studium stimulare, quam præclara Sanctorum præcipue domesticorum facinora; non infimus profecto religiosæ disciplinæ magister reputandus est Bartholomæus noster, qui (quod summi Præceptoris proprium est elogium) faciendo nos docuit impietatem et sæcularia desideria funditus eradicare, Christo vivere, et ad beatam immortalitatis spem indefesso conatu anhelare. Qui, inquam, non composita ad ostentationem oratione, sed vitæ innocentia ac sanctitate veritatis, viam ostendit salutis semitam esse Crucis; adeoque (nullum nunc laudanti ab adulatione, neque laudato ab inani elatione periculum imminet) se in omni actione irreprehensibilem exhibuit, ut ne ipsa quidem, quamvis erepat invidia, ubi dentem figat, inveniet : nisi forte nimium sibi rigidus fuisse videri possit.

Nam licet alioquin obedientissimus, ne latum, quod aiunt, unguem a Superiorum monitis recederet, in nutriendo tamen corpore obediebat quidem, sed quodammodo invitus, et non sine inordinata quadam mentis amaritudine, eo quod ejusmodi necessitates, dum illis obtemperamus, aliquid delectationis sensualitati afferri animadverteret; ipse vero firmiter secum statuisset, nihil unquam voluptatis extra Deum admittere. Quod animi sui decretum quoties compellebatur infringere, tanto ex hoc afficiebatur mœrore, ut talis anxietas plus valetudini noceret, quam id ipsum, quod sanitatis conservandæ et recuperandæ gratia sumere cogebatur, prodesse poterat.

Et hæc, ni fallor, præcipua fuit præmaturi ejus funeris causa. Cum enim phtisica tabes plurimum ex vehementi affectione spiritus originem trahat, ipse autem nullam tristitiæ occasionem habuerit, præter suas, ut dicere solebat, in divino amore negligentias, sequitur nimiam erga Deum charitatem illi vitam ademisse; non quod amor Dei triste vel mortiferum aliquid in se contineat, sed quia ipse minus discrete dolebat, quod, quantum optaret (deprimente nimirum

terrena tabernaculi corporis hujus inhabitatione sensum multa cogitantem), se se obsequio Numinis impendere, Numinis amori vacare et Numini totus non poterat inhærere : nec induci ut crederet (sic namque in ultima sua ad Conventum epistola loquitur) meritorie aliquid consolationis extra Deum, propter Deum assumi.

Quamobrem cum non permitteretur ullam præter hebdomadalem Ordinis abstinentiam facere, consueverat cæteris diebus tam insulse refectionis suæ fercula miscere, ut fere molestius et magis insipidum esset illa sic comedere, quam obsonio carere. Similiter vigilare prohibitus, ita crebro jaculatoriis orationibus somnum, non oscitanter in lecto, etiam urente brumali gelu, nudis super pavimentum genibus, interrumpebat, quod non mediocriter tanta sollicitudine valetudinem offendisse ingens sit suspicio.

Plurima hujus generis nimis indiscrete afflictionis tormenta excogitabat quotidie : et si quam illi corporis castigationem Superior interdiceret, ejus fructus jacturam alio statim pietatis exercitio compensabat; neque aliud majorem ei dolorem afferebat, quam quod suo in talibus animo obsequi non liceret. Unde tandem contigit, dum assidua lucta nunc carnem macerando, nunc cruciando mentem, ipse se absque intermissione persequitur, fragile corpus indefesso spiritus fervori impar succumbere.

Sed quid ago? Itane quem commendandum susceperam reprehendo? Utique veritati perhibeo testimonium, nec metuo ne Bartholomæum offendam, tametsi ita scribentem forsitan videt: ut qui propria ante mortem manu cavit, ne quis suo erraret exemplo. Laudo igitur ipsum; in hoc autem in quo nec ipse se laudat, non laudo. Quinimo, ut de suo olim Humberto D. Bernardus, sic ego de meo loquor Bartholomæo : si quid mali passus est, si quid triste sensit, existimo quoniam propter hoc sensit, quod minus nobis de necessitate corporis sui consensit. Non enim latet Ven. Paternitatem tuam quoties super his auctoritate imperii vestri verbis meis pondus addere coactus fui, antequam bene consulenti acquiesceret. Commemorabat nempe plerisque omnibus quorum sanctitatem mirata sit antiquitas, deinde primis quoque Religionis nostræ Patribus auctoritatem vitæ summopere in pretio, et continuo in more positam fuisse.

Sed ut appareat, quanto acceptior sit Deo hominis obedientia, quam quælibet alia voluntariæ oblationis victima, observavi defunctum nostrum, paucis illis diebus, quibus in extrema sua infirmitate non nisi coactus sanitatis curandæ præcepto obtemperabat, gravissimis (ita permittente Deo, quo ejus nos periculo redderet cautiores) pulsatum tentationibus non prius amissam recuperasse tranquillitatem, quam penitus Superiorum obediret consiliis, suamque illis

sententiam submitteret. Quo facto, tantam repente animi pacem recepit, ut reliquo, quod supervixit, tempore, non jam amplius mortalitatis hujus turbulento jactari videretur pelago, sed in tutissimo internæ quietis portu anchoram fixisse.

Verissimum itaque illud Cassiani est, Sanctorum quædam miranda esse facta, quædam imitanda; in quibus discernendis erraveritne Bartholomæus noster, nec ne, nihil temere affirmo, Deus scit. Felix nihilominus iste cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri præsumere solent ad gloriam. Confido autem, quamvis in hoc aliquantulum forte per ignorantiam excessit, divini amoris flammas, quæ tantum in ejus pectore incendium excitaverant, omnem inde contractum fumum dissipasse, animamque ejus in holocaustum suavissimi odoris Domino præparasse.

Quid enim aliud nos vel leviter suspicari sancta, quam in ipso vidimus, conversatio patitur? Nam licet ita semper et ubique super cordis, oris cunctorumque sensuum ac membrorum suorum custodiam invigilaret, ut non putem quod quamdiu Religioni vacavit, Deum in aliquo lethaliter offenderit; ita tamen diligens erat in excutiendis animi sui motibus, tamque in suarum inclinationum et desideriorum fonte ac capite investigando sedulus et assiduus, ut, o utinam plerique de rebus perperam gestis dolerent ac ipse de dubiis cogitationibus sollicitus erat! quas quam amaris abjecti pœnitentisque animi lachrymis ad sacerdotis pedes ablueret, oculatus ipse et auricularis testis es. Cum tamen si quam sustineret culpam, ea non esset facti, sed præteriti dumtaxat, ut ipse sentiebat, officii. Defectus suos defendere, palliare, aut excusationem in peccatis quærere auditus est nunquam.

Post vitia optimi juvenis virtutes relaturus, obruor numero, nec universis enarrandis temporis brevitas et ingenii mei tenuitas sufficiunt. Conabor tamen, ut quemadmodum in parva aliquando tabella varii terrarum situs depinguntur, ita in exigua charta cernas adumbrata, non expressa, signa sanctitatis ejus : neglecto interim curioso styli ornatu, cum, sancto Bonaventura auctore, legentis ut plurimum devotio plus simplici sermone quam phalerato proficiat, et vera virtus propriis fulgens honoribus, rhetorico nequaquam fuco indigeat. Illam ergo beatam Bartholomæi dedicaturus memoriam, Sanctum Spiritum invoco, qui parvulis gratiam et humilibus suam communicat gloriam.

Talis vere, ut domum a fundamentis ordiar, fuit Bartholomæus, vita candidus, sermone contemptibilis, moribus abjectus, actione simplex, in cujus animo tam profundas contemptus sui radices egerat, ut studeret cum in suis, tum in aliorum oculis, quotidie magis magisque vilescere, malebatque de se audire vituperium quam laudem. Cujus

evidens indicium est, quod quamvis olim, ut ipse narrabat, inter pueros puer iracundior fuisset et contentiosus, nemo tamen hic ipsum alicui iratum, nemo unquam viderit commotum : ita omnes animi perturbationes continue coercendo subjecerat. Mansuetudo autem et humilitas invicem cognata sunt. Unde et Salvator in sua doctrina duo hæc conjungit, cum ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Qui enim perfecte humilis est, nullis irritatur injuriis. At superbia e contra iram parit. Dum elationis vento turgida mens humanis inhiat favoribus, inani frustrata spe, indignatur et exardet in vindictam. Aliter Bartholomæus, qui non modo imprudentium contemnebat convicia, et cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur; sed quod prorsus religiosum est, gaudebat saturari opprobriis.

Nec defuit seges in qua patientia suæ falcem exerceret. Nam cum frequenter insolentissime exprobrari sibi hypocrisim audiret et insipientiam, nec dissimularent aliqui infirmanti ad mortem objicere, quod ipse se peremerat : quid ad hæc noster? Ut in via si quis improvide præteriens luto te aspergat, non in illum regeras, sed potius te purges : ita Bartholomæus, quasi mutus et non habens in ore suo redargutiones, æquo animo et placido vultu contumelias perferebat, et pro omni ultione, toto corde Dominum, ne illis hoc statueret in peccatum, deprecabatur : se ipsum vero quantum poterat corrigebat, ne cui scandalum daret.

Supervenerat casu ubi, suo periculo, junioribus, necessaria vitæ spiritualis tyroni, pœnitentiæ austeritas dissuadebatur; quo vix scio an gravius aliquid ipsi contingere potuisset. Erubuit ergo nec tamen excanduit. Quantum autem talis illi calumnia (quamvis se inter patientiæ limites moderate contineret) afflictionis attulerit, testatur ipse cum extremum nos scripto alloquens, non minorem sibi sollicitudinem incutere dicit, metum, ne quis sua territus ægritudine tepidior fiat in Dei amore, quam ipsam quæ pro foribus pulsabat, mortem. Ad omnia enim alia patientissimus, animarum discrimen ferebat ægerrime. Et quia submisse de se ipso sentiens non præsumebat verbo errantes corripere, erudiebat nos exemplo, aliosque, qui ad hoc aptiores videbantur, orabat instanter, ut etiam sermone Fratres ad perfectionem traherent.

Quo autem plenius zelus, quem habebat salutis proximorum, innotescat, operæ pretium me facturum duxi, integram illam epistolam, cujus jam initium citavi, ad calcem hujus transcribere : præfatus, quo efficacius legentem moveat, multorum illam dierum studio, propter memoriæ debilitatem, dictatam et summo cum labore, ob nimiam corporis extenuationem, tremula manu morientis exaratam. Quamvis autem abjectissime in ea de se loquatur, vix tamen contineri potuit,

quin scriptam confringeret, ne qua inde vel mortuum laudandi occasio sumi posset : adeo transitoriæ gloriæ præconium abhorrebat.

Serviebat aliis libentissime, tam publice in choro, quam privatim in cellis, omnibus supra modum obsequiosus ; serviri vero sibi ab altero molestissime sustinebat, nec permittebat sine extrema necessitate. In ejus, quod dico, specimen. Languebat circa finem vitæ, exhaustis penitus viribus. Unde cum resisterem ne, quod non poterat, aquam amplius usui suo hauriret, ipse autem invitissime, quod ego in hoc illi ministrarem, pateretur, et pii nescio quid interim simul legeremus; simulans se ad naturæ necessitates secedere debere, properat fraudulenter ad puteum. Cumque diutius tardaret, et sinistri aliquid timerem, inveni revertentem et titubante gressu sub onere, non sine tam poculi quam suæ vitæ discrimine, nisi accurrissem, deficientem. Vix enim longo temporis intervallo spiritum recepit. Reor quod ne ex animo quidem corpori justa persolvi consensisset, si licuisset impedire : ita se omni obsequio reputabat indignum.

Demissi animi germana soror et comes individuus paupertatis amor est : agri Evangelici thesaurus absconditus, pro quo emendo vendidit et projecit universa quæ habuit Bartholomæus, securus de Veritatis oraculo pauperes spiritu beatos asserentis. Divitiæ erant nihil omnino ex substantia hujus mundi possidere, nihil desiderare, atque ab omni re caduca penitus distractum esse. Paupertatem diligebat non opulentam, sed inopem ; nunquam Superioribus pro aliqua re impetranda molestus, de necessariis, quantum potuit, parcius admittebat ; et minus accepisset, nisi coegisset obedientia. In maximi beneficii et meriti numero ponebat, quoties in partitione rerum, quæ singulis utendæ tribuuntur, deterrimæ sibi obvenirent.

Vix lachrymas teneo, dum quam amare flebat recordor, si quando propter necessitatem, per obedientiam, non dico cultius, sed commodius aliquid, quoad vestes, vel lautius quoad refectionem, assumere compellebatur. Quam parum ad ea, quæ ipsi in usum cedebant, cor apponeret, non aliter evidentius probavero, quam revocando in memoriam, quod vix cella sit in toto ambitu, quam brevi illo spatio, quo nobis convixit, non inhabitaverit; cum tamen propria sponte, vel ad suam instantiam nunquam migraverit ad aliam, sed pro Superiorum beneplacito, licet invitus, sine ulla contradictione suam semper alteri concesserit : mansionem utique sibi non in terris parans, sed in cœlo. Prolixitas morbi eo illi potissimum nomine molesta videbatur, quod medicinæ exulare nequiret.

Vestes suas tanquam res sacras, quantum poterat, a corruptione præservabat. Pauperibus subtractum arbitratus quidquid sibi ministrabatur, quorum cum

ipse se primum reputaret, ita attrito sæpius calceamento utebatur, ut non semel per hoc subversus communem omnium matrem terram, non sine cutis suæ dispendio exosculatus sit. Eodem quo obiit die, cum culinæ præpositus accessisset, sciscitaturus quid vellet sibi ad refectionem præparari, respondit : pisces recentes charos, et divitum non pauperum fercula esse; se vero modicum esurire, ac proinde orare ut præteriti diei reliquias sibi in crastinum reponant, ne quid, si novi sui causa quotidie sumptus fierent, propterea summæ erogandarum eleemosynarum detrahi contingeret. O effusam et eloquentiore præconio dignissimam in pauperes pietatem !

Sed nequaquam, objiciet aliquis, sæculo perfecte renunciavit, qui propter sensus loculos intra cordis arcana reservat. At negari non potest Bartholomæum voluntati Superiorum aliquantulum restitisse, cum eorum jussu a suis pietatis exercitiis distrahebatur; non recte igitur commendatur de plena spiritus paupertate. Hujus ipsum erroris jam ante accusavi, nec nunc excuso. Interrogatus tamen cur, qui cætera tam obsequens esset, Prælati Patrumque pietatis auctoritatisque spectatæ, qui toties eum, ut tantam in se ipsum severitatem mentisque in rebus divinis meditandis contentionem missam aliquando faceret, erant hortati, consilia parvi duceret ; respondebat suæ se conscientiæ testimonio deprehendere talia consilia ex supervacua charitate et nimia in ipsum misericordia procedere : cum ea quæ sibi suadeant, ipsi caveant, eorumque proinde facta potius quam verba sequenda. Sed non animadvertebat divisiones esse gratiarum, nec omnes omnia posse, nec omnibus omnia convenire.

Causabatur insuper, quod nullam in oratione sine pœnitentiæ exercitiis ad Deum fiduciam haberet, eo quod cor proprium ipsum reprehenderet. Addebatque et aliam facti sui rationem : se videlicet quarumdam interdum rerum potestatem flagitare, licet quasi præsciret eas sibi minime concessum iri, ut si non opus pium, saltem desiderium Deo consecraret. Sed an licite propterea Superioribus suis importunus fuerit, aliorum esto judicium.

Ego pro ejus defensione hoc solum adduco, talia ipsum tunc fere tantum petiisse, quando febris cerebrum infestabat, ita ut passio magis quam actio fuisse dici possit. Siquidem postquam ad se reversus intelligebat quid egerat, confestim in genua provolvi, emendationem spondere, et tantis lachrymis veniam solebat deprecari : quod illos quoque, quos offendisse alioquin videri poterat, ad collachrymandum quamvis reluctantes compelleret. Cæterum relaxatione (de qua hactenus) dempta, compertum habeo Bartholomæum in nullo unquam a majorum voluntate discrepasse, nec eorum imperium minuisse, vel dicto vel facto, imo nutu

(pene dixeram et animi motu), ad id vel leviter incubuisse. Adeo ut valde sollicite attendendum foret, his, quibus parebat, ad singula quæ dicerent; cum non jussa modo, verum et mentem eorum sagaciter observaret, nullaque terreretur difficultate, quin statim, quidquid ipsis placere cognovisset, exequi conaretur.

Unus eorum, ipso audiente, narraverat pituitæ excreationem, in multis, haud raro consuetudinis magis, quam necessitatis esse; et primos olim eremi incolas tantam adhibuisse divino Officio reverentiam, ut nemo in oratorio tussire, nemo salivam ejicere præsumeret, nulliusque ibi vox, canentium excepta, nullus strepitus audiretur. Id Bartholomæus quasi sibi dictum interpretatus (dum ad sanctitatem aspirantem Sanctos debere imitari existimat), quamvis tunc deflexu catharri opprimeretur; ita tamen pertinaciter per integram noctem se ab excreatione continuit, quod erumpente sudore totus nauseabundus, valetudinem in summum discrimen traheret; nec destitisset, nisi, periculo detecto, acriter ab eo in cujus potestate erat reprehensus, cautior evasisset.

Magna sanctæ obedientiæ pars est sedula Statutorum, quibus Religionis disciplina vincitur, observantia. Imperant autem, præter essentialia monastici Instituti vota, Cartusiæ leges solitudinis imprimis ac silentii custodiam, et peculiares, ut cætera prætercam, in divino Officio Ordinis ceremonias. Examinemus breviter quomodo Bartholomæus impleverit singula.

Cellæ profecto clausuram ita districte servabat, ut ne cum licentia quidem in tota vita sua aliquem nisi inclusus visitaverit. Et tunc quam poterat brevissime absolvebat. Adeo ut, cum in extrema necessitate omnium judicio indigeret animi remissione, et propterea ipsum ad aliorum cellas nonnunquam mitterem nescio quid (ne ullam posset prætendere excusationem) petiturum aut delaturum, præmonitique essent quo ibat, ut familiarius secum agerent, et de rebus jucundis hilariter colloquia miscerent, hora plerunque prandii injuncta exequeretur, ne diutius posset detineri.

Cum aliquot ante obitum ejus mensibus Ven. Paternitatem tuam rogassem, ut cum bona sua gratia mihi liceret illi dimidium cellæ nostræ cedere, ejusque gravius quam apparebat ægrotantis curam suscipere, donec convalesceret, meumque ipsi super hoc consilium communicassem, ejusque sententiam requirerem, « Gaudeo, inquit, quod vel ex humano pudore, tuam, Pater, erubescens præsentiam, diligentius Deo serviam, quam facio; sed doleo nihilominus de quietis solitudinis interruptione. » Quis ista audiens miretur, quod Bartholomæus noster vere solitarius se levavit supra se, et dum se ab omni elongat hominum consortio, Angelorum dignatur societate, et suavissima cœlestis Sponsi familiaritate?

Silentium regulare non puto quod

unquam infregerit, tametsi frequenter de hoc se ipsum in Capitulo humillime argueret. Pro majori nimirum cautela, postquam consecratus Diaconus, jussus fuerat paucis potius verbis in choro necessaria exprimere, quam ridiculis signis et nutibus aliorum devotionem interpellare.

Ceremonias tanta cura cum publice tum privatim punctualiter observabat, ut ne moriens quidem adduci potuerit, ut aliquid ab earum rigore remitteret. Quis nostrum non erubuit sano corpore molliter in ecclesia sedilibus appendere, tarde et male inclinare, caput indebito tempore caloris causa nudare, vel frigoris operire, similesque ineptias committere, quamdiu ob oculos versabatur Bartholomæus, non ægro tantum sed fere sine corpore stans semper rectus et ita sedilibus parum innixus, ut singularitatem quidem vitaret, sustentaculi vero nihil inde perciperet? Inclinabat se, cum ratio hoc divini Officii exigebat, non minus reverenter quam laboriose, quod in genuflexionibus manifeste patuit; a quibus dum *venias* sumeret, quas tamen tam devotionis quam obligationis nunquam obliviscebatur, vix manuum cubitorumque adminiculo, resurgere poterat. Quis illum vidit extra tempus sedentem? Quis ad sedem caput quamvis languidum reclinantem? Quis moribus incompositum? Quis aliquid eorum, quæ ad muneris sui decentiam pertinerent, voluntarie prætermittentem? Quis strepitum facientem?

Tertium inter Religionis vota est castitatis integritas. Ipse virginitatem tum animi tum corporis illibatam ad manes usque tanta custodivit sollicitudine, ut multis annis nec aspicere nec tangere se nudum sustinuerit. Obviam in magno Spatiamento feminam, cum propius ipsum allocutura accederet, ac si vidisset infernalem hostem, Crucis signo confudit ac fugavit : pepegerat enim tanquam alter Job fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine. Qua cura, cooperante assidua corporis maceratione, ita per Dei gratiam, pro quo frustra ter olim Apostolus oraverat, adversus impudentissimam carnis infestationem prævaluit, ut postremo mortalitatis suæ biennio (mirum dico et tamen verum) ne cupiditate quidem ulla aut inclinatione, ne ea quidem quæ primoribus animi motibus fit, aliquid minus quam honestum conciperet. Unde cum quadam sub finem vitæ nocte de puella consanguinea simpliciter in somno recordatus fuisset, tam præter morem hoc ipsi accidit, ut vix sequenti die comedere, vix iterum se ad dormiendum vellet componere, metuens ne tali denuo phantasmate tentaretur : ut data Sponso Christo vel modicum nova aliqua illusione in discrimen veniret fides.

Nescio an non minus, de quo agimus, castitatis amor præmaturi ejus funeris causa fuerit. Rem, ut gesta est, refero; alius sententiam proferat. Audiverat *antam* herbam esse castam et effica-

cissimum adversus nocturna ludibria amuletum; quamobrem tantam quotidie ejus quantitatem devorabat, non folia tantum quibus libenter vescebatur, sed ipsos quoque stipites, ne palatui sapidum aliquid indulgeret, deglutiendo, quod, priusquam adresciscere et prohibere possem, febrim contraxerit ardentissimam, quæ ipsum ante annum pene interemerat, et nunquam ex tota curata in hecticam, cui succubuit tandem, transiit.

Contigit eodem tempore, ut, nauseabundum non valens exonerare stomachum, dum pluma vomitum provocat, nec res ex voto succedit, integram et longiusculam quidem anseris pennam ori tam profunde paulatim ingereret, quod ejus extremitates perderet, nec, quidquid conaretur, digitis ultra posset attingere. Suffocabatur miser, nec quid ageret, aut quo se verteret, occurrebat. Undique desperatio, et tristissima mortis, quam (quod maxime angebat) ipse sibi asciverat, aderat imago. Humanum omne, erat quippe solus in cella, deerat auxilium, nec quamvis adesset, profuisset.

Superne itaque (quod unum poterat) elevat mentem; et quia occluso oris meatu, lingua non valebat, corde Deum invocat. Nec vane; Dominus enim, qui semper prope est iis qui tribulato sunt corde, nec confidentes in se deserit, exaudivit illum de cœlo sancto suo; et ecce dicto citius, ascendit sursum et revertitur ad gutturis fauces, unde exciderat, calamus. Ut sensit, vix præ insperato gaudio, quod fiebat, credidit, donec eam penitus sine ulla sui offensione extraxit. Unde non solum tunc, sed et per totam deinceps vitam, Numini pro tanto beneficio gratias agere nunquam destitit. Augebat autem miraculum, quod calamus per quem periclitabatur, licet ex parte plumæ integram haberet caudam, ejus nihilominus penna scripturæ aptata suis aculeis vulnera minaretur, et humanitus absque gutturis læsione educi nequiret. Sed quæ apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum. Ipsi laus et gloria.

Sed persequamur, ex quo jam de ore sermo incidit, quam circumcisa fuerint labia et lingua Bartholomæi nostri. Certe si colloquium invito esset cum hominibus, quibus minus saperet Christus, verba illis tacitus relinquebat; malebatque, præsertim quando profanus, deque re inutili, ut sæpe fit, sermo erat, rudis videri et hebes, quam sciolus, et temporis, quod ipse interim pia meditatione redimebat, jacturam facere. Nec ignorantiæ (utpote qui in humanioribus, poetico, historico et philosophico studio et Theologia non modicos progressus fecerat), sed erat humilitatis et sanctitatis perpetuum ejus silentium. Ponebat nimirum cum regio Vate custodiam ori suo, ut non delinqueret in lingua sua : optime conscius, quoniam *si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio. De omni enim verbo otioso quod*

locuti fuerint homines reddituri sunt rationem in die judicii.

Unde vix scio an sit, qui ipsum inane quippiam proferentem audiverit. Nam vel tacebat, vel divinas resonabat laudes; et omne perire momentum existimabat, quod non aut Deo aut rebus ad Deum pertinentibus faciendis vel dicendis impenderetur. Cum Deo itaque vel de Deo illi sermo erat. Murmurationis susurria, sonum detractionis, ingratitudinis strepitum, vocem invidiæ, scurrilia verba, sermonem jactantiæ et cætera id genus, ne audire quidem, nedum sustinebat dicere.

Nec tamen aliquem propterea judicabat; sed cuncta quæ aliquomodo licebant, in bonum interpretabatur. Si vero ea quæ fiebant aut dicebantur manifeste et sine ulla excusatione mala erant, tum ipse proximorum peccata tanquam sua deflere, et ipsis ea animo condolere, ac Deum pro venia deprecari ita solebat ferventer, ut sic affectum ex colloquio recedentem cum consolari aliquando vellem, collachrymari magis coactus sim. Rerum namque sæcularium incuriosus, solum Dei honorem et animarum salutem ardentissime concupiscebat, et pro suo modulo curabat.

Veri sincerique amantissimus ita prorsus ab omni amphibolia et simulationis aberat fuco, ut nemo de eo, quod ipse affirmaret aut negaret, posset dubitare.

Et hæc quoad illa quæ de ore procedunt. Non minori autem vigilantia ea quoque, quæ per os intrant, considerabat. Unde aliorum recreationes, quando videlicet lautius quippiam ad refectionem ministratur, ejus fere cruciamenta erant. Tanto enim male habendi corporis æstuabat desiderio, ut pinguia fercula et dulcia pocula nefas duceret prius contingere, quam salsis illa lachrymis (quas frequens propriæ indignitatis meditatio copiose suppeditaverat) maceraret. Nec tantum lachrymas et cinerem tanquam panem manducabat, et potum suum cum fletu miscebat; sed omnes quoque sensus et artus domitrice passionum, cupiditatumque frænatrice (quam mortificationem appellamus) virtute severissime coarctabat.

Pulchrum aliquid vel curiosum aspicere ubique cavebat, ne exterioris ornatus admiratio, interiores oculos a summi Boni contemplatione vel per momentum distraheret. Sic nova in choro sedilia primis aliquot mensibus non viderat. Sic quamvis summe desideraret faciem propriam in speculo intueri, eo quod de sua quotidie macilentia disputaretur, frequensque rasura commodam adimplendi voti occasionem præbendo tentationem augeret, nunquam tamen suo hac in re animo obsequi voluit. Flores vel rem aliam odoriferam naribus admovere, annis continuis scrupulose abstinebat.

Stando, sedendo, novos semper semetipsum affligendi modos inveniebat; idque plerumque horum faciebat, quod illi tunc molestius erat, nec in aliquo

vel tantillum quietis admittebat. Licet propter nimiam maciem, quæ vix ossibus tegendis pellem reliquam fecerat, amplius nequiret sine notabili partium illarum læsione sedere; pulvinari tamen, cujus in cella copiam habebat, tamdiu renuit uti, donec obedientiæ præcepto cogeretur. Omitto mille genuflexiones, terræ deosculationes et prolixas brachiorum in formam crucis extensiones, cæteraque talia pœnitentiæ exercitia etiam sanis difficilia, ipsi ad mortem infirmanti non modo familiarissima, verum etiam jucundissima.

Erat nimirum Bartholomæo in deliciis Ille, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum; quem quoties recordabatur sui amore cunctis sponte delectabilibus caruisse, summisque pœnis affectum et cruciatibus, totus inflammabatur, ut aliquam saltem tantæ dilectioni vicem rependeret : sicque ne cogitationibus quidem suis vel modicum a Deo evagari impune permittebat. Qua phantasmatum assidua compressione, tantam interius pacem assecutus erat, ut per integros et quidem continuos dies nihil præter Deum Sponsum, et perennes Cœlestis Agni nuptias animo volveret, et in perpetua quodam modo mentalis orationis quietudine, in mundo animæ suæ fundo, cum Deo versaretur, gustando et videndo quoniam suavis est Dominus, ac confitendo quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Adeo introversus et spiritalibus oculis in superna totis viribus erectus, ut dum mente cœlos penetrabat, minus ad ea attenderet, quæ in terris agebat. Unde præter rem interdum respondere auditus, et ad obvios in via lapides offendere ac contra parietes incautus ruere non semel visus est.

Lachrymarum hæc inter profusissima abundabat gratia, et rara transibat dies, quin præ gaudio divinæ visitationis, præ tædio prolongationis incolatus sui (optabat etenim quam citissime, quod etiam obtinuit, dissolvi et esse cum Christo) et pro peccatis quoque suis ac proximorum ubertim fleret.

Hac autem lachrymandi facilitate quomodo aliquandiu privatus fuerit, nequeo quin ad tyronum instructionem hic inseram : feliciter enim alieno discitur periculo. Quadam die aridior solito in oratione Bartholomæus, cœpit velut alter Jacob cum Deo luctari, tacite præfatus se Dominum non dimissurum sine benedictione, nec ab orationis loco recessurum, nisi prius sugeret mel de petra et oleum de saxo durissimo. Venerat, imo transierat hora prandii, et puteus æque permanebat profundus. Impletum diceres, *Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus.*

Perstabat nihilominus ille, at frustra, donec dato ad Spatiamentum signo evocatur. Tum demum ipsa obtinendi lachrymas desperatio paucas expressit guttulas; quibus mirifice delectatus, ut primum convenimus, narrat pugnam, canit victoriam. De qua increpatus, eo quod superbiæ aliquid habuisse vide-

batur *(non enim est iste sermo, dicebat sacerdotibus Bethuliæ virilis animi sancta vidua Judith, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet et furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationibus Domini et in arbitrium vestrum diem constituistis ei)*, doluit non mediocriter de sua præsumptione. Cumque addidissem timendum esse, ne devotionis propterea penuriam incurreret, placuit Deo, ut longo deinceps tempore aridissimus maneret, et vix multis precibus recuperaret flendi copiam. Scriptum est enim : *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Sed revertamur unde digressi sumus, et prosequamur Bartholomæi ad orationes attentionem, quæ tanta fuit, quod ne pias quidem sub divino Officio evagationes sine severa ultione subrepere permitteret. Qua diligentia id assecutus est, ut rarissime morientes muscæ unguenti devotionis suæ suavitatem perderent.

Cum semper inter divina, tum maxime sub tremendo Missæ Sacrificio omnimodam tam corporis quam cordis reverentiam adhibebat; serviebat in sua vice sacrificanti, qua poterat observantia, nihilque officii prætermittens ; inhiabat cœlestis Mensæ micis tanquam famelicus catulus refici. Incredibile enim dictu est, quanto erga augustissimum Altaris Sacramentum afficiebatur desiderio; quo quidem Angelorum Pane non aliter capiebatur quam cupediis gulosus quispiam. Nec aliam allegabat rationem, cur supra vires quotidie ex lecto surgeret et frequentaret ecclesiam, quam quod vel non liceret decumbenti ita frequenter (solebat enim alternis fere diebus Sacris participare) vivificam Communionem percipere, vel si hoc permitteretur, indecens tamen fore Dominum dominorum ad servum venire inutilem. A Communione plerumque humi prostratus, lachrymis præ spirituali lætitia copiose manantibus pavimentum rigabat.

Interdum tamen deprehensus est multo tempore immotus, et clausis corporeis oculis leniter, quasi alicui cæteris invisibili arrideret, subridere. Sunt etiam qui se terris inusitatam fragrantiam circa ipsum sacris vasis abstergendis et involvendis, in quo assiduus erat et officiosissimus, occupatum, præsensisse affirment. Mei autem instituti est non tam mirabilia (quod alias forsitan Deo favente licebit) quam imitabilia Bartholomæi colligere. Inter quæ non infimum tenet locum, invicta ejus in tot infirmitatibus, quibus quasi aurum in fornace probatus est et purgatus, patientia, quam quidem divino hoc Viatico, in cujus fortitudine ambulavit usque ad montem Dei, præcipue acceptam habuit.

Vere Bartholomæus noster quo infirmior, eo fortior apparuit, verumque ostendit quod virtus in infirmitate perficitur. Laborabat febre hectica confirmata, quæ (quod in exhausto corpore et tam prolixa ægritudine mirum videbatur) tam intolerabiles singulis nocti-

bus accessus patiebatur, ut præ frigore infirmus totus contremisceret, moxque calidissimo sudore penitus dissolveretur et liquesceret. Accedebat phtisis cum ulcere in pulmone e regione cordis; ejusque comites tardus et debilis anhelitus, angusta respirationis, excreandi difficultas, sputa sanguinolenta et multiplex sordium squalor; spasmus quoque et quotidiana in cruribus hydropico humore turgidis nervorum contractio ; atque in talo sinistri pedis vulnus annosum et insanabile, ac sanie horrendum ; complura insuper vulnera in humeris et tergo.

Quæ omnia sic sustinebat, ut ne semel quidem conqueri auditus sit, nec ea nisi interrogatus revelabat. Quinimo, si sic ad Numinis gloriam expediret, majores et diuturniores sibimet dolores imprecabatur. Quam orationem sæpissime iterabat, et sequentibus fere verbis claudebat : « Domine, sive me languere diutius et gravius, sive ad te citius evocare volueris, nihil deprecor, fiat voluntas tua; amorem tantum tuum ne negaveris puero tuo. » Alterum Job credidisses, cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul et vigor mentis. Quamvis enim ad hoc paulatim per varias et diuturnas ac continuas ægritudines deductus esset, ut consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret, proponebat nihilo secius Christo auspice se facturum ingentia : et fatiscentibus membris spiritu robustus et fervidus antiquum eremi rigorem animo parturiebat.

Neque enim torpor et desidia locum habent, ubi amoris stimulus et fortis ut mors dilectio semper ad majora perurget. Ibat, verius dico, repebat hoc telo saucius Bartholomæus per singulos dies ad ecclesiam, nec poterat contineri, quin plusquam posset conaretur. Quam composite in choro se emortuo gesserit corpore, quam fortiter ad extremum usque spiritum, cygnea, ut sic loquar, voce cantaverit, omnes vidimus, omnes cum stupore audivimus. Nihil unquam ex oneribus Ordinis sponte deposuit, sed ad singula novo obedientiæ præcepto opus erat. Nocturnas vigilias intermisit invitus, et ut recuperare liceret, instabat quotidie ad importunitatem usque.

Luce, quæ ultimam quam ipse in terris vidit, præcessit, cum audisset votivam de Angelis Missam in Conventu celebrari (erat autem illa prima a qua aberat), quamvis casso labore paulo ante conatus fuisset surgere, et ego illum brevi cum Angelis in Cœlo cantaturum inferrem; persuaderi tamen non potuit, quin adhuc nobiscum illud hic extremum faceret, nec prius destitit se elevare quam, non valentem incedere deducendo, ad templum deportarem. Cui cum appropinquaret, supra vires alacer evasit, et licet debilissimus esset, spiritus tamen promptus suffecit languidis artubus insperatum robur ; ita quod non summum modo dicamne audisse an cantasse Sacrum contentus, privatis etiam Missis interfuerit. Et cum ille qui

mihi ministrabat, casu recessisset, ipse accurreret ad complicandum Sacerdotales vestes, nec repulsam in hoc passus æquanimiter ferret. Quid ergo mirum, si Angelicis præditus moribus, Angelico immoriens officio, Angelorum præcociter consortio associatus est Bartholomæus?

Paucis ante obitum diebus, cum vellet cilicium novum ac proinde mordacius, munditiei prætextu, induere, incessit me cupido cognoscendi, an, ut simulabat, tali vestium rigore sine læsione uteretur; contrarium enim suspicari extrema macies cogebat. Quid multis? invitus detexit humeros gemino vulnere saucios; et plusquam invitus, nec sine lachrymis cilicium jussus deposuit, neque intermisit, quoad supervixit, urgere ut illud sibi restituerem.

Eodem quo immortalis factus est die, incidit necessitas ob quam debuit lumbare ejus (quod ad carnem ex cruda gestamus canabe) solvi. Agebat tunc Bartholomæus animam, et ægre fatigatum trahebat spiritum; nec tamen prius, ut se ad quietem componeret, induci potuit, quam illud religatum sensit. Non aurum avarus, non titulos ambitiosus, non delicias mœstus amittit voluptuosus, quam aliquid a severitate semetipsum propter Deum affligendi Bartholomæus remittebat.

Ipsa funeris hora, cum aliquid sacchari morientis ori ingererem, « Parce, inquit, parce, Pater, et sine me hac adhuc consolatione amore Dilecti mei carere. » Et Crucifixi simul prætendens imaginem, quam utraque manu amplectebatur, « Dederunt, dicebat, tibi, amor mi, fel in escam, et in siti tua potaverunt te aceto : et ego qua fronte dulcia appetam ? » Interrogatus deinde numquid parentibus suis significatum vellet? « Nihil nisi ut pro me orent, » respondit : nefas enim sibi videri Religiosum de patre cogitare in terris, cum Patrem habeat in Cœlis. Cujus ego Patris æternam hæreditatem, cum brevi ipsum obtenturum me sperare subjunxissem, arrisit jucundissime, et « Fiat, ait, quod Deo placet. »

Mansimus deinde de ineffabilibus gaudiis supernæ illius regionis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, dulciter colloquentes. Unde cum mundus iste cum omnibus oblectamentis suis nobis inter verba vilesceret, cœpit solito vehementius ad perennis vitæ fontis fluenta amœnissima ore cordis inhiare Bartholomæus; et mandata in cœlum perferenda, tanta recipere animi promptitudine, ut illic brevi se futurum certum habere diceres. Interea jubebat me alta voce Horas cum Canonicas tum de Domina coram ipso recitare, quibus diligenter attendebat, debitoque tempore caput nudando, corpus, quantum vires suppetebant, reverenter inclinabat.

Post hæc cum judicassem, quod propter absentiam vestram, qui singulis momentis Domum reversurus exspectabaris, et Ven. P. Vicario visum

fuisset Extremam Unctionem aliquantulum differre (quod non sine Numine evenisse reor, ut in ipso ultimo agone, quem habuit brevissimum, Ecclesiæ Sacramento roboraretur), voluit in omnem eventum confiteri. Deinde postquam injunctam sibi pro Jubilæi (quod non incommode tunc orbi Christiano Pontifex indulserat) plenaria Indulgentia promerenda pœnitentiam implevisset, concepit verba, quibus Conventui mox superventuro postremum vale diceret, ut veniam a singulis, si quem forte incautus per ignorantiam offendisset, deprecaretur.

Tandem professus fideliter se Deo credere et sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ in omnibus consentire; ac pro illa Fide, si ita Numini placeret, ut nunc in illa Fide animam ponere paratum esse : et firmiter de Divina misericordia confidere, Deique beneplacito se penitus committere ; rogavit quietis avidus, ut nonnihil secederem, velle enim se aliquantulum dormire. Erat tunc sensibus integris, voce forti, et vultu sic ad hilarem affabilitatem composito, ut nihil minus quam id quod evenit suspicaretur. Dormivit enim et obdormivit feliciter in Domino. Ita ut cum post paululum Reverentia vestra superveniret, et ego ex hortulo ipsius accurrerem, Bartholomæum, loquela amissa, mortem cum perenni vita commutantem invenerimus. Unde dum festinanter Oleo Sancto de more inungitur, inter ipsa sacra mysteria adeo tranquille Creatori animam reddidit, ut spiraretne adhuc, an non, aliquandiu hæsitaremus. Jacebat nimirum illo sopitus somno, quem *cum dederit dilectis suis*, inquit Propheta, *ecce hæreditas Domini*. Hanc hæreditatem, ut ego illi paulo ante apprecatus fueram, et ipse jamdudum animo conceperat et moribus investigaverat, ita nunc Bartholomæus perpetuum, sic voveo et pie confido, possidet.

Transiit, corporeo soluta ergastulo, formata ejus anima ex ærumnosi hujus exilii lachrymarum valle ad cœlestis Patris felices colles 5 Kal. Augusti sub vesperam, hora quasi septima, anno a Virginis partu 1617, ætatis suæ 22, Cartusianæ vero professionis mense decimo octavo, quem uno minus die complevit. Incidit autem dies solutionis ejus in feriam sextam, quando videlicet Christianus orbis Crucis Christi memoriam hebdomadatim recolit; in qua ipse statera, cum beato Job, peccata sua pretiosissimo immaculati Agni sanguine redimenda quotidie appendebat. Unde considerata vitæ ipsius innocentia et summa in maximis afflictionibus patientia, concurrente simul cum Ordinis tum Jubilæi extraordinarii plenaria Indulgentia, pium videtur sperare, nusquam cunctatum et immunem a purgatorio igne beatum ejus spiritum recta ad Superos evolasse.

Non igitur Bartholomæum, qui raptus, ne forte malitia mutaret intellectum, et consummatus in brevi explevit

tempora multa (placita enim erat Deo anima illius ; propter hoc properavit illum educere de medio iniquitatum), sed nos potius et me præcipue defleo, qui hodie speculum veræ humilitatis ac pietatis et totius monasticæ disciplinæ amisimus. Et quis scit, de meipso loquor, an non ideo translatus est, quia diutius sancti juvenis consortio indigni eramus ? Illi parta quies ; nobis maris æquor arandum superest vastum et spatiosum nimis, ubi reptilia quorum non est numerus : quod tamen ejus intercessione (sic enim promisit) securius transnavigabimus. Dummodo hoc vitæ suæ virtutumque exemplar, mentibus impressum, moribus perseveranter exprimere conati fuerimus, ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat benedictus in sæcula.

Subjungimus hic ultimam Bartholomæi ad Conventum Cartusiæ Lyranæ epistolam :

« Quando quidem, VV. PP. et FF. in Christo charissimi, non ita ipse morbus, qui vicinam mihi mortem minatur, me turbet, quam metus ne quis vestrum ex hac mea infirmitate scandalum patiatur, et sic laxioris vitæ occasionem sumat, quasi ego strictius vivendo quam deberem valetudinem destruxerim ; suppliciter et quam possum humillime per Domini nostri J. C. Passionem rogo, ne diabolus vos tali suspicionis laqueo seducat, nec, inquam, hoc prætextu tepidiores ad Dei obsequium efficiamini.

« Quod ad meæ enim ægritudinis causas pertinet, præter Divinam voluntatem et notabiles aliquot excessus quos commisi ac naturalem cum corporis tum animi ad phtisim inclinationem, existimo nihil aliud sanitati meæ nocuisse, quam nimiam superbiam, qua sanis Superiorum meorum consiliis nolui acquiescere ; sed de propriis magis meritis, quam de Dei bonitate præsumendo, quamvis sufficienter, imo nimium corpori meo tam in cibo quam in somno indulgerem, impediebam tamen assidue, nescio qua inordinata scrupulositate et anxia tristitia (quæ semper inobedienti arrogantiæ adhæret), ne quid inde nutrimenti possem capere.

« Hujus erroris mei occasio fuit, quod adduci non potuerim ut crederem meritorie extra Deum, propter Deum aliquam delectationem capere posse. In quo scio me commiseratione potius quam mulctatione dignum. Quamobrem ferventer vestras Paternitates, Fratres Venerandi, rogo, ut vestris suffragiis et precibus obnixe Deum oretis, ut sub hoc ignorantiæ peccato, cæterisque omnibus nequitiis ac maximis negligentiis meis me absolvere dignetur, et pro mortali vita quam perdo, vitam æternam concedere. Hoc cum per vestras orationes et preces a Dei bonitate assecutus fuero, quanto potero conabor, ut et vos idipsum quam citissime assequamini.

« Interea ne quis mei causa vel minimum a sanctitatis studio remittat,

iterum atque iterum rogo, siquidem certissimum est, nullam ad salutem nisi Crucis, nullam nisi discretæ mortificationis ad perfectionem viam esse : hoc sermo Divinus, hoc quotquot unquam audivi aut legi Sanctorum Patrum voces et acta probant. Hanc veritatem tanta testium sacrorum auctoritate confirmatam non potest destruere mea indiscretio, quamvis bono male usus virtutem in vitium et medicinam mihi quodam modo in venenum vertisse videar. Benedictus Deus, qui disponens omnia suaviter visitavit in virga iniquitates meas, misericordiam autem suam non abstulit a me. Ipsi laus, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

« Venerab. Paternitatum vestrarum humilis in Christo servus et Frater indignus, etc. »

XXIX DIE JULII

JACOBUS DE VIVIACO

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Delphinas; professus et Prior Vallis sanctæ. Anno 1330 ad summam Ordinis Præfecturam assumptus, anno 1331 ad suam instantiam fuit exauctoratus. Iterum anno 1338 (al. 1337) institutus in Priorem Majoris Cartusiæ, cum onus hoc invitus et renitens suscepisset, convocato privato Capitulo extorsit absolutionem, anno 1341. Obiit anno 1361 (al. 1362), die 29 Julii.

De quo Chronicon Majoris Cartusiæ meminit in hunc modum : « Anno Domini 1330, Aymoni in Prioratu Cartusiæ successit vir venerabilis, magnæ scientiæ et contemplationis, Dominus Jacobus de Viviaco, monachus dictæ Domus. Qui dictam Domum strenue regens et gubernans (ita quod ab omnibus in magno honore et reverentia habebatur), cum præ nimia sollicitudine contemplationi et quieti solitæ vacare non posset, ad suam importunam instantiam, in Capitulo sequenti habuit *misericordiam* ab officio Prioratus. » Ita Chronicon, cap. 18; et sic de eodem pergit, cap. 20 :

« Anno Domini 1337 eidem Domino Claro successit prædictus Dominus Jacobus de Viviaco iterato in officio Prioratus. Qui, cum contra voluntatem suam et multum renitendo esset in dicta administratione confirmatus, cum amore contemplationis et quietis, sollicitudine temporalium et inquietudine occurrentium laborum nimium gravaretur, cum *misericordiam* a Capitulo generali habere non posset; in quinto anno sui regiminis Capitulum privatum convocavit infra annum, a quo sive opportune sive importune procuravit

absolvi. Ob hoc Ordo nimium indignatus, ordinavit in sequenti Capitulo generali, ut nullus Prior Cartusiæ de cætero a Capitulo privato possit absolvi. Utrum autem postea fuerit revocatum, ignoratur.

« Ut vero Deus ostenderet quod ipsum ex importuna ejus instantia offendisset (quippe ut bis ab ipso vocatus ad dictum Prioratum, eidem ingratus extitisset, oviculas suas de talento sibi credito pascere nolendo), tanta subito post absolutionem est infirmitate percussus, ut cunctis innotesceret, ipse quoque etiam diceret manifeste, propter dictam ingratitudinem a Deo se fore percussum. Nam qui antea alios poterat et noluit adjuvare, postmodum usque ad mortem et per multos annos indiguit adjutore. Sed Deus qui talentum eidem contulit, de isto (ratione infirmitatis expetita) contentus non fuit; quin etiam sibi talem successorem procuravit, qui voluntatem divinam adimplendo, illius inobedientiam totaliter expurgaret. Cum vero bene fuisset expurgata, a Domino evocatus in Cartusia fuit sepultus, anno Domini 1362.

« De quo fuit relatum, quod plura miracula fecit post mortem; sed quanta vel qualia, memoriæ non occurrit. Tantæ siquidem prædictus vir fuit contemplationis, tantique consilii, sapientiæ et discretionis, ut cum illo colloquentes seu ab ipso consolationem vel consilium requirentes, quasi Angelum Dei se crederent reperisse. Ad ejus etiam instantiam et requisitionem Humbertus Delphinus Viennensis centum florenos annuales domui Cartusiæ donavit pro pelliciis et indumentis monachorum. »

MARCELLUS VOET

PRIOR BRUXELLÆ

Ex Steenberga Brabantiæ oriundus; non minus sanctitate quam doctrina celebris. In frequentando ecclesiam valde sollicitus fuit : quamvis enim ante mortem variis infirmitatibus affligeretur, aderat tamen diu noctuque divinis Officiis; ubi dum sanitate potiebatur, tanto cum spiritus fervore Dei laudes decantabat, ut duorum vel trium voces æquaret. Tandem post multos labores multasque patientiæ coronas, ad vitam immortalem feliciter migravit, an. 1487, die 29 Julii, ætatis 54, Prioratus 12.

Chronicon Cartusiæ Bruxellensis.

BERNARDUS DE CASTRO

PRIOR GRANATÆ

Est Castro Elrio regni Granatensis oppidum, ubi, ex honesta familia trahens originem, Bernardus educatus fuit in domo perillustris domini Antonii Manrique episcopi Malacensis. Agebat trigesimum ætatis annum, cum litteris optime instructus, sæculum fugiens

confugit ad Cartusianos de Paulari. Post exactum in omni fervore spiritus Novitiatum, anno 1551, 12 Aprilis, emisit vota professionis; quibus se constrictum sentiens, et ad æmulandum charismata meliora excitatum, se se illis, cum loquendi cogeret necessitas, lubens adjungebat, quos deprehendebat religiosiores. His amoris vinculo strictiori conjungebatur, quorum amicitia ad ampliorem virtutis profectum erat via. Inde enim et de rebus spiritualibus colloquia, et vitiorum fugæ rerumque præclarissimarum studia, et ad perfectionem stimuli ac incitamenta erumpebant.

Pervolvebat etiam Bernardus virorum pietate illustrium Vitas, ex quibus tanquam apes industriosa componebat mel omnium virtutum : ex uno siquidem discebat humilitatem, ab alio modestiam, ab altero charitatem, ab aliis pietatem, studium orationis. Horum singulas virtutes satagebat exprimere suis moribus, et velut eximius pictor nativis coloribus perfecti Cartusiani imaginem in se studebat adumbrare. Ut autem id assequeretur facilius, egregium Religiosæ vocationis donum, quod a Deo acceperat, tam sedulo in animo versabat, ut ne minimam quidem temporis particulam absque oratione aut pio opere sibi elabi pateretur, ne frustra videretur Religionis locum occupare, animamque ad divina tum contemplanda, tum agenda sibi inditam in vanum accepisse.

Quapropter otii osor maximus, quod illi ex Horis Canonicis atque aliis orationis exercitiis tempus supererat, illud impendebat lectioni, cui semper usque ad obitum fuit deditissimus, quamvis interdum variis officiis occuparetur. Extant adhuc in Cartusia de Paulari assiduæ lectionis Bernardi non exigua monumenta. Conscripsit etenim librum cui præfixit titulum hunc : *Triumphus Imperatoris nostri Christi, et Instructio militum maxime tyronum.* In quo uberibus sententiis agit erudite de tentationibus Religiosorum, continetque Sermones aliquot vulgari lingua. Præterea domesticas chartas et tabulas cum pertinaci labore jussu Superiorum evolvit. Historiam fundationis hujus Cartusiæ contexuit tali suavitate verborum, pietatem fundatorum et benefactorum aliaque Domum et personas spectantia referens, ut Lectorem mire delectet. Hoc opus absolvit dum hujus monasterii Vicarium ageret.

Temporis parcissimus, arcta custodia linguam coercebat, ne deflueret in vitiosa vel inutilia. Si vero cum aliis conversari cogebatur, semper de rebus divinis miscebat sermones, aliquidque boni eructabat. Cum enim ex assidua Sacrorum Voluminum lectione saginaretur spiritualibus, mira cum suavitate convenientes se verbo Dei reficiebat, instillabatque lac devotionis. Quod si videret aliquem minus his affectum, infirmitati humanæ compatiens, se seque singulis accommodans, cum ipse

sapiens esset, libenter sustinebat insipientes, omnibusque omnia factus in omnes se vertebat formas, inter conversandum nemini molestus. Ipsius quoque tam effusa fuit in ægrotos charitas, ut se se totum in eorum servitium impendens vilissima quæque obiret munia, matulas purgans, lectum componens et alia exhibens officia pietatis.

Demum Bernardi vita tot ab ipso suæ conversionis exordio virtutum ornamentis prædita fuit, ut nullum omnino esset virtutum genus, quod in eo non eluceret. Eximius siquidem cultor fuit paupertatis, silentii, sobrietatis, obedientiæ ac observantiæ regularis. Unde domi forisque spectatissimus, primum admotus fuit Vicarii de Paulari officio, postea Priorem egit in Domo de Caçalla, deinde in Domo de Paulari, tandem in Domo Granatensi, factus Visitator vel Convisitator. In his muniis tam humiliter se gessit, ut juxta Patris nostri Guigonis consilium, in nullo ab aliis differret nec cognosceretur, nisi in illis quæ Prioris officium præcise spectant.

Memor semper Salvatorem nostrum non venisse ministrari sed ministrare, nullum sibi ab aliquo servitium singulare præstari permittebat; et quamvis laboribus et pastoralis officii sollicitudinibus interdum attereretur, nihil tamen remittebat de vigiliis, nihil plus cæteris in cibo et potu sibi indulgebat. Post Nocturnas preces, a quibus aberat nunquam, modice dormiens, noctis residuum orationi, lectioni, suæque Provinciæ negotiis impendebat.

Eo majora fuere charitatis illius in ægrotos incrementa, quo Prior constitutus eisdem subveniendi majorem habebat potestatem. Eorum cellulas perlustrabat, eisque paterno affectu compatiens, quamvis multis negotiis occuparetur, nunquam se tamen abstinebat ab illorum cura, sollicitus ne illis deesset aliquid; se se in illos tanquam patrem simul et matrem exhibens, eis subministrabat necessaria. Erat quippe Bernardus noster a natura præditus singulari morum urbanitate, vir simplex, clemens, vere mitis et humilis corde, pronus ad misericordiam, in conversatione facilis et gratus.

Quod si aliquem reprehendere teneretur ex officio, tanto verborum lenocinio temperabat correptionem, ut illum omnes velut medicum oleo potius quam vino charitatis vulnera curantem experirentur. Unde ad virtutem provocati sequebantur præeuntem Pastorem suum, vitæ spiritualis magistrum, quem juvenes tanquam pædagogum, senes tanquam suæ senectutis baculum, afflicti velut solamen, tepidi tanquam stimulum ad sanctiorem vitam venerabantur.

Præcelluit autem zelo regularis disciplinæ, multumque desudavit, ne quis ab antiquis et laudabilibus Instituti nostri consuetudinibus recederet. Cumque Bernardus staret murus ex adverso pro tuenda Statutorum observantia, multum ei negotium facessivit illius

zelus. Cum enim nonnullos ex officio reprehenderet, hi, non ea qua par erat patientia, justum in misericordia corripientem supportantes, illum moderationis metas et discretionis excedentem judicarunt. Unde ad patientiæ illius probationem expostulabant de nimio illius rigore sub exordia illius regiminis : frequentes de eo apud Reverendum Patrem habebantur querimoniæ. Quotiesque contingebat ut de Domo una in aliam transferretur Bernardus ad præsidendum, plerumque nonnulli ejus electioni refragabantur; dum alii perspicaciores et insignem illius sanctimoniam penitus pernoscentes, suo semper calculi suffragio Bernardum cohonestabant, ipsius virtuti patrocinantes, quam nullus unquam, quantumlibet adversarius, vel minima labe aspergere ausus fuit. Nihil etenim præter nimium zelum contra eum causabantur.

Propter hanc judiciorum diversitatem translatus est e gubernaculo de Paulari ad regimen Domus Granatensis; iterum institutus Prior de Paulari, rediit ad moderamen Cartusiæ Granatensis. Unde generale Capitulum nunc laudat nunc parumper perstringit illius modum administrandi, nunc monachis imperat ut habeant Bernardum tanquam verum Patrem et Pastorem, nunc eidem præcipit ut temperet zelum. Nam Patres in Comitiis generalibus coadunati secundum allegata judicantes, diversimode eum tractabant, donec tandem illius innocentia et regimen laudatissimum innotuerit.

Interim nihil de mansuetudine in illos, quos sibi contrarios experiebatur, remittebat, nullum unquam excidit in eos impatientiæ verbum, nihil asperum in eos locutus est, qui gravem ad portandum administrationem illius litteris importunis et frequentioribus scribebant; nullum plane in æmulos habuit inordinatum motum, eumdemque erga illos se exhibebat ac in eos quos erga se videbat optime affectos. Prudenter dissimulabat abalienatam illorum voluntatem ac iniquiorem animum. Quod si clandestina malevolorum consilia noscere significabat, eam in loquendo adhibebat moderationem, ut verborum seu querimoniarum suavitas satis superque testaretur Bernardum prorsus esse immunem a quovis acerbo ob illatas injurias animi sensu.

Quamvis sic agitaretur pius Pater, Ordo tamen noster ipsum totius Provinciæ præfectura cohonestabat. Cumque ultimo anno vitæ suæ, diceretur per Chartam quod R. Pater nominaret super annum Castellæ Visitatores; postquam Bernardinus de Alba Prior Majoricarum, Hispaniæ Commissarius, Domum Granatæ visitasset, rei comperta veritate, Bernardo mortuo, dixit : « Noluit Deus D. Bernardum duplicem habuisse gloriam, quam in Cœlo jam est adeptus, et quam si viveret per nos haberet. »

Nec hic silentio prætermittendum est,

quod magnam apud extraneos famam sibi comparaverat. Christi etenim bonus odor factus, cum ex eremo egrediebatur ex officio, tantam præ se ferebat modestiam et hominis exterioris compositionem, ut veluti Angelus Domini appareret.

Toleti aliquando cum viris spectatissimis colloquebatur. Adstitit mulier perfrictæ frontis et inverecunda coram omnibus alta voce clamans, ut Bernardus ei, quod pollicitus fuerat, ob turpem actum, solveret. Ad hæc verba vir sanctus perseverans in sua modestia, sine vultus mutatione, dixit socio suo : « Frater Gregori, vide quia mulier ista magnam fortasse habet necessitatem, quæ coegit illam hoc effutire; aliquam illi eleemosynam eroga. » Obedivit Frater, modicamque ei pecuniam impertiens os mulieris iniqua loquentis obstruxit. Illa statim recedente, Bernardus sermonem prosecutus est summa cum animi tranquillitate et admiratione adstantium ; qui multum laudarunt Patris prudentiam, mansuetudinem simul et misericordiam, quam exercuerat in mulierem quæ bonam illius apud omnes existimationem (quæ quidem divitiis omnibus præstantior est) offendere voluerat.

Tandem cum trigesimum quartum annum in Religione explevisset, ad ultimam hujus mortalis vitæ metam accedens, eadem qua vixerat sanctitate, feliciter cursum absolvit, die 29 Julii (vel juxta Chartam Capituli generalis, 28 Julii), anno 1585. Multum decertavit pro servanda Ordinis unione.

Ex Mss. Cartusiæ de Paulari.

XXX DIE JULII

JOANNES DE ATTREBATO

PRIOR CAPELLÆ

Ex Ordine Carmelitarum migrans ad Cartusienses, vota monastica nuncupavit in Domo Luviniaci. Vir fuit magnæ non solum apud Patres Ordinis sed etiam apud sæculares existimationis, ob raram prudentiam, zelum Ordinis, morum laudatissimam facilitatem. Unde vulgo nominabatur Bonus Prior. Nec immerito sane; quippe qui summa urbanitate et innata bonitate omnium sibi conciliaret animos.

Anno 1411 ex regimine Domus Mortui maris translatus ad moderamen Capellæ, præfuit non minus utiliter quam sapienter. Ædificavit ecclesiam hujus monasterii, ac septennio perfecit. Magnum et parvum claustrum, refectorium, Capitulum et multa alia ædificia majori ex parte construxit, auxitque redditus annuos, adeo ut haberi possit

alter hujus Cartusiæ Fundator. Diu fuit Provinciæ Flandriæ Visitator; visitavit etiam Domos Angliæ. Cumque per multos annos omni virtutum genere commissis sibi ovibus præluxisset, ipsasque verbo simul et exemplo ad observantiam regularem animasset, tandem plenus dierum et bonorum operum, a Domino remunerandus evocatur ad beatam immortalitatem, die 30 Julii, anno 1430.

Chronicon Capellæ.

PETRUS ADOURNES

CLERICUS REDDITUS BRUGIS

Vir fuit consularis, Brugensium Burgimagister, omnis sanctimoniæ præcipuum exemplar, ex præclara Ducum Genuensium prosapia oriundus. Post reditum ex Palæstina, in quam bis trajecerat et usque ad Montem Sinai penetraverat, post fundatam a se Brugis Hierusalem, mortuaque conjuge sua charissima Elisabetha Branderick, curis sæculi se se abdicans, tandem suavi jugo Christi se se subdidit, in hac Cartusia factus Clericus anno 1445; in qua religiose perseveravit usque ad obitum per annos novemdecim, patiens inediæ, laboris et vigiliarum, factus omnibus forma virtutis et veri Cartusiani. Diem extremum clausit anno 1464, 30 Julii. Habuit filium nomine Martinum Adournes, Priorem hujus Domus; de quo dicemus ad diem 10 Novembris.

De Petro egit Antonius Sanderus in Flandria illustrata. Notatur ejus obitus in Charta Capituli generalis ad annum 1465. Erat sacerdos.

MARCUS ANTONIUS BRIÇUELA

PRIOR PORTÆ CŒLI

Ex illustri prosapia regni Valentiæ oriundus; spreto generis splendore, anno 1571, habitum Religionis induit in Cartusia Portæ Cœli, cujus claustrum vetustate collabens suo, quod amplissimum erat, restauravit patrimonio.

Electus in Priorem Montis hilaris, postquam aliquandiu summa cum pace et prudentia hanc Domum administrasset, cellulæ quieti redditus, vix degustabat quam bona esset solitudinis negotiatio, cum Portæ Cœli Vicarius instituitur, factus postea ejus monasterii Moderator Cataloniæque Visitator. Perfecte ministerium implens, ad æternam requiem evocatur, opinione relicta sanctitatis, anno 1599, die 3 Junii, juxta Chartam Capituli generalis; juxta vero Librum fundationum Cartusiarum Hispaniæ, die 30 Julii. Ex quo Libro hoc excerpsimus Elogium.

JOANNES DE AGUILERA

PRIOR GRANATENSIS

Ex Ajofrin Toletanæ diœcesis oppido trahens originem, fuit præceptor perillustris Hugonis de Moncada, Commendatoris Ordinis sancti Jacobi, postea Prioris Cartusiæ Montis hilaris. Annos natus triginta tres, die 24 Februarii, 1594, vota nuncupat monastica in Cartusia de Paulari, ubi primo egit Vicarium, postea Procuratorem, Vicarium et Priorem Domus Granatensis. Hic nunquam a communi monasticæ disciplinæ observantia deflectens, singularitatis erat osor maximus, idque unum agebat, omnia videlicet perfecti Cartusiensis obire munia.

Egregius solitudinis, silentii orationisque cultor, domesticorum et sæcularium declinabat familiaritatem. Quod si Granatæ degens cogeretur extraneos in cellam admittere, quasi Dei sermones loquens, urbis Primarios provocabat ad Christianæ pietatis amorem, quorum non sine ingenti fructu excipiebat Confessiones. Vir in animarum regimine peritissimus, multos Religioni Cartusiensi lucrifecit, virtute postea non incelebres. Interim ab amore sæculi Joannes abstractus vivens, ita carni et sanguini mortuus erat, ut aliquando patrium pertransiens oppidum, minime apud suas sorores diverterit.

In omnibus igitur se exhibens semper perfecti monachi simulachrum, suis addictum exercitiis, chori, paupertatis, humilitatis, simplicitatis amatorem, cum septuagesimum ætatis annum attigisset, sancte admodum apud nos conversatus, deposita Præfecturæ sarcina, in hortulo cellulæ suæ memorabatur aliquando novissima sua; summoque mentis fervore eliciens actus accommodationis ad Divinam voluntatem, dicebat : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi,* cum subito cœlesti luce perfusus cognovit divinitus extremam sibi instare diem ; et paulo post, stranguria laborans, Sacramentis devotissime susceptis, inter dolores acutissimos animam efflavit, die 30 Julii, 1629.

XXXI DIE JULII

HUGO FABRI

EX ABBATE CLUNIACI
MONACHUS VALLIS SANCTÆ MARIÆ

De quo fit mentio in *Bibliotheca Cluniacensi,* pagina 1672, his verbis : « Hugo Fabri septimus, Abbas XXXIII, regere incœpit anno 1347. Rexit annis quatuor, et resignavit Abbatiam in manu Domini nostri Papæ ; deinde factus est Cartusiensis, in quo Ordine vixit 18 annis. Obiit 2 Kalend. Augusti. Jacet in Prioratu Vallis S. Mariæ, Ordinis Cartusiensis. Iste Hugo Fabri VII, Doctor decretorum, hanc Ecclesiam Cluniacensem rexit in magna pace et tranquillitate, et totum Ordinem. Et cum resignavit Abbatiam Cluniacensem, reliquit magnam pecuniarum summam suo Abbati successori, quæ sibi debebatur in Ordine Cluniacensi ad finem, ut Ecclesia per dicta debita prosperaretur. » Hactenus Bibliotheca Cluniacensis.

Ingressus est autem Ordinem nostrum circa finem anni 1351. Et in Charta Capituli nostri generalis anni 1352 preces pro eo per totum Ordinem injunguntur his verbis : « Pro Domno Hugone quondam Abbate Cluniacensi dicat quilibet unam Litaniam. » Et in Charta Cartusiæ Portæ Cœli ejusdem anni legitur : « Quælibet persona Ordinis dicat unam Litaniam pro V. Fratre nostro D. Hugone monacho Vallis S. Mariæ quondam Abbate Cluniacensi. » Et anno sequenti, videlicet 1353, in Charta præfatæ Domus Portæ Cœli legitur : « Pro Domno Hugone quondam Abbate Cluniacensi, quod Deus det sibi bonam consolationem in Ordine, dicatur una Missa de Spiritu Sancto. »

Tandem cum vigiliis et inediæ ad miraculum addictus Hugo floruisset in Ordine, spiritum Deo reddidit anno 1365 (non autem 1368), pridie Kal. Augusti. Cujus obitus signatus fuit in Charta anni 1366.

ARNOLDUS DE CALCK

MONACHUS BRUXELLÆ

De ducatu Clivensi, ante Ordinis ingressum Frater Hieronymitanus in Nazareth Bruxellis. Nondum promotus ad sacerdotium, in hac Cartusia vota professionis emisit anno 1468, 1 Maii. Postea Sacrista Bruxellæ, deinde fuit Vicarius Lovanii ; tandem ad hanc

eremum reversus, ibidem e vivis excessit, anno 1526, 31 Julii, postquam 60 annos laudabiliter exegisset in Ordine.

Chronicon Cartusiæ Bruxellensis.

THOMAS SPENSER
VICARIUS HENTON

Anglus, patria Norfolcensis; professus Cartusiæ Londoniarum, factus Procurator in Cartusia Henton secundam ibi professionem emisit; tandemque ex Procuratore Vicarius institutus, pie animam efflavit, anno 1528, die 31 Julii. Vir non minus virtute, quam scriptis et doctrina celebris.

Pitseus de Scriptoribus Angliæ. Bibliotheca Cartusiana.

JOANNES PEREZ
CONVERSUS SEIZ

Religiosus columbinæ simplicitatis, obedientiæ et charitatis erga proximum. Grassante in Styria peste, anno 1625, ultima Julii, eodem morbo correptus, vespere Vicarium advocat, animi noxas expiaturus Pœnitentiæ Sacramento. Ille Joannis morbum ignorans, ad sequentis diei mane Confessionem differt. Verum postridie reperitur pronus ante cubitale precarium in cella mortuus, brachiis in formam crucis expansis, ut quod vivus egerat, exanimis monstraret. Obiit 31 Julii, 1625.

Chronicon Seiz.

RAPHAEL DE TURRE
CONVERSUS BONONIÆ

De Como; dum in xenodochio cum aliis ministraret, tactus epidemiæ morbo, charitatis hocce martyrio consumptus expiravit, anno 1630, die 31 Julii.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

EXPLICIT VOLUMEN SECUNDUM

INDEX

INDEX

MENSIS MAIUS

(PROSEQUITUR)

IX DIE

X DIE

XI DIE

XII DIE

XIII DIE

XIV DIE

XV DIE

XVI DIE

MENSIS JUNIUS

MENSIS JULIUS

XI DIE

XII DIE

XIII DIE

XIV DIE

XV DIE

XVI DIE

XVII DIE

XVIII DIE

XIX DIE

XX DIE

XXI DIE

XXII DIE

XXIII DIE

XXIV DIE

XXV DIE

XXVI DIE

XXVII DIE

XXVIII DIE

XXIX DIE

XXX DIE

XXXI DIE



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.